63175/13

D
6.28

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

SCHELHAMMER, G.C.
vol. 2

U5

GVNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMERI

MEDICINAE QVONDAM DOCTORIS, ET PROFESSORIS PVBLICI PRIMARII IN ACADEMIA KILONIENSI, SEREN. DVC. CIMBR. GOTTORF. ARCHIATRI. ACADEMIAE CAESAREO LEOPOLDINAE NATVRAE CVRIOSORVM ADIVNCTI, ET RECVPERATORVM IN ITALIA SOCII,

ARS MEDENDI VNIVERSA,

EX VERIS SVIS FVNDAMENTIS ERVTA,
ET PROBATISSIMIS
VETERVM AC RECENTIVM SENTENTIIS,
ACCVRATE EXPENSIS,
SVPERSTRVCTA.

OPVS POSTHVMVM.

NVNC DEMVM
SECVNDVM AVCTORIS ΑΥΤΟΓΡΑΦΟΝ
EX PROPRIA BIBLIOTHECA
EDIDIT
ERNEST. FRIDERIC. BVRCHARD. Dr.

VOLVMEN SECVNDVM.

WISMARIAE ATQVE LIPSIAE,
INPENSIS IOHANNIS ANDREAE BERGERI.
cIↄ Iↄ CCXLVIII.

SOCIETY OF LONDON · MEDICAL

ARTIS
MEDENDI
VNIVERSAE
LIB. II.

QVO

MORBOSI CORPORIS
IDEA

EXPLANATVR.

CONSPECTVS CAPITVM
QVAE
CONTINENTVR
VOLVMINE SECVNDO.

ARTIS MEDENDI VNIVERSAE.

LIB. II. QVO MORBOSI CORPORIS IDEA EXPLANATVR.

PRAECOGNITA pag. 1.

PARS I. PATHOLOGIA.

SECT. I. DE MORBO IN GENERE 6
CAP. I. DE MORBI NATVRA ET DEFINITIONE 6
II. DE MORBORVM DIFFERENTIIS 20
III. DE MORBORVM DIFFERENTIIS RATIONE CONFORMATIONIS, ET
I.) DE MORBIS IN QVANTITATE 28
II.) DE MORBIS IN QVALITATE 29
IV. DE MORBORVM DIFFERENTIIS RATIONE COMPOSITIONIS 35
V. DE MORBIS VNITATIS, SEV CONTINVATIS VITIATAE 38
VI. DE IIS MORBORVM DIFFERENTIIS, QVAE VVLGO ACCIDENTALES ET COMMVNES ADPELLANTVR 42
VII. DE MORBORVM TEMPORIBVS 45
SECT. II. DE CAVSIS MORBORVM pag. 61
CAP. I. DE IIS IN VNIVERSVM 61
II. DE CAVSARVM NATVRA, RATIONE HABITA AD MOTVM 65

CAP. III. DE GENERIBVS CAVSARVM IN ORDINE AD RES, QVAE CAVSAE FIVNT, ET PRIMVM DE REBVS NATVRALIBVS 70
IV. DE CAVSIS NONNATVRALIBVS 73
DE AERE 74
DE VICTVS RATIONE 78
DE SOMNO ET VIGILIA 82
DE MOTV ET QVIETE 84
DE ANIMI MOTIBVS 85
DE EXCRETIS ET RETENTIS 87
V. DE CAVSIS MORBORVM PRAETERNATVRAM 89
VI. DE FLATIBVS, CALCVLIS ET VERMIBVS 100
VII. DE CAVSIS, QVAE SVPRA NATVRAE VIRES AGVNT 112
VIII. ADPLICATIONEM HARVM CAVSARVM AD SINGVLA MORBORVM GENERA EXHIBENS, ET DE MORBORVM CAVSIS, QVAE AD INTEMPERIEM REFERVNTVR 116
IX. DE CAVSIS MORBORVM CONFORMATIONIS 118
X. DE CAVSIS MORBORVM COMPOSITIONIS ET SOLVTAE VNITATIS 134

SECT. III. DE SYMPTOMATIS 138
CAP. I. QVID SIT SYMPTOMA? 138
II. DE DIFFERENTIIS SYMPTOMATVM 140
III. DE SYMPTOMATIS SPECIATIM, SINGVLORVMQVE ENARRATIO 146
IV. IN QVIBVS MORBIS SINGVLA SYMPTOMATA OCCVRANT, EORVMQVE CAVSAE, ET QVIDEM PRIMO DE ACTIONIBVS LAESIS PRIMAE REGIONIS 155
V. DE ACTIONIBVS LAESIS, QVAE AD MEDII VENTRIS VISCERA PERTINENT 161

CAP. VI.

CAP. VI. SYMPTOMATA ACTIONIS LAESAE PARTIVM CAPITIS 171
VII. DE SYMPTOMATIBVS QVALITATVM PRAETER NATVRAM ET EXCRETORVM 177

AD PATHOLOGIAE PARTEM I. BREVIS ADPENDICVLA PROBLEMA: SINGVLOS MORBOS TRIBVS VERBIS ACCVRATE DEFINIRE, ITA VT EX DEFINITIONE ISTA TOTA CVRATIONIS RATIO DEDVCI ET DEPROMI POSSIT 187

PARS II. ΣΗΜΕΙΩΤΙΚΗ.

SECT. I. 195

CAP. I. DE MORBIS COGNOSCENDIS 195
II. DE SIGNIS ET EORVM DIFFERENTIIS 200
III. DE FONTIBVS SIGNORVM 206

SECT. II. 214

CAP. I. DE SIGNIS DIAGNOSTICIS SPECIATIM 214
II. DE PARTE ADFECTA COGNOSCENDA 216
III. QVOMODO COGNOSCATVR IPSE MORBVS 222
IV. QVIBVS SIGNIS MAGNITVDO MORBI DIIVDICETVR 225
V. DE SIGNIS TEMPORVM MORBORVM 228
VI. DE SIGNIS CAVSARVM MORBIFICARVM 233
VII. DE SIGNORVM SIGNIFICATIONIBVS ET PRIMO ACTIONVM LAESARVM 239
VIII. DE QVALITATIBVS PRAETERNATVRALIBVS 252
IX. DE SIGNIS AB EXCRETIS 256
X. ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ. 265

SECT. III.

SECT. III. DE PROGNOSI MORBORVM 270
CAP. I. INTRODVCTIO 270
II. DE IIS, QVAE PRAEDICI POSSINT 244
III. VNDENAM PROGNOSIS PROCEDAT? 262
IV. EX QVIBVS SIGNIS MORBI, CONTRA NATVRAM PVGNANTIS, VIRES COGNOSCI POSSINT 284
V. QVOMODO NATVRAE VIRES COGNOSCANTVR 287
VI. INSVPERABILES ET SANABILES MORBI QVI? 291
VII. DE SIGNIS SALVTIS ET MORTIS SPECIATIM 299
VIII. DE MORBIS SALVTARIBVS 303
IX. DE IIS, QVI NON PERFECTE CVRANTVR, SED VEL POST SE RELINQVVNT ALIQVID MALI, VEL RECVRRVNT, AC RECRVDESCVNT. 305
X. DE LONGITVDINE ET BREVITATE MORBORVM 308
XI. DE MODO EVENTVS 314
XII. DE CRISI ET DIEBVS CRITICIS 318
XIII. DE SIGNIS CRISEOS 326
APPENDIX DE PVLSV 330

ARTIS
MEDENDI VNIVERSAE
LIB. II.
QVO MORBOSI CORPORIS IDEA EXPLANATVR.

PRAECOGNITA.

§. I.

Eam eſſe veram artes addiſcendi rationem, vt primum FINIS cognoſcatur, tum SVBIECTVM, tertio INSTRVMENTA, poſtremo vero iis vtendi methodus, in principio monuimus. Hactenus ergo in humani corporis naturali conſtitutione pernoſcenda fuimus occupati, quo diſcatur, quid ſit ſanitas: ea enim eſt finis (a), quem, ut primum cognoſcat medicus, danda eſt opera. Hanc vero in partium, humorum, et ſpirituum legitima diſpoſitione ponendam eſſe, omnes fatentur, quarum illam in ſtructura, vſui convenientisſima; iſtam, in aquearum iisque innatantium particularum iuſta ad inuicem proportione; ſpirituum vero, in aetherearum et ignearum ad motum promtisſima temperatura conſtituendam eſſe, certum eſt. Primum itaque hanc partem abſoluimus, quam, quia ad naturae leges diſpoſiti corporis ſtatum exponit, phyſiologiam doctores nuncuparunt. Sequitur, vt ſtatum eiusdem extra naturae leges poſitum, quem Pathologiam vocari placuit, eadem diligentia perſcrutemur, Medico omnium maxime cognitu neceſſarium.

§. II.

Cum enim nullus artifex, vel vilis etiam, conſequi, et introducere in ſubiectum finem ſibi propoſitum commode ſatis queat, niſi qui eius naturam aeque perſpectam, et quam exactisſime habeat exploratam, id in arte medica tanto magis eſt neceſſarium, quoniam haec non, ut ceterae,

(a) Conſentit cum eo et SENNERTVS II. *Inſt. 1. init.*

terae, integrum accipit, ſed eius natura ipſa in eo vitiato unice ſita eſt, neque aliud ab eo poſtulatur, quam vt in priſtinum illud locum reſtituat, et quale ex Phyſiologia cognitum habet, rurſum efficiat. Is ergo demum recte curationem inſtituit, qui quam optime eius vitia conſpicit et intuetur.

§. III.

Eſt itaque Pathologia doctrina de humani corporis conditionibus, quibus a naturali ratione deflectit. Quod vbi contingit, fit demum SVBIECTVM Medicinae, nam ſubiectum Medicinae eſt CORPVS MORBOSVM. Hoc vt intelligatur, recolendum eſt ex Philoſophiae primis principiis: in diſciplinis omnibus conſiderari ſubiectum non ſimpliciter, ſed in quantum aptum eſt ad recipiendum finem, quod *ſubiecti formale* appellari conſueuit eruditioribus. Non ergo corpus humanum ſimplici acceptione in ſubiecti locum admittitur; ſed in *quantum eſt ſanabile:* finis enim Medicinae eſt ſanitas; ſanabile autem eſt, quod eſt morboſum.

§. IIII.

Ex quo aſſerto certisſimum, denuo hic proferendum argumentum ſponte ſe offert, ſanitatis conſeruationem, dum integritate ſua gaudet, ad medicum prorſus non pertinere. Liceat in re noua hodiernis, etſi vetus ſit, ſyllogiſtica forma et veterum more loqui, vt rectius comprehendatur intelligentibus vim formae iſtius:

In quamcunque rem finis alicuius artis introduci non poteſt, illa non eſt ſubiectum illius artis.

At vero in corpus humanum, integra ſanitate gaudens, finis Medicinae introduci non poteſt.

Itaque corpus humanum, integra ſanitate gaudens, non eſt ſubiectum Medicinae.

Ad hoc, quod reſponderi aut opponi posſit, nihil eſt. Neque enim vel prima poſitio poteſt negari, vel ſecunda vocari in dubium: quod enim in ea re iam ineſt, non poteſt denuo in eam ullo modo aliunde transferri.

Si quis autem vitilitigare velit, eam corporis humani conditionem obtrudens, quae per initia morborum, iam incipientium, vacillat, nos habebit faciles: iamtum enim amplius integrum non eſt, ſed neceſſum eſt vitium cepiſſe; ſenſus enim id docet.

§. V.

§. V.

Poteſt igitur tum Medicus, ſi modo, in quo ſit vitium, queat cognoſcere, praevenire inſtantem morbum, et ante quam incrementum ſumat, propellere ac disſipare. Quodſi vero nihil homo ſentiat mali, neque ulla adeſt prava diſpoſitio, ut in graſſantibus epidemice morbis, (de quibus mox) illi, qui infecti nondum ſunt, ſtultum eſt, et veteratori quam medico ſimilius, praecavere velle, ne quis ab eo corripiatur: vt in peſte, vbi teſtatur experientia, exquiſitisſimis etiam remediis alexipharmacis vtentibus aeque ac ceteris malum obtigiſſe, quicquid etiam glorientur agyrtae.

§. VI.

Ex quibus ſimul de ſtatu neutro, quem nonnulli ſibi concedi poſtulant, hoc eſt tali, quo non aegrotat quidem homo, ſed tamen neque ſatis validus eſt, iudicare integrum erit. Vbi recte ſentiunt illi, qui eum admittere verentur. *Si enim verum eſt*, *quod* GALENVS ait: (b) *Sumendum hic eſſe omnium conſenſu approbatum principium: quod omnes homines tunc ſe ſanos exiſtiment*, *cum partium corporis miniſterio ad eas*, *quae in vita neceſſariae ſunt*, *actiones ſine aliquo vitio perfungi potuerint*, ut loquitur interpres, ſatis in aperto eſt, neutrum horum admitti non poſſe: nam id, *ſine aliquo vitio*, illum excludit. Eſt tamen ſanitatis quaedam latitudo, tum in uno eodemque homine, tum inter ſe collatis plurimis, qua unus altero promtior, et exactius praeſtat functiones, uti hanc rem quam optime declarat SENERTVS noſter(c). Illud GALENI principium tamen abſolute adeo verum non eſt, nam quibus vitium iam cepit in corpore nondum tamen decumbunt, amplius ſani non ſunt habendi; unde tales ὀρθοςάδην νοσεῖν HIPPOCRATES ait, quod GORRAEVS (d) explicat: facile ferre *morbum*, *adeo ut*, *qui laborat*, *munia obeat conſueta*, *nec cogatur in lecto decumbere.* Itaque HIPPOCRATES etiam morboſum hic ſtatum cognoſcit. *Habebit* igitur *ſuam et morbus latitudinem*, ut Cel. WEDELIVS loquitur, (e) neque tamen proin ſtatus neuter concedendus erit Philoſopho Medico, etſi vulgus ita ſentiant, etiam noſtrates, dum aiunt: *Ich bin weder geſund noch krank.* Obiicit

(b) *Lib. de diff. morbor. II.* & *I. M. Med. 5.* (c) *Inſt. I. cap. 3. p. 14.* adde GALENVM *de diff. morb. c. 2.* (d) *In defin. med. p. 346.* (e) *Phyſiol. II. 3.*

iicit quidem nobis et SCALIGER novum exemplum eorum, qui per paroxyſmos aegrotant, per intervalla bene valentes; quod ratione febrium potiſſimum profertur. Verum et hi recte dicuntur aegrotare: nam ad ἀπυρεξίαν quidem nonnulli perveniunt, et remiſſiones habent, non tamen omnino valent, etſi inducias det morbus, habeantque et alii morbi ſua intervalla, ut Podagra, quibus dum fruuntur, ſani ſunt, dum redit morbus, aegri dicendi. Diſtinguendum igitur: longe enim alia horum, alia illorum eſt ratio. Sunt et, qui decidentiae et convaleſcentiae ſtatum memorant, ne quid praetermittant intactum. Ad ſanitatis et morbi latitudinem autem hic etiam pertinet. Poſſunt enim et hi exercere functiones, ſed debili mollique, non robuſto ac valido modo. Sed ſatis de his: ad noſtra redeamus, a ſtatu neutro ad morboſum.

§. VII.

Vt autem, quid ſit morboſum corpus, pateſcat, dicendum erit, quid ſit morbus: qui totus ut cognoſcatur, non de eo ſolo, et ſimpliciter hic agendum, ſed de omni ejus natura, et quicquid ad eum conſtituendum facit, vel ex conſtituto porro oriri queat. Tum enim demum unamquamque rem ſatis intelligere dicimur, quando eam cognoſcimus per cauſam, quæque ejus proprietates, aut ad eum quocunque modo pertinent, ex eoque producuntur. Tres ergo Pathologiæ omnino erunt partes: quarum prima de morbis ipſis, altera de cauſis, tertia de ſymptomatis agit, Sic enim vocant medici, quæ morbus poſt ſe trahit, mala (Zufälle Germanis, barbaris accidentia). Vt enim tria ſunt in corpore ſecundum naturam, *Actionum integritas*, *Color* ac *pulchritudo corporis*: ita et tria ſunt naturæ moleſta, *Cauſæ morbi*, *morbus ipſe*, *et ſymptomata*.

§. VIII.

Vocantur autem iſtæ *res præter naturam*, quoniam præter inſtitutum ejus fiunt, item et *contra naturam* minus licet uſitate, quia ei adverſa ſunt. Vbi ſuperflua videri poſſet FERNELII (f) ἀκρίβεια, qui haec invicem diſtinguit, praeter naturam eſſe; docens, quod, tametſi ex naturae praeſcipto non ſit, illi nullam vim infert: Contra naturam non modo naturae limites excedere, ſed et illi vim inferre, illiusque functiones interturbare. Quare et ei controuerſiam SENNERTVS mouet. (g)

Quam-

(f) Pathol. Lib. I. c. 2. (g) Pathol. Sect. I. c. I.

Quamvis autem frivola haec ſit tam accurata diſtinctio, id tamen hic diſcere licet, id quod praeter naturae leges accidit, non protenus eſſe nocivum, ut ipſa criſis: et plethoram ſoluens haemorrhagia quaedam, aliaque multa. Obiicit inter alia SENNERTVS; praeter autoritatem veterum id FERNELIVM facere. Verum ſi omnia ad eum rigorem examinarentur, dimidia eaque ex parte optima medicinae pars nobis excideret e manibus. Non omnia viderunt, qui nos præceſſerunt, multa poſteritas noua inueniet, nobis, oculatiſſimi licet videamur, non paucis praetervиſa.

§. VIIII.

Vt autem ſanitatis cauſae non ſunt vnius generis; nempe Diſpoſitio partium naturalis omnium, a parentibus accepta, humorum et ſpirituum; praeterea aëris, cibi, potusque, et reliquarum rerum, quibus utimur, conſtitutio bona, et ſi quae ſunt alia: ita haec omnia morboſi etiam corporis cauſae fiunt, quoties peruerſe et praeter rem vel accidunt, vel naturales terminos excedunt, aut quouis modo corrumpuntur.

§. X.

Quandoquidem vero non tantum doctrina haec ordine tradenda eſt, qua morbus, tanquam a priori appareat, quomodo generetur et fiat, ſed etiam neceſſum eſt a poſteriori, iam factum agnoſci poſſe, et ubi iam adeſt, hominemque affligit, qualis et quantus ſit, et cum tanta ſit cauſarum varietas, ex quibus ille ſit ortus, quidve ſperandum aut timendum ſit, perſpectum habere. Hinc duplex Pathologiae nobis ordo naſcitur, ut in duas partes ab auctoribus ſit diſpertita, Prima nomen retinet, vel etiam Νοσολογία nuncupatur, quae naturam morbi nobis aperit, a cauſis incipiens, et deſinens in ſymptomatis. Altera verſo prorſus modo a ſymptomatis ad morbum et cauſas producit lectores, et Cημειοτικη vocatur, ſunt enim ſigna fere ſymptomata praecipua, quibus tanquam progenie ſua prodit ſe morbus. Sed rem ipſam aggrediamur.

PATHOLOGIAE
SECT. I.
DE MORBO IN GENERE.
CAP. I.
DE MORBI NATURA ET DEFINITIONE.

§. I.

Tria rerum, quae praeter naturae inſtitutum nobis accidunt, genera eſſe oſtendimus: Morbos, cauſas, ſymptomata. Morbi autem duplex conſideratio eſt: communis altera, altera ſingularis. Communis ea complectitur, quae omnibus in vniuerſum conveniunt, ſingularis, quae ſingulis propria ſunt. Illa huius eſt loci; alteram per ſingulas enarrationes hic referre ut in phyſiologicis conſueuimus, fas non eſt, neque fieri poteſt. Non tamen id foret inutile, vel catalogum exhibere morborum, ut ſaltim notitiam nominum tyronibus impertiamus. Sed de eo alio tempore videndum eſt. Nunc vſum receptum ſequemur, et typum vniuerſorum morborum mox in tabula ſaltim exhibebimus. Nihil autem nos mouebit recens noſtrorum ratio, quo minus, more vt omnibus antiquis recepto, ſic optimo, ſi quis recte uti ſciat, et vtiliſſimo, nunc autem vili nobis et neglecto, quaerendum eſt: Quid ſit morbus?

§. II.

Neque enim ferri aequo animo poteſt ſupina iſta noſtrorum Philoſophorum negligentia, dicam an inſcitia, qua definitiones, tanquam inutiles, aut meras nugas ſpernunt, et reiiciunt, ſine quibus tamen omnis philoſophandi ratio elumbis eſt, et lacertis ſuis carens. Firmo enim,cui innitaris, fundamento deſtituta flexilis in vtramque partem ſemper eſt oratio, friuolis diſceptationibus et inanibus logomachiis expoſita, quibus accurata rerum cognitio ſuſpenditur, doctrinaeque veritas miſere dilaceratur, petulantiſſimis cujuslibet inſultibus patens. Sed qui poſſunt aliter, cum demonſtrationis prorſus ignari, fontes, e quibus limpidiſſimas has aquas deducant, ignorare ibidem cogantur? Hoc malum ſequitur alterum, vt, ſi vel optime cum iis agatur, non tamen niſi ex probabili, diſputationes eorum procedant,

et

et loco veritatis et certitudinis opinionem, eamque ſaepe numero falſam, hoc eſt: *nubem pro Iunone* amplectantur. Quam HIPPOCRATES malum theſaurum (a) κακον θησαυρον, καὶ κακον κειμηλιον appellat, καὶ ὄναρ καὶ ὕπαρ. Neque enim ubique tam iactata iis mechanica demonſtratio locum habet, etiamſi more eorum vim vocis latiſſime extendas: et ubi locum habet, plerumque non niſi via eſt ad veram illam alteram demonſtrationem, indeque definitionem conſtruendam. Vt autem, qui in via itineris ſubſiſtit, finem locumue, quo tendit, numquam aſſequitur, ſic non ſapiet per experimenta, et mechanicam, niſi qui inde vniuerſalia et juſta fundamenta artis conſtituere ſciat.

§. III.

Sed hic non eſt iſta diſceptandi locus, nec de Definitionis legibus prolixe referre conuenit, quamuis propter juventutem id prope neceſſarium foret, quae hodie ad omnia potius alia, quam iſta ducitur. Pauca ergo tantum monebo, quae nemini olim, qui vel ſupremis labris Philoſophiae praecepta deguſtauerat, erant ignota, et nunc eſſe debebant: Geminum nimirum eſſe definitionis genus, unum eorum, quae ex ſe ſubſiſtunt, unde ſubſtantiae ex QVINTILIANO petito verbo logicis appellantur, alterum eorum, quae non niſi horum beneficio, et in his inhaerentia: quae accidentia, et proprietates appellitant. Ex his etiam eſt morbus. Horum ea eſt conditio, ut genere, ſubjecto, et cauſis perſpectis, res ipſa cognita habeatur, et compleatur definitio. Hic itaque eadem ſollicite conſectanda erunt, ut, quid ſit morbus, et quomodo a reliquis, praeter naturam nobis contingentibus, diſcernatur, in aperto ſit. Ad id ergo accingimur, prius dicturi de eo, in quo morbus haerere ſoleat.

§. IV.

Subiectum morborum eſſe corpus; *adaequatum* quidem, hoc eſt, quod aequet generis latitudinem *omnium animalium*, praecipuum vero et nobilius, et quod pluribus prae ceteris morbis obnoxium eſt, quodue nos propius tangit, *humanum*: non tamen qua tale eſt; ſed qua ipſe etiam homo animal eſt, ſupra monitum, nullamque dubitationem habet. Qua autem homo eſt, et ratione utitur, moralis diſciplina ei medicinam parat, et, ſi recentiſſimorum quorundam non faſtidimus ineptias, etiam λογικαί, hoc eſt Rationalis. Corpus porro huma-

(a) εν νόμω.

humanum interpretamur, quod ex organis ſiue inſtrumentis concrevit, animae, vt organicum, inſerviens. Excludimus itaque e corporis compage quicquid organicum non eſt, hoc eſt proprium ſibi munus et functionem non exercet. Quo facile apparet, non niſi ſolidas partes in hunc cenſum admitti poſſe, quibus vnice nomen partium competit, cum faciunt unice ad integritatem totius, et ſolae habeant functiones proprias. Nam humores et Spiritus non niſi commune reddunt officium omnibus, quando iſti quidem vitae, hi vero motus ſenſusque principium inferunt.

§. V.

Quo poſito, amplius audiendi non ſunt, qui etiam humorum et Spirituum morbos nobis commemorant. Quod non faciunt doctrinae legibus coacti, neque rei neceſſitate aliqua, neque priscorum auctoritate adducti, ſed ex mera illius Philoſophiae partis, qua quid totum, quid pars, doceri ſolitum eſt, ignoratione: quare et noua haec haereſis, noſtro demum tempore, vbi deſpectu iſta eſſe cepere inualuit: aut, ſi qui occurrunt medii aevi, (ita voco inter Graecos Arabesque, et noſtrates medios ſcriptores) vel ad cor prius retulerunt Spiritus, vel tam confuſe rem propoſuere, vt ſtatim prima fronte appareat, nihil veri ſubeſſe dogmati: prout id apud SENNERTVM (c) videri poteſt. Videntur autem hic protenus ſui obliti, qui corpus nil niſi machinam eſſe compoſitam ex plurimis aliis machinulis, ad ravim vsque clamitant. Si quid enim veri huic aſſerto ſubeſt, (vti fatemur eſſe plurimum, quippe cum hoc ipſum ſit, quod olim dicebatur, eſſe corpus organicum. Nulla autem profecto occurrit machina, quae tam apte comparatur cum corpore, quam mola; vbi molitoris vice animam fungi dicas, ſanguinis riuulum immiſſam ſuperius aquam referre, quae motum, et quaſi vitam molae largiatur, vt in illa, quae vento agitatur, Spiritus, aerque commotior aquae locum occupat. Vbi corpus noſtrum vt ſunt naturae opera vbique praeſtantiora, quod duplici principio motus gaudet, vtroque fluido opus habet, ſanguine vitam, Spiritu vero ſenſum et motum inferente. Ecquis vero tam fuerit amens, vt aquam rotas circumducentem, aut ventum impellentem partibus molae adnumeret?

§. VI.

(c) *Inſtit.* 4. 51. p. 136.

§. VI.

Quod ſi quis regerat: aliam rationem eſſe, haec enim extra molam eſſe poſita, in eamque infundi impetu alieno: at iſta in corpore ipſo contineri, adeoque pro partibus habenda; in promtu eſt reſponſio; Verum quidem hoc, neque hanc unam eſſe diſparitatem, ſed hanc etiam, quod cum Spiritu iſto ſimul robur influat, quo pro neceſſitatis ratione, eo recepto, tanto polleant partes ſolidae, quantum pro organi magnitudine nullum majus eſſe poſſit, et per totum vniuerſum ſimile nullum occurrat. Verum id nihil derogat aſſerto noſtro, quippe cum etiam anima tanquam Spiritus intus agit, quae hoc cenſu itidem foret pars corporis. Quin eo ipſo, quod continentur, nullo modo pro partibus haberi poſſunt: nihil enim, quod contentum in altero eſt, continentis eſt pars, niſi continuum illi, et vno tractu conjunctum. Certe nullum fluidum ejus, in quo continetur, pars ullo modo haberi poteſt. Nam ad hoc, vt aliquid ſit alicujus pars, omnino neceſſum eſt, vt cum eo cohaereat, et conſtituat vnum numero. Quod de humoribus Spiritibusve dici non poteſt. Taceo alia multa, quae alibi expoſui. (d) Vt, quod non faciant ad integritatem totius, cum poſſint a corpore abeſſe, vt tamen maneat integrum, et quod pars eorum ſingulis momentis pereat, poſſitque exhauriri citra noxam.

§. VII.

Cum itaque fluidorum vtrumque genus ex numero partium excludatur, adeoque ad corpus, quod eſſe totum integrale, omnes fatentur, non pertinet, iis, in quibus morbi hoſpitantur, accenſeri non poteſt. Cum enim antea ex GALENO oſtenſum ſit, cenſeri eos ex laeſione functionis cujuscunque organi, et hanc eſſe ſignum et Ζεκμηριον ſanitatis, ſi quis omnia actionum inſtrumenta ſalua habeat, ibi morbus nullus eſt. Vbi tamen non negamus, corporis partes viuentes nos intelligere, ne quis nodum in ſcirpo quaerat. Neque tamen in partium numerum ideo recipi humores ac Spiritus par eſt. Ea enim, *ſine quibus non peragitur* aliquid, non agentis, ſed potius alia ratione concurrentis cauſae nomen ſortiuntur. Quod ſi lubeat cuncta accuratius perpendere, palam fiet, vt in ſolidis morbos ſic in fluidis cauſas potius morborum quaerendas eſſe. Quapropter non modo veritatis, ſed et medicae

(d) *Analect. Anatom. Phyſ. Exerc.* 2.

dicae vtilitatis gratia huic dogmati ſubſcribendum, quoniam methodus medendi, niſi probe ab inuicem haec diſtinguas, obſeruari rite non poteſt, cum alius morbi, alius cauſae curandae modus debeatur, nec parum interſit, vtraque diſtinctim, et ſuo quodque loco cognoſcere. *Et Certe ſi methodus medendi turbari* (SENNERTI *verba ſunt*) (e) *et iudicatio curatiua cum praeſeruatiua confundi non debet, neceſſe eſt, vt diſpoſitiones humorum cum diſpoſitione partium non confundantur, nec morbi humoribus et excrementis* (ſubſtitue: *et ſpiritibus*) *tribuantur.* Turpis ergo hallucinatio eſt, morbos humorum et ſpirituum commemorare, qui tamen hic locum non inveniunt, niſi forte latisſime morbi nomen accipiendum quis putet, omniaque miſceri fas eſſe, quod medicum Philoſophum minime decet, cui quam accuratisſime loquendum eſt, praeſertim de rebus, quae hanc ἀκρίβειαν non modo pati poſſunt, verum etiam exigunt. Eadem mens eſt SENERTI, (f) qui plus hic iudicii, ac eruditionis Philoſophicae attulit, quam omnes noſtri recentiores.

§. VIII.

Sed de humoribus quidem res videtur ſatis plana. At enim de ſpiritibus vnus etiam ſcrupulus reſtat non contemnendus. Duplici enim conſiderari poſſunt et ſpectari facie. Vna, qua influunt in partes, motus ſenſusque in eas devehentes principium: altera, qua in cerebro permanentes, proprio ſuo motu cogitationes conſtituunt, animae cognoſcitivae et ratiocinantis proxima inſtrumenta. Has quoque actiones non raro interverti, cum ſoporoſis affectibus, ut Apoplexia, lethargo, caro, et ceteris eiusmodi, tum et deliriis, mania, phrenitide, furore quocunque, in aperto eſt: Hic ergo, cum nulla corporis ſolida pars laedatur, quo referenda haec ſint, non patet. Et vulgo quidem plerumque ad actiones laeſas, adeoque ſymptomata referuntur, ut in SENERTO, (g) aliisque videre eſt. Vt autem negandum non ſit, ſaepenumero eo pertinere, quoties nimirum morbis aliis ſuperveniunt, tamen ſi hic laedatur actio cogitandi primo, et nullo alio morbo praeeunte, morborum claſſi eximi iure non poſſunt; ſive iam phantaſia laboret, ſeu aberret memoria, ſeu ipſa ratiocinandi facultas vacillet: omnia enim iſta a motu ſpirituum vitiato contingere, ex Phyſiologicis, vt a nobis ſunt tradita, ſciri poteſt. Cum ergo hic nulla pars corporis vitiata ſit, neque animam laborare dici poſſit, quod illa immortalis

ſit,

(e) *cit. loc. p. 137.* (f) *cit. loc. p. 137.* (g) *Inſt. II. 3. 2. 4.*

ſit, quia ἀπαθὴς, videntur haec omnia ad ſpiritus pertinere, qui ſoli ſunt animae proxima inſtrumenta. Quod etiam ex eo cognoſcitur, quia et reliquis animalibus furere contingit, quibus loco animae illius immortalis eſt aliud quoddam principium motus ac ſenſus, inferius noſtro. His lucem fortasſis aliquam affundere poteſt, quod ex ARISTOTELE notum eſt, (h) functiones quasdam corpori ſoli tribui, quasdam animae et corpori ſimul, et utrisque eſſe communes. Hae ergo, quae communes ſunt, in corpore, non autem a corpore, eiusque partibus fiunt, et omnino conſtituunt genus affectuum peculiare, quod morbos appellare, par non eſt, et cuius hae ſpirituum affectiones, cauſae potius ſunt, quam ipſi morbi, actiones enim, non partis alicuius corporis, ſed animae illius ſentientis et percipientis, hic laeduntur: non ex ſe, ſed ratione proximi illius inſtrumenti, et quaſi per errorem externum. Non tamen propterea mentes diſcentium turbandas exiſtimaverim, ſed inter capitis morbos internos hos eſſe recenſendos aut cerebri, ut hactenus eſt ſolitum: quod in cerebro fiant, tanquam in loco. Nam cogitatio eſt quaedam ſpirituum per medullares eius fibras quaſi prodeambulatio, quae prout fit placide, et ordine naturae conuenienti, conueniens, vel, ſi turbulente, et prave, inconueniens eſt habenda: Non abeunt autem iſta multum a morborum natura, cum organa hic quoque laborent nimia ad motum vel tarditate vel velocitate. In motu enim eorum officium vnice eſt poſitum.

§. IX.

Caeterum huic morborum generi vel *Archei* vel *Idearum* qualescunque affectiones admiſceri prorſus nolim, cum ea vtraque ſobria Philoſophia, illique ſuperſtructa vera Medicina protenus ignoret, Archei enim nomen, omni antiquitati ignoratum, ſupra docuimus, Paracelſi inventum eſt; quod vel ſpiritus animales notat, vel prorſus nudum eſt nomen et inane. Certe nec *Paracelſus* eius auctor ac parens, neque HELMONTIVS, qui tanquam patre orbem, filium hunc infelicis foeturae adoptavit, qualis ſit, nec prodiderunt usquam, nec prodere potuere, quamuis mira de eo ſubinde praedicantes: *vt per occaſionalem cauſam* (per quam eandem novi Philoſophi Deum admoneri, vt faciat officium, et moueat omnia haec inferiora, ſomniarunt) irritari, indignari, in iram coniici, in excandeſcentiam, ac furorem, indeque tu-

(h) *Lib. de ſenſu et ſenſili cap. 1. de anima Lib. II. c. 1.*

multuari in corpore, et morbos inducere; blandis et gratis medicaminibus placandum et reducendum in gratiam, ac alia eiusmodi, tanquam hominem eum conſiderantes, affectibus indulgentem. Haec autem quam ſint abſurda, et prorſus nullo modo toleranda, vel ſponte ſua quilibet videt. Finxit enim hic nobis HELMONTIVS poſt PARACELSVM nouum ens, ſpiritum corporeum, qui praeſit actionibus corporis; eumque ſui impotentem, et qui regi ipſe habeat neceſſe: qui ergo regeret corpus? Totum itaque hoc figmentum inſtar ſuauem fabulam Philoſophicam intueri oportet, et, vt ſolemus hiſtorias mentientes, quas Romans dicunt Galli, poſtquam legimus, abiicere. Fortasſis autem HELMONTIO non in proprio cerebro huius noui ſpiritus ortus, ſed ex CAMPANELLA nata eſt occaſio. Nam febrim eſſe dixit *iram naturalem, et accenſionem ſpiritus ad vindictam*, qui accenſus ſponte, ſe ſanguini miſceat, eumque depuret: qualem prorſus ſimilem ſuum inducit Archeum HELMONTIVS.

§. X.

Reperto morbi ſubiecto, *Genus* etiam exquiramus: de quo non minor Medicorum Doctorum diſſenſus eſt. GALENVS qui primus omnium in ſyſtema legitimum artem redigere conatus eſt, modo *Affectum praeter naturam*, (i) modo *ſtatum quendam praeter naturam*, (k) LINAERO interprete, modo *conſtitutionem, ſeu diſpoſitionem praeter naturam, qua agendi facultas laedatur*: Διαθεσιν παρα φυσιν ὑφ ἡς ἐνέργεια βλαςατεται eſſe dixit. His omnibus tamen, ut ipſe teſtatur, idem ſignificans. CHRISTOPHORVS A VEGA (l) cum quibusdam aliis *Relationem* eſſe prodidit: alii ἀμετριαν, praeeunte rurſum ipſo GALENO; prout haec apud SENNERTVM (m) legi poſſunt et MOEBIVM. (n) Vbi tamen non tam diſſentiunt inter ſe, quam varie mentis intentionem inflectunt, adeoque varie etiam loquuntur. Et GALENVS quidem, ſerio et ακριβῶς loquens, διαθεσιν; laxius et communi ſermone utens, affectum, aut ſtatum dixit morbum. Relationibus accenſuit VEGA, logica praedicamenta reſpiciens, quae olim decem rerum genera exiſtimabantur eſſe, cum non rerum, ſed praedicandi voces de aliis ARISTOTELI ſint modi, quod alibi oſtendere in promtu eſt. Non tamen

(i) Lib. *de Diff. ſympt.* c. 1. (k) *Ibid.* (l) *Lib. III.* de *art. Med.* (m) *cit. loc.* (n) *Epit. Inſt. II. 1. 1.* qui optime de Relatione morbi diſſerit.

tamen repugnat morbum eſſe relationem, alio ſenſu conceptuque, tametſi vera eius natura in eo non ſit quaerenda. Ipſe SENNERTVS, qui merito a me aliis praefertur, *Impotentiam actiones obeundi* morbum definiendum cenſuit, quia non in ipſa actione, ſed agendi potentia ſit ſitum, vt quis ſanus habeatur, nam et dormientes ſanos eſſe. Cui nos iam olim aſſenſum noſtrum negavimus, quoniam *potentia eſt facultas animae, quando a facultatibus animae*, vt ipſe ait (o) *omnis actio procedit*, animae autem facultas ad medicum nihil attinet: res enim nobis eſt cum corpore, quod totum ex meris inſtrumentis, ſive organis conflatum eſt, quae in ſe potentiam agendi non habent, quippe plane pasſiva, ſed recipiunt per influxum ſpirituum animalium ab anima; uti haec cuncta iam ante monuimus.

§. XI.

His ergo relictis, dicamus ipſi, quid ſentiendum, et quodnam verum genus morbi habendum ſit. Cognoſcitur autem id optime, vt probe SENERTVS monuit, ex oppoſito, ſanitate: *contrariorum enim eadem eſt ratio. Sanitatem* autem diximus eſſe *conſtitutionem corporis ſecundum naturam, ad actiones obeundas idoneam.* Erit ergo ex lege contrariorum *morbus conſtitutio corporis praeter naturam, ad actiones obeundas non ſatis idonea, easque laedens.* Vbi *conſtitutionem* toti corpori, diſpoſitionem partibus, docendi cauſa, tribuere placuit, cum vtrumque verbo Graeco διαθέσεως ſignificetur. Nam cum totius corporis integritas ex diſpoſitione ſingularum partium conſtituatur, placuit iſta loquendi ratione vti; partes vero etiam nonnunquam eſſe in cauſarum claſſe poſtea docebitur. Non tamen hoc eo accipiendum eſt, ac ſi quouis morbo vniuerſum corpus laborare intelligatur, hoc enim non niſi vniuerſalibus in morbis locum invenit: ſufficit ad eum conſtituendum, ſi vel vna eius pars, imo particula prave ſit diſpoſita: vnde tum demum, ſi manifeſte, et notabili ratione laedantur actiones, morbus adeſſe dicitur. Requiritur enim in morbo, vt ſit res ſtabilis ac firma, quae non tam promte, et ſua ſponte recedat. *Vid.* SENERTVS. (o*)

§. XII.

Dum autem conſtitutionem corporis, et diſpoſitionem partium morbum eſſe dicimus, modum eſſe ſubſtantiae, non ſubſtantiam, vt

(o) *cit. loc. p. 128.* (o*) *ib. pag. 143.*

PARACELSVS, HELMONTIVS, aliique Philoſophiae imperiti prodere ſunt auſi, intelligitur. Id illi, vt crederent, adducti ſunt, partim haereditario morborum traduce in epilepſia, Phthyſi, Podagra, partim quod reiecta materia febrili, febrim ceſſaſſe viſum ſit. Quin quod et Medicus ſaepe tum curet morbos, cum educit ſubſtantias, calculos, arenulas, vermes, humores vitioſos, cauſam a morbo non diſtinguentibus. Omnia enim iſta cauſae ſunt morbi, non ipſe morbus. Aliqua etiam in effectibus morborum collocanda. Paucis: Morbus non eſt ſubſtantia, ſed in ſubſtantia, et ſubſtantias cauſas habet, earumque cauſa eſt: vt doctrina non eſt animus, ſed in animo, animique modus, quo eum format.

§. XIII.

Qualis autem ſit ille *modus ſubſtantiae*, ſi quis me vrgeat, dictum putet. Neque enim ad Praedicamenta Ariſtotelica hic tam ſtricte reſpiciendum eſt, tum quod non recte acceperint hactenus noſtrates hoc graecum verbum, *κατηγορίας*, vtpote quod appellationem, et pronunciatum ſermonem manifeſto infert, non verum genus: tum etiam quod ſi morbos propius inſpicias, non vnius generis eſſe deprehendas: vt diſpoſitio illa *modo* ad *qualitates* pertineat, tactiles, quae ad tertium ordinem Ariſtotelicarum qualitatum referendae: vt intemperies, *modo* ad *naturalem potentiam* paſſiuam licet, adeoque ſecundam claſſem. Neutiquam ad primam, vtpote quo loco diſpoſitio accipitur pro tali, quae ſtudio et induſtria ſit acquiſita, et qua naturae dona augentur et explicantur, iſta autem diſpoſitio, de qua nos agimus, naturalis eſt, adeoque comitem habens naturalem impotentiam, v. g. movendi membra, ſeparandi humores etc. *Modo* etiam ad *quantitatem* referri poteſt, vt ſextus digitus, tumores, modo ad alia: prout hoc cap. ſeq. pluribus patebit. Tu interim de vocis huius vero ſenſu conſule SENERTVM, qui etiam de hac perdocte et eleganter agit. (p)

§. XIV.

Interim *Conſtitutionis* ſeu *diſpoſitionis* nomen ideo impotentiae praeferendum fuit, quod impotentia nihil dicat, nec ad curationem nobis quicquam vtilitatis afferat, diſpoſitio vero aut conſtitutio praeter naturalis rationem agendi, et reſtitutionem in integrum ſecum illico afferat, quidue agendum moneat. Quod ipſe agnoſcit SENERTVS: *Tamen,*

(p) *Inſt. loc. ſaepe citato, p. 141. ſeq.*

Tamen, aiens, *cum ex ea definitione nec morborum differentiae, nec indicationes peti poſſint, Medicus vero omnia ad ſanitatis conſeruationem et inſtaurationem dirigat*, GALENVS *pro formali cauſalem definitionem ſubſtituere voluit, et Lib. de differentiis morborum cap. 2. definiuit ſanitatem omnium corporis partium naturalem conſtitutionem, morbum vero praeternaturalem.* Aberrat autem non nihil a vero tramite SENNERTVS, dum *non formalem, ſed cauſalem* hanc GALENI definitionem exiſtimat; eſt enim omnino illa formalis. Dicit enim veram et formalem rationem morbi, cum impotentia ſit conſequens et effectus, non rei eſſentia, minime cauſalis: Cauſalis enim definitio Philoſophis eſt, non quae cauſam generis in locum collocat, ſed quae cauſam generi et ſubiecto addit, adeoque illam perfectam reddit. (q) De cetero, eam rem omnem optime, ac plane ad noſtram mentem tradit, dum ait porro: (r) *Cum dicitur, morbum eſſe conſtitutionem partium, ob quam laeduntur corporis actiones, idem eſt, ac ſi dicatur, eſſe talem diſpoſitionem partium, ob quam corpus ineptum et impotens reddatur ad exercendas actiones naturales et conſuetas.* Quae cum ſint clarisſima, non diutius iis immorabimur, ſed ad cauſam morbi, quae eſt tertium membrum definitionis, tranferemus ſermonem.

§. XV.

In his autem non diu herebimus: iamtum enim conſtat, conſtitutionem corporis recedere a naturali ad praeternaturalem, vel partibus ipſis vitiatis, vt cum pectus quis gibboſum nactus, pulmones expandere prohibeatur, vnde Aſthma ſubnaſcitur. Eſt ergo thoracis anguſtia a mala conformatione procedens, cauſa illius morbi: vel humoribus corruptis, vt ſi ſanguis bilioſis particulis abundat, aut pituitoſius ſerum in vtero mulierum menſes obſtruendo profluere non permittit, aut nimis acre erodit cutim, vel tenuitate ſanguis haemorrhagia prorumpit nimia: vel denique ſpiritibus nimis ad motum promtis epilepſia, aut vitiatis, phantaſia corrupta ac delirium oriatur. Hae cauſae primae et proximae ſunt morborum, reliquae longius abſunt, nec in definitione memorandae.

§. XVI.

Cum autem et ipſae hae, et ſymptomata quoque non minus, quam morbi actiones laedant, neceſſum eſt, etiam addere aliquid definitiuo ſermoni,

(q) v. BECHMANN. aliorumque *Logicam.* (r) *in fine cap.*

ſermoni, quod morbum ab vtroque praeternaturalium harum rerum natura diſtinctum exhibeat, quod vulgo differentiam ſpecificam ſolent appellare artifices. Nam ſi et genus, et ſubiectum, et cauſas componens, dicas iam: *Morbum eſſe conſtitutionem corporis praeter naturam, actiones laedentem, a partium, humorum, vel ſpirituum vitio aliquo prouenientem*, idem et cauſis aptari poterit, et ſymptomatibus: quomodo crasſities materiae, obſtructionem pariens, laedit ſeparationem in viſceribus, aut ſtercorum excretionem: non tamen crasſities illa morbus eſt, ſed cauſa, et dolor capitis poſt vigilias in febribus laedit actiones ſpirituum, non tamen eſt morbus, ſed ſymptoma.

§. XVII.

Itaque, vt haec diſtinguantur a morbo, addendum eſt, laedere actiones *Primo*. (s) Hoc eſt primo ſtatim, vbi inductus eſt loco, nullo intercedente alio, neque praeeunte. Vt adeo perfecta et omnibus numeris abſoluta morbi definitio nobis talis exſurgat: *Morbus eſt corporis humani conſtitutio praeter naturam, laedens actiones primo, a partium, humorum, vel ſpirituum vitio aliquo proveniens.* Vbi Genus eſt conſtitutio p. n. actionem laedens primo, quo verbo diſtinguitur a ceteris rebus praeter naturae leges ſe habentibus in corpore: Ipſum vero corpus humanum cum ſuis partibus, vere talibus, integrantibus, ſubiecti locum occupat. Vbi ſi quis addendum putet *Viuens* per me quidem licebit, non tamen opus eſſe arbitror, cum ſponte intelligatur: neque vero corpus vita ſolutum corporis humani nomen amplius ſuſtinet, cum non ſit amplius corpus hominis, ſed cadaver, homo enim carens vita homo eſſe deſinit.

§. XVIII.

Quod autem haec definitio non reſpondeat amplitudini rei, vltro fatemur, nos enim partem tacitum illam ſelegimus morborum, qui nobis hominibus accidunt, animalibus ceteris mulomedicinae relinquentes, quorum hodie curam fabri ferrarii, quod ad equos, bubulci ad boves, et quibus cuſtodia cuiuslibet pecoris commiſſa eſt, in ſe ſuſcepere.

§. XIX.

Vnum adhuc monendum: In viſceribus nonnunquam laedi actiones, nulla quidem parte laeſa, ſed materia, quae elaboranda aut agitanda

(s) Idem iam GALENVS monuit *de diff. Morb.* c. 7. col. m. 13. c.

tanda traditur, inepta rei, cui deſtinatur: vt ſi quis ita ventriculum oneret ciborum copia, aut obruat potu, ut non ſit vincendo: aut ſi ingerat alimenta duriora, quam ut confici poſſunt. Struthiocameli ferrum creduntur conſumere, at recentiores non in ſanguinem verti, ſed arrodi quidem, poſtea tamen reddi, et excitandi ventriculum, aut conterendi cauſa deglutiri, vt Gallinae arenulas et lapillos ſolent. Piſces praedatores acidum liquorem in ventriculo habent, quo integra animalia marina, hominesque, non repudiatis cute, cartilaginibus, oſſibus, ſpinis conſumunt. At nobis mitior, nec niſi mollibus herbis, et dentibus comminutis carnibus oſſiculisque conficiendis idoneus liquor datus eſt, ſi quis ergo duriora ingerit, facile vitium capiet concoctio, nulla ventriculo culpa exiſtente. Hoc vocant Medici: *vitiari actionem ob errorem externum.* Quo referri etiam poteſt, ſi propter ſcybala duriora quis obſtructione alui laborat, qualem in nobili femina triduanam vidimus, tanto circa anum dolore, vt cum eiulatu deſperabunda peteret medicinam. Laxativo propinato, et cliſtere mox applicato, duriſſima excrementa egerente, ſic momento illo ſibi reddita.

§. XX.

In his iam poſſet acquieſci, niſi obſtrepere haut ita dudum cepiſſet THOMAS SYDENHAM, (t) Medicus Londinenſis, nouo conatu aſſerens, morbum, quem olim omnes nobiscum rem naturae aduerſam crediderant, eſſe *Conamen naturae, et quaſi pugnam, aduerſus materiam peccantem.* Lubet eius verba proferre in medium. *Dictat ratio*, incipit, *ſi quid ego iudico, morbum, quantumlibet eius cauſae humano corpori aduerſentur, nihil eſſe aliud, quam naturae conamen, materiae morbificae exterminationem, in aegri ſalutem, omni ope molientis. Cum enim hominum genus variis impreſſionibus forinſecus advenientibus excipiendis aptum natum ſit, fieri non poteſt, quin idem variis etiam malis fuerit obnoxium: quae quidem partim ab iſtis aëris particulis naſcuntur, quae cum corporis humoribus male conuenientes in idem ſe inſinuaverint, modo ſanguini permiſtae corpus morbifico afflant contagio, partim a variis fermentationum generibus, vel etiam putrefactionibus humorum, in corpore vltra iuſtum tempus commotatorum, etc. oriuntur. Hiſce rerum circumſtantiis natura de eiusmodi methodo, ac ſymptomatum concatenatione ſibi proſpexit, quibus materiam peccantem atque alienam, quae totius fabricae compagem aliter ſolveret, poſſit excludere.*

Hoc

(t) *Obſer. de morb. acut. init. cap. 1.*

Hoc tam audax aſſertum etiam exemplis poſtea ſtudet obfirmare: *Peſtis quid, obſecro, aliud*, infit, *quam ſymptomatum implicatio, quibus natura vtitur ad particulas μιαςμωδεις, cum aëre inſpiratas, per emunctoria, apoſtematum ſpecie, vel aliarum eruptionum opera excutiendas? Quid Arthritis, niſi naturae prouidentia, ad depurandum ſenum ſanguinem, atque corporis profundum, vt cum* HIPPOCRATE *loquar, expurgandum? Poteſt et idem affirmari de plerisque aliis morbis.*

§. XXI.

Haec integra adducere placuit, ne vlla relinquatur de mente auctoris dubitatio: tantoque id magis neceſſarium credidi propter auctoritatem, quam hodie acquiſiuit maximam, et veriſimilitudinem dictorum. Quorum tamen vt fallaciam detegam, dabo operam. Primum ergo id quaeſiuerim merito, quid Naturae nomine intelligat? Cui non veretur *Prouidentiam* palam tribuere; ergone eſt res intelligens, quid facto opus ſit? An non hic agnoſcimus, HELMONTII Archeum, quem operoſe toties refutauimus, SYDENHAMIO ſub naturae nomine latentem impoſuiſſe? Nobis autem cum naturae leges ſint quidem cognitae, praeter earum complexum autem nulla alia Natura, directrix actionum naturalium admittitur. Illa natura provida futurorum incognita eſt: quicquid vero agit natura, id agit vi legum iſtarum, (quae ſunt leges motus) ex inſtituto Diuino Creatoris aeterni, nulla cognitione, ſed perpetua rerum atque euentuum neceſſitate, non ſpontaneo voluntatis imperio. Erit ergo natura haec Pulſus cordis, et influxus ſpirituum e cerebro perennis continuatio. Nam quod nonnulli hodie naturam eſſe animam prodidere, multis modis committunt peccatum. Primum quod animas, ſeu motus principia non diſtinguunt, dum per naturam rationalem animam intellectam volunt. At vero illi nihil rei eſt cum corpore, neque dirigit res naturales, aut vitales, omniaque, quae eius generis in corpore aguntur, ignorat prorſus: tantum abeſt, vt agat pro arbitrio atque ordinet, prout id facit in moralibus, et quae ſpontaneae actiones dicuntur. Hic enim primum cognoſcit per ſenſus, tum percipit, et agnoſcit, tum ratiocinatur, quo facto, diiudicat, bonum an malum ſit, denique vult, et exequitur. Quorum nihil in naturalibus et corporeis actionibus locum habet, ſed omnia fiunt, vt in machina compoſita, quam altera anima ſeorſim dirigit, perpetuoque circumagit motu, bruto ſenſu, aut nullo, ſi ad illam

ſpectes,

ſpectes, quae humanas actiones dirigit. Dum ergo ex norma legum naturalium in conſeruationem corporis fiunt omnia, (cui negotio ex inſtituto Diuino praeeſt inferior quaedam anima, quae tamen nec ipſa naturae nomen meretur, niſi cum legum iſtarum motus complexum vniuerſum adiungas) fieri haec ſecundum naturam dicuntur.

§. XXII.

Neque eſt negandum, naturam hanc in multis morbis multa agere, quae nobis mira videntur, quia ea non ſatis perſpecta habemus: idque non minus Sydenhamio nouit omnis antiquitas; falſum tamen eſt, eius conamina haec eſſe morbos, cum ſint potius pugnae contra morbos, quibus id agit, vt eos excutiat, et ſe ab iis liberet, dum laborat ſub eorum imperio. Hinc ſymptomata, quae contingunt, non naturae, ſed morbo debentur, eumque, et cauſas ſequuntur, invitis legibus naturae humanae. Vbi vero per criſes expugnantur, id caſu accidit, non conſilio, et ſecundum leges naturae vniuerſalis, non naturae particularis, quae humana eſt. Ex quibus cognoſcitur, quid de exemplis peſtis et podagrae ſit ſentiendum. In illa enim ad emunctoria amandatur materia peccans, quia vel calor, qui intus maior eſt, propellit tenuia miaſmata ad cutim, vel in bubonibus et carbunculis obſtacula inuenit, non transmittentia craſſam materiam: ſed idem etiam in aliis accidit: vt in ſcabie, quae ſaepe per contagium ſuſcipitur, nec prudentia naturae, tum materia praua expellitur, ſed fit, fermentatione praui ſuſcepti miaſmatis, quod idem in peſte accidit. Taceo, in multis morbis naturam ſe habere mere paſſive, vt in dolorificis affectibus permultis, conulſionibus, hydrope, deliriis, calculo: An ergo tunc morbus dicitur ipſius conamen? An potius externae rei in illam?

§. XXIII.

Haec etſi poſſint ſufficere euertendo penitus dogmati, ne tamen quicquam maneat reliqui, lubet etiam fontem erroris indicare. Is eſt, quod hi praeter cauſam morbificam et naturam nihil in corpore intermedii agnoſcant, quoniam craſſa illorum et ſenſualis philoſophia morbi conceptum non admittit, qui tamen ſumme eſt neceſſarius. Exemplo ſit vel vulnus, cuius gladius aut plumbeus globus cauſa eſt. Haec eadem res fuit et HELMONTIO cauſa innouationis, e cuius foetura etiam noua iſthaec forma pathologiae, omnibus ſeculis ignorata, prodiit.

diit. Certe quod HELMONTIO eſt Archeus, SYDENHAMIO eſt Natura, quod illi Ens occaſionale, huic materia morbifica, etſi is habuerit prius e *Campanella*, vt antea monui. Nam is febrim eſſe dixit *iram naturalem et accenſionem SPIRITVS ad vindictam.* Is ergo ſpiritus rurſum Archeus eſt, nec melioris notae WILLISII ſpiritus vitalis. Adeo, vt veritatis, ita et mendacii, et falſitatis mirus conſenſus ſit et conſpiratio; vt in rebus Fidei, Haereticorum lapſus, ſi verba ſpectes, multiplex, ſenſu ſaepe idem, aut conſimilis. Sed de natura morbi tandem ſatis.

CAP. II.

DE MORBORVM DIFFERENTIIS.

§. I.

Poſteaquam de morbi natura prolixe ſatis egimus, vt qualis ille ſit, conſtare iam posſit, proximum eſt, vt de differentiis, et variis generibus eius pari diligentia perhibeamus. Cuius in vniuerſum ea lex eſt, vt nihil, quod morbi fert nomen, non complectatur. Vt enim per rerum differentias, probe perpenſas, ad definitionem indagandam via eſt, quod iam dudum in Analyticis monuit ARISTOLES, ita vicisſim opus eſt, in definitione nihil poni, quod in diuiſionis membris enarrandis non rurſum occurrat. Quo tamen nomine non quasuis accidentales, ſed eſſentiales duntaxat differentias comprehendi, facile intelligitur.

§. II.

Morbum eſſe docuimus Diſpoſitionem corporis humani praeter naturam. Cum ergo corpus ſit totum integrale, quod ex ſuis partibus compoſitum eſt, quot ſunt partium diſpoſitiones praeternaturales, tot erunt differentiae morborum: hoc enim intellectui perſpicuum eſt. Partes autem vulgo dicuntur eſſe vel ſimilares vel diſſimilares, prout libro priore docuimus. *Similarium* vero morbos eſſe *intemperiem*, *et diſſimilarium* vel *in conformatione* vitium, vel *numero* vel *magnitudine* vel *ſitu*: prout apud Sennertum videre eſt. Sed in hac doctrina non pauca deſideres. Primum enim, ſimilares partes contemplari, non eſt Medici, ſed philoſophi, qui in his occupatur, tanquam ſyntheticus, et oſtendit ſuo more, ex quibus corpus ſit compoſitum. At medicus,

cus, non componendum contemplatur, ſed iam compoſitum accipit, qua eſt organicum. Nulla igitur hic occurrit pars amplius ſimilaris, ſed omnes partes ſunt organicae, et qua tales a nobis conſiderantur. Tum enim demum aegrotare dicuntur, cum actiones quibus deſtinantur, non amplius exercere queunt. Quodſi reperiantur quaedam in corpore partes ſimpliciſſimae, cum nihil in corpore agant per ſe, tanquam ſimilarium nulla earum habetur ratio.

§. III.

Deinde falſum etiam eſt, diſſimilares partes ex ſimilaribus eſſe compoſitas. Non enim natura parens, vt operarius, primum ſimplices partes ex quatuor elementis, ſeu corporibus primis, fabricat, deinde inter ſe coniungit, vt fiant compoſitae, ſed in natura omnia fiunt ſimultanea opera: prout id ex RUYSCHII *Theſauris* clariſſime patet; itidemque antea a nobis, vbi de generatione egimus, monitum fuit. Tum porro, ſimilares nunquam fere ſolae laborant intemperie, ſed illa intemperies mox protenditur ad integra membra, imo nonnunquam totum corpus. Ais: etſi id ita fiat, tamen intemperie laborare compoſitas, quia ex ſimplicibus conſtant, quae ſint ex illis primis. Erras, inquam ego. Nam quod illi ſupponunt, ſimilares ex illis quatuor primis corporibus, quae elementa vocant, componi, manifeſto falſum eſt. Ergo et primae illorum qualitates locum non inueniunt, quae componant temperiem. Denique ex Phyſiologicis notum eſt, aliud temperamentum eſſe mixti, aliud viuentis, et aliud hominis. Si ergo quae ineſt veritas aſſerto, ex quatuor primis eſſe corpora naturalia, de mixti intelligendum eſt temperie, ex quatuor primis qualitatibus conſtituti, non viuentis. Viuentis enim et maxime hominis longe alia conditio eſt, abundant enim animalia perfecta humore et calore, qui illis innatus, adeoque omnibus partibus eſt plurimus, vt temperamentum horum omnium ſit calidum et humidum. Ex quibus omnibus patet, intemperiem non eſſe ſimilaribus propriam, aut partes corporis, in quantum ex ſimilaribus componuntur, intemperie laborare, ſed quae humore vitali, ſanguine, in quo igniculus naturae natat, intus perfuſae ſunt. Eſt autem tota haec doctrina noua, ſi ad veteres Graecos ſpectes: certe GALENUS (a) primus docuit, intemperiem eſſe morbum ſimilarium partium: ex quo poſtea hae differentiae morborum aliis depromtae ſunt, quos deinde coeco impetu ceteri ſunt ſecuti.

 §. IV.

(a) *De diff. morb. cap. 4.*

§. IV.

Neque tamen propterea morbi intemperiei plane reiiciendi ſunt; etiamſi, vt fit in libris Practicorum, omnium viſcerum intemperiem calidam, frigidam, humidam et ſiccam commemorari, ſuperuacaneum ſit. Faciunt id autem ex AVICENNAE potiſſimum, tum et reliquorum Arabum conſuetudine, quibus nimium dare ſyſtematicis meditationibus ſolenne eſt, nulla inde poſtea vtilitate ſubſequente. GALENVS certe haud ita proceſſit, ſed in Lib. *de Diff. morb.* magis ad vniuerſales et obuias intemperies reſpexit; calidam in febribus manifeſtam, frigidam in membris gelu laeſis, ſiccam in phthiſi et atrophia, humidam in hydrope proponens. Haec ſane ex vero et perſpicue dicuntur. In viſceribus autem ſi calidum excipias, nomine inflammationis notam, rara eſt intemperies, ſi modo vlla alia vnquam eſt. Vnum tamen ventriculum frigidioris temperiei forte accuſare licet, ſi debilius concoquat, quia tum calidis internis, tum et veſtimentis, externum frigus arcentibus, emendatur id vitii. Calor enim concoctionem ciborum peculiari virtvte adiuuare deprehenditur. Multa vero aſſumimus frigida, inque eum ingerimus maxime potulenta.

§. V.

Animaduerſione autem dignum eſt, non homines duntaxat, ſed omnia quadrupeda, imo et reliqua animalia, dum viuunt, vehementer calere; piſces quidem et inſecta minus ceteris, tamen omni calore non deſtituuntur, etſi ſanguis piſcium frigidus nobis videatur, quia plus illis calemus. Praeterea et humida ſunt, quoniam vt abſque calore motus ſpontaneus nullus fieri poterat, ſic, quia flexilia ad hoc membra requirebantur, eadem neceſſitate humore opus erat, quo mollia euaderent. Inde calidi innati aſſertio antiquorum, et humidi radicalis mentio orta eſt, non temere reiicienda, ſed ſobrie explicanda et corroboranda. Nam quoties dicitur intemperie quid laborare, nil aliud intelligitur, quam vel caloris vel humoris exceſſus, aut defectus: nec morboſa intemperies a naturali temperie aliter, quam gradu diuerſa eſt, nec vlla hic exacta mediocritas, et Arithmetica ad iuſtitiam temperies pro norma eſt; ſed vniuſcuiusque propria, poteſtque vni eſſe maxime naturalis calor, qui in altero febrilem notaret intemperiem. Eſt autem cauſa intemperiei contrariae contraria. Nam calida et humida

mida oritur, ſi plus vtriusque ſubſtantiae, frigida et ſicca, ſi minus, quam par eſt. Vt hinc dici queat doctrinae cauſa, eam eſſe vel ex materia, vt dicas priores, vel ex defectu materiae, vt poſteriores: quae ſane veritati propius accedunt, quam illa huc vsque recepta diuiſio intemperiei cum et ſine materia, quae abſurda eſt, cum qualitas ſine ſubſtantia eſſe nulla poſſit. Vocabant autem intemperiem ſine materia, ſi quis caleret a ſole, non ab humore intus condito. Verum talis alteratio, cum cito transeat, aegritudinibus accenſeri vix meretur.

§. VI.

His ita expeditis, ad ſecundum membrum diuiſionis partium *Diſſimilarium* morbos transferamus ſermonem. Nam addidit ſuperioribus quidem, ſimilarium nimirum SENNERTUS, et nonnulli alii nouum morborum genus, quod Occultarum qualitatum nominarunt, quam nouam ſententiam ex FERNELIO potiſſimum hauſerunt: (b) verum ea, vt lubrico nimis fundamento innixa, cito corruit. Perſuaſum enim habebant viri illi doctiſſimi cum Philoſophis illorum temporum, formas rerum eſſe ſubſtantiales, easque coeleſtis originis, talesque ſingulis corporis partibus etiam adſcribebant. Has autem formas, ſeducti loco quodam Ariſtotelis male intellecto (c) *reſpondere elemento ſtellarum*, exiſtimabant, indeque procedere illos effectus, qui paulo obſcuriora ipſis videbantur, nec ex quatuor qualitatibus ſuis primis poterant enodari. In his porro confirmabantur GALENI quibusdam verbis, pariter praue interpretatis, quibus *quaedam agere viribus totius ſubſtantiae aſſerit.* Quod de hac forma coeleſti intelligendum iiii arbitrabantur: et hos effectus promanare ex illa. Huic itaque *qualitates occultas* adſcribebant; talesque etiam in reliquis corporibus, praeſertim venenis et medicamentis agnoſcebant, ab eadem forma ſtellarum elemento reſpondente acceſſendas. Hinc itaque porro nouum hoc morborum genus oriri docebant, quod *occultarum qualitatum* aut *morbos totius ſubſtantiae* appellabant: quales ſint peſtis, malignae febres, lues venerea, Hydrophobia ex morſu canis rabidi, et omnia venena cito interimentia. Hos itaque ſimilibus etiam remediis, occultis talibus qualitatibus eſſe curandos. In hanc ſententiam multa argumenta cumulauit SENNERTUS (d) vbi videri poſſunt.

(b) *L. 1. pathol. c. 7. et de Abdit. rer. cauſis II. c. 9. Argenterius de Morb. I. C. Scaliger Exerc. 37. Sect. XX.*

(c) De Gener. anim. c. 3.

(d) *L. II. 1. 4.*

§. VII.

§. VII.

Verum haec licet ſpecioſa ſatis approbationem tamen et conſenſum medicorum non inuenerunt. ARISTOTELIS enim locus de ſemine, non forma rerum omnium aperte loquitur, et de anima, quam aliquid magis diuinum fouere ait, quam in elementis corporeis reperiri poſſit, idque eſſe nobilius et reſpondere elemento ſtellarum, quod ipſe quintum etiam alibi, nempe *Libr. de Meteoris* eſſe prodiderat, quod examinare non eſt huius loci: ad morbos autem referri non poteſt. Neque magis tueri ſe poteſt Galeni auctoritate, qui non nouam hic naturam rerum intulit verbo totius ſubſtantiae, ſed id voluit: non ex quatuor primis, nudisque illis qualitatibus ea procedere, ſed ex miſtura particularum variarum exſurgere corpora, quae temperaturam, cum ſanguinis, tum partium corrumpere, et ea praeſtare poſſent, quae a ſimplicibus exſpectari non liceat. Et hos morbos totius ſubſtantiae appellauit, quod noua ex iſtis orta ſubſtantiae vis effectus praeſtet ab iis, quos primae qualitates ſoleant, longe diuerſas. Quae ſententia perſpicua ſatis eſt, neque nouum hoc agens, qualitatum occultarum nomen ſortiri poteſt, cum ſit ſubſtantia. Enimuero agnoſcimus et nos, το Θεῖον HIPPOCRATICUM *Diuinum in morbis*, et non omnia ſtatim manifeſta eſſe concedimus: neque tamen a noſtra ignorantia valet ad omnium hominum ignorantiam concluſio. Multa deteximus, quae SENNERTI tempore incomperta erant, multaque deteget poſterior aetas, et ſi occulta manerent plurima, non tamen ideo peculiare occultarum qualitatum genus conſtitui aequum fuerit, idque ad formas rerum et qualitates formarum referre. Certe longe aliter nunc de formis, quam illo tempore ſentimus, neque ſubſtantias eſſe diuerſas a materia credimus: ſed modus ſubſtantiae, quo vno tota haec doctrina ſponte ſua collabitur. Sed de morbis totius ſubſtantiae iterum agemus. *Sect. II. cap. 8.* vbi vide.

§. VIII.

Nunc ad propoſitum. FERNELIVS Gallorum medicorum ſui temporis Princeps, et ARGENTERIVS Italus, praeter dictos, quos ad formam referebant, etiam morbos materiae nobis commemorarunt, quales ſint Gangraena et ſphacelus, ubi tota materia corrumpatur: item mollities et durities praeter naturam, et ſi quae ſint alia. Idem LVDOVICVS MERCATVS prope facit: Verum iſta ſatis refellit SEN-

NER-

NERTVS, vt nos poſſimus tacite ea praetermittere. Quibus reiectis, potiore iure morbos Formae amplectemur; non tamen illius ſubſtantialis, ſed accidentalis, vt cum Philoſophis loquamur. Habent enim inſtrumenta omnia formam ſuam, e qua ἐνεργεια et functionis ratio vnice pendet. *Quantitatem, numerum, qualitatesque*, ſeu ſubſtantiae modos, *figuras*, atque alia, quae illa ipſa ſunt, quibus laeſis, in proximo eſt, vt etiam actio laedatur. SENNERTVS, qui haec ſatis bene diſpertitus eſt, omnia iſta vitia ſub nomine pravae compoſitionis tradidit. Nobis placet *conformationis* potius verbum, *a formae*, quae omnes qualitates complectitur, vna cum magnitudine et numero, adhibere, vbi, quid vetat ipſius ſermone, perſpicuo et plano, vti? (e) *Requiritur*, ait, *ad partis organicae conſtitutionem naturalem, primo partium NVMERVS, deinde conueniens earum MAGNITVDO, tertio CONFORMATIO iuſta, quae FIGVRAM, CAVITATEM, AVT SOLIDITATEM, et ſuperficiei LAEVITATEM AVT ASPERITATEM, et ſimilia, complectitur: denique opus etiam, vt pars quaelibet locum naturalem occupet, et, cum quibus opus eſt, connectatur.* Haec itaque quoties vitiantur, morbum inducunt: Ex quo apparet, quot genera morborum nobis ſint agnoſcenda, quae in compendio expoſituri, hanc ſubnectemus breuem tabulam.

§. XI.

Morbi laedunt functiones, quas praeſtat vel ſolum corpus, in ſe ſpectatum, vel Anima corpori iuncta; beneficio ſpirituum. Quae ſolum corpus, ſunt vel morbi intemperiei, vel conformationis:

I. *Morbi intemperiei* conſiderantur vel ratione
- 1. Cauſae, et tunc eſt intemperies vel
  - 1. Ex materia, vt calida et humida: vel
  - 2. Ex defectu materiae, vt frigida et ſicca.
- 2. Subiecti, quo modo eſt vel
  - 1. *Vniuerſalis*, vt Calida in febribus, ſicca in Hectica et atrophia, infantum praeſertim, et maraſmo ſenili: vel
  - 2. *Particularis*: eaque
    - 1. Calida: in inflammationibus viſcerum, et membrorum Eryſipelate.
    - 2. Sicca: in *Atrophia* partium.

3. Hu-

(e) SENNERT. *Inſt. II. 1. 2.* p. m. 162.

3. Humida, in Hydrope, quae aſcites dicitur; quo pertinet vaporoſa, in tympanitide.
4. Frigida, in congelatis membris.

II. *Morbi conformationis* ſunt ipſarum partium in ſe, et qua talium deflexiones a naturali conſtitutione vel ratione

I. Quantitatis
1. Continuae, vt Magnitudinis
1. In exceſſu
1. In triplici dimenſione, vt Intumeſcentia.
2. In longitudine, vt excreſcentiae partium.
3. In latitudine
4. Profunditate, } quae rarisſime occurrunt.
2. Defectu, vt membri cuiuscunque breuitas, tenuitas.
2. Diſcretae, vt numeri: in
1. Exceſſu, vt ſextus digitus,
2. Defectu, vt ſi digiti quaterni tantum.

II. Qualitatis:
1. Figurae, quae eſt vel
1. Externa.
1. Recta, quae permultis osſibus competit,
2. Obliqua, vt femoris,
3. Rotunda, vt in capitibus osſium. Haec raro vitiatur. At caput ipſum ſaepe deformatur.
2. Interna, qualis eſt
1. Concaua, quae vitiatur
1. In Meatibus
2. In cauitatibus } quae iterum peccant.
1. In exceſſu: vbi nimium patent.
2. In defectu, obſtructis vel obſesſis viis.
2. In qualitatibus ſenſilibus nimirum quales ſunt mollities, durities, aſperitas, laevitas, perſpicuitas.

III. *Morbi compoſitionis*, Hi ſunt vel

I. Contiguitatis: vbi pars locum mutat. Haec eſt vel
1. Partium duriorum, Osſium, vbi vocatur *Luxatio*, vel

2. Mol-

2. Molliorum, Inteſtinorum, vteri etc. vti et ani procidentia, quae in vinculorum *Laxatione* ſita eſt.

II. Continuitatis, vbi vnitas ſoluitur.

I. Vnitas ſoluta eſt vel
1. Mollium partium, vt in
   1. Vulneribus ſimplicibus,
   2. Vlceribus,
   3. Contuſionibus.
2. Durarum: vt
   1. Oſſium in
      1. Fractura,
      2. Eroſione, quae caries dicitur.
3. Mediarum, vt in ruptura membranarum, ligamentorum, cartilaginum, vaſorum, glandularum.

II. Vnitas oritur, vbi nullam eſſe oportebat, vt quando coaleſcunt digiti, inteſtinorum parietes, et vagina vteri.

§. XIII.

Tot ſunt varietates diſpoſitionis praeternaturalis in corpore, quae morbum conſtituunt. Caue tamen exiſtimes, eas non aliquando et cauſarum, et ſymptomatum copia tectas ſubire poſſe; ideo addidimus in definitione illud: *primo laedere actiones.* Nam cauſae non primo loco et proxime, ſed remote, et interueniente morbo, laedunt functiones: ſymptomata vero vel ſunt ipſae actiones laeſae, vel, ſi aliam actionem ac nouam laedunt poſt morbum, ſecundo loco habenda ſunt, quia poſt morbum, nec praecipuam, ſed minoris momenti functionem, et dependentia quadam a prima id faciunt. Sic humida intemperies in vlceribus eſt; ſed vt ſymptoma, fit enim, quia caro aut cutis diviſa ac nudata eſt, e qua ſerum ſtatim exſudat. In inueteratis vero, et mali moris vlceribus poteſt eſſe et cauſa continens, quod, niſi ea ſublata, et ſiccata carne, ſanari non poteſt. In oedematoſis pariter eſt cauſa. In Febribus, maxime hectica, ariditas et ſicca intemperies itidem eſt ſymptoma: frigida in moribundis pariter, extincto calore; in ſenibus eſt cauſa defluxionum crebriorum. Huius alias rariora in animali natura exempla ſunt obvia.

CAP. III.

DE MORBORVM DIFFERENTIIS RATIONE CONFORMATIONIS; ET

I. *DE MORBIS IN QVANTITATE.*

§. I.

Quantitatem eſſe vel continuam vel diſcretam, nota res eſt. Continua eſt certa quaedam materiae et determinata extenſio. Ad illam retulimus primum *Magnitudinem.* Non autem quilibet exceſſus ſtatim pro morbo habendus eſt, ſed is demum, qui laedit actionem. Ita in viſceribus magna ſaepe varietas reperitur, quae ſi excedunt in magnitudine, tantum abeſt, vt id laedat actiones, vt potius iuuet, aut ſaltim non noceat. Norunt Iudaei artem Gallinas ſaginandi, ita vt iecinora iis in immenſum excreſcant, nullo incommodo. Et nouimus quidem, quae HIPPOCRATES de magnis lienibus prodiderit, verum noſtrates, eos magnitudine illa obfuiſſe, non repererunt. Interpretanda ergo haec ſunt potius de membris partibusque externis, quibus tumores accidunt, multum nocivi, vt iis vti ſatis commode non poſſimus, quorum exempla in Chirurgicis obſeruationibus atque ſcriptoribus recenſentur.

§. II.

Neque minora quam pro more viſcera multum detrahunt, niſi ſint enormes diminutiones, quales rarisſime occurrunt: neque enim decreſcunt facile partes, ſemel a natura rite conſtitutae, niſi in atrophia, quae plerumque totum corpus occupat. Solet etiam natura viſcerum paruitatem numero duplicato compenſare: Inde toties bini lienes, renes terni, et tanta vaſorum copia in iis, qui minora habent, obſeruantur: quae omnia ad morbos non pertinent, ſed ſunt naturae luſus. Quoties autem pars quaedam vel corroſa, vel abſciſſa particula, vel alio modo laeſa ac conſumta, mutilatur, id fieri, ſine actionis illius laeſione non poteſt. Haec autem arte raro reſtituere licet, eoque nomine videndum, an ad medicinam hic defectus pertineat, cuius ſubiectum eſt corpus, *quatenus ſanabile.*

§. III.

Idem prorſus de iis, quae numero abundant aut deficiunt, credi par eſt. Iam tum monui, naturam eo ſaepe compenſare exiguitatem

tatem partium. Aliquando et ex abundanti materia, eiusque ex matre affatim affluxu plures fabricat, quam erat opus, et duplicat robur. Vt ſi quis ternos ſit nactus teſticulos, qui hinc maiore impetu in rem venercam ruit; vnde coactos nonnullos dicunt a mulieribus, vt exſcindere vnum ſibi paterentur: quod tamen fabulae ſimillimum eſt. Interim non niſi binis inſtructos, pari fortitudine officium feciſſe, nec minus numeroſa prole, quam extrema ſenectute ſe viros praeſtitiſſe novimus. Eſt tamen, vbi obeſt numerus partium: vt ſi quis ſenos digitos acceperit, qua ratione ad morboſa mconſtitutionem iure refertur.

§. IV.

Ceterum duplici ratione abundans partium numerus accipi poteſt: vno, quem diximus, quando certum numerum partium praeſcripſit natura, plures autem eiusdem generis reperiuntur, vt dentes duplicati. Altero, ſi plures ſint, novaeque partes ſuperadditae, alienae a corporis vera ſtructura: vt ſi quis cornubus per frontem praeditus ſit, adeoque partium in vniuerſum numerus ſuperetur. Ita HILDANVS narrat, ſe vidiſſe puellam, per totum corpus talibus excreſcentiis praeditam, cuius figuram exhibet. Mouetur quidem a doctoribus dubium, vtrum et illa, quae ſint extra humanarum partium, vulgo habitarum, naturam, in morbis in numero ſint admittenda: vt vermes, calculus, verrucae, aliaeque excreſcentiae, et tumores varii generis. Sed facile apparet, non eſſe, cum enim non ſint partes ſecundum naturam, neque etiam vitiatae aut abundantes partes poſſunt appellari. Firmaque haec eſt aſſertio: Quicquid ad corpus in naturali ſtatu non pertinet, id in partium numerum neque poſtea poteſt admitti: ſed, ſi eiusdem materiae ſit, unde partes ſolent formari, excreſcentias potius appellabimus: ſi plane alienae, ne has quidem augere, cenſendum eſt. Recteque talia toto genere praeter naturam dicuntur. Reliqua enim materia naturali ſunt, tantum forma debita carentes; haec neutro modo naturalia dici poſſunt. Sunt autem iſta plerumque cauſae morborum, vt parte huic proxima dicetur.

II. DE MORBIS IN QVALITATE.

§. V.

Ad *Qualitatem* praeter naturam accedo. Ea eſt certus quidam ſubſtantiae modus, quo ſenſus externi praecipue afficiuntur, eamque ſub certa quadam ſpecie animae offerunt. Hic primum ſe ingerunt

ſerunt *figurae*. Morbus autem et hic non eſt, niſi cum a naturali ſtatu ita recedit, vt actio quaedam rite exerceri non poſſit. Rurſum igitur viſcerum figura, quae varia occurrit, externa quidem non admodum obeſſe poteſt, raroque attendenda, cum praeter iſtud et lateat, nec a nobis cognoſci poſſit. Eſt autem attendenda praecipue oſſium, quorum rectitudo ſi mutetur, vt curua fiant, magna corpori vitia conciliantur: ſic dorſo aut pectore extrorſum flexo, Gibboſi redduntur, cruribus, vatii, valgi, vari, plauti, planci. Tum tendines muſculorum contracti flexuram articulorum vitiant, vt extendi non poſſint, et curua fiant membra. Et hi praecipui ſunt ex iſto genere morborum.

§. VI.

Internae vero figurae *in cauitatibus* quidem non admodum multae ſunt. Cauitates etiam ipſae in corpore haut frequentes occurrunt: Cordis, ventriculi, renum, veſicae, et in feminis vteri, Aurium denique oris. Horum quatuor morbos recenſet AVICENNA: *dilatationem*, *conſtrictionem*, *repletionem*, *inanitionem*. Nobis videntur appellanda priora *Amplitudo* et *anguſtia*: quorum haec multum obeſt, illa parum aut nihil. Vidimus ruſtici ventriculum, et produximus in theatro Anatomico Ienenſi, qui capiebat libras circiter triginta ſex, robuſti hominis, et optime valentis: at quibus anguſtior eſt, male habent, et multa patiuntur mala. Dilatantur autem, ſi diligenter, multumque infarcias. Inteſtinorum quoque anguſtia valde moleſta. Matrona quaedam frequentisſime obſtructionibus gravisſimisque inde ſymptomatis ſubinde obnoxia eſt, nullis remediis cedentibus. Vidi in cadaueribus aliquoties Coli inteſtini, vbi in rectum abit, cauitatem vix digitum aegre admittentem. Talem illi obtigiſſe arbitror. Cordis aut veſicae amplitudo minuta non occurrit. Ventriculi et renum etiam excreſcentiis internis, tumoribusque minuitur, et horum quoque calculo. A ſubſidentia parietum fame diuturna ventriculus minor fit; veſicam non fieri, ex CABROLII hiſtoria apparet, qui ſanauit puellam nobilem per vmbilicum vrinam reddentem ex vracho, quia meatus vrinarius membrana occluſus erat, ab incunabulis.

§. VII.

Meatuum morbi frequentiores, ſi vaſa omnia, et tranſitum liquorum per eorum anguſtias atque extrema conſideres. Vbi *obſtructiones maxime* omnium celebrantur: non tam frequentes, vt arbitror, ac vul-

go

go creditur. Certe, ſi cogitamus, humores, ſanguinem prae ceteris, ſatis quidem eſſe craſſos, attamen ita inter ſe miſtas, ex quibus ille conſtat, particulas, adeoque comminutas, vt dubitari poſſet, an vllae, quae ſoliditatis vel veſtigium prae ſe ferant, in eo reperiantur, apparet facile, etiam per minima, vaſorumque extrema tranſitum haut aegre concedi, praeſertim vrgente, pellenteque a tergo inſtante ſanguine ſubſequente: et viciſſim, cum videamus, omnia vaſa in plus, quam capillares extremitates attenuari, et nusquam tamen in corporibus, vtcunque ſanis, occurrere obſtructiones; imo in cadaueribus quoque aquam, vinum, lac per arterias in venas, ſyringa adigi non magna difficultate, hinc quoque colligitur, obſtructionem minus nobis, timendam, quam olim creditum fuit, cum in hypochondriaco malo, aliisque non paucis, nihil propemodum in ore erat, quam obſtructio vaſorum meſenterii, quae tamen a nullo unquam medico diſſectis cadaveribus reperta eſt. Et mihi quidem, fateor, primis, poſtquam me Medicae arti defoueram, annis, crucem fixit Obſtructio, cum non perſpicerem, qui fieri poſſet, vt, obſtructo vaſe, non circulatio, circa eam partem, quo tenderet, intercepto ſanguine, tota turbaretur? Qui ſcrupulus tamen, poſteaquam ex GRAAFII, NVKII, et celeberrimi RUYSCHII delineationibus, ipſisque corporum inſpectionibus didici, Anaſtomoſin eiusdem generis vaſorum tam eſſe frequentem, vt nullibi ſubſiſtere, ſanguis poſſit illico, ni vicina vaſa aditu patente facile exemptus eſt: verum ex eo ipſo etiam obſtructionis frequentia damnanda fuit. Non tamen omnino neganda eſt, ſed ex ea potius omnem inflammationem tremoremque ac duritiem viſcerum fieri exiſtimandum, de qua re in ſequentibus agendum erit.

§. VIII.

Sed vt rem ordine proſequamur, diximus meatus peccare, vel in exceſſu vel in defectu. In exceſſu rariſſime peccare, ſi amplitudinem vaſorum in medio ſpectes, videntur: quo quis enim meatus eſt largior, eo facilius transmittit, quod vehit, cui officio vnice deſtinatus eſt. Duplici tamen modo excedere poſſe tradunt, primum, ſi numero plures ſint; altero, ſi largiores. Illius exemplum affert SENNERTVS, cum bilis meatus duplex ex veſicula prodit, vnus in inteſtinum, alter in ventriculum, inde enim ad bilis vomitum procliues fieri: verum mihi hic potius vitium in inſertione, quam in duplicitate eſſe videtur; nam ſi et alter longius a pylore inſeretur, nullum foret a bilis

vomitu

vomitu periculum. At in extremis arteriarum triplex morborum genus, inueniunt Ἀναςομωσιν, διαπηδησιν, διαιρεσιν. Ἀναςομωσιν, cum vaſorum oſcula aperiuntur, διαπηδησιν, quando tunicae vaſorum rareſiunt, vt humores transmittant, veluti per poros, διαιρεσιν, cum diſciſſa, rupta, eroſa, ſoluantur per latera, et ſic humor diffluat.

§. IX.

Quod mihi non probant; ſola enim διαιρεσει contenti eſſe poſſumus. Poſtquam enim conſtitit arteriarum extrema in venas abire, ſemper aperta in eas eſſe, intelligitur, nec aperiri poſſe extrorſum, ſed erit haec anaſtomoſis vera ruptio circa extrema vaſis, non anaſtomoſis. Διαπηδησις (f) autem tota eſt ficta et vana, ex ſolo ingenio meditantium, et nimis ſibi indulgentium nata. Neceſſum enim foret, in arteriis fieri, non venis, quarum membrana id nullo modo admittit, craſſior enim, quam vt transſudare ſanguis queat. Deinde quid tum fieret? ſi in viſceribus contingeret, (excepto pulmone) non prodiret, ſed ſtagnaret ibi ſanguis. Si in muſculis, oſſibus, etc. etiam hic nullus ipſi progreſſus concederetur. Quod idem de anaſtomoſi valet. Taceo, nulla vnquam experientia confirmatam, nec exemplo eſſe vllo illuſtratam. Quod enim ſudorem ſanguineum commemorant, non meatuum, ſed pororum cutis dilatatione id factum, res ipſa loquitur. Supereſt itaque ſola Διαπηδησις, hoc eſt ruptura vaſorum: quae, tametſi ad ſolutionem continui referri poſſet, tamen morbis meatuum accenſetur potius, et fere latentes et internas cauſas habet: vt in ſputo ſanguinis, cerebro vel cranio violenter quaſſato, indeque orta profuſione ex naribus, auribus, ore, oculis, apoplexia, haemorrhagia narium ſpontanea, vteriue manifeſtum eſt. Hic tamen non vaſorum tantum, ſed et integentis partes membranae ruptura opus, vt ſanguis effundi queat; alioqui intus ſtagnaret ſanguis potius, fieretque ſuffuſio potius, quam effuſio.

§. X.

Porro defectus in meatibus quinque vitia tradunt auctores: Anguſtiora enim fieri vaſa, vel obſtructione, vel conſtipatione, vel coaleſcentia,

(f) Aduerſus anaſtomoſin fortiter pugnauit etiam elegantiſſimus noſter PECHLINUS *Diſp. peculiari de Haemorrhagia* narium, edita Kil. 1680. omnino videnda *Artic. IV. p. 6.*

leſcentia, compreſſione denique, vel ſubſidentia. De *obſtructione* dictum eſt modo; ἔμφραξιν vocant Graeci: *Conſtipationem* vero στενοχωρίαν cum via ob adnatam carnem vel tumorem, in ipſo meatu exiſtentem, clauditur. Huius rariſſima exempla ſunt: vnicum percelebre in meatu vrinario ex caruncula, qua fit bifidus vrinae profluxus, et duplex radius emittitur. Huc referendum arbitror, ſi in Ileo inteſtinum in ſe ipſum ingreditur, vt conſtipetur via, et reddatur auguſtior, ne ſtercora transmitti poſſint, niſi malimus ad ἔμφραξιν *infarctum* referre. *Compreſſio* θλίψις eſt, ſi quid externe incumbit, et comprimit: Id contingit praegnantibus, vbi, tumente vehementer vtero, iliacae venae comprimuntur, vnde pedum tumor incommodus iis poſtremis menſibus tolerandus eſt. *Coaleſcentia*, σύμφυσις cum vulnerato intus meatu aut excoriato, latera eius coaleſcunt, quod in vteri vagina accidiſſe nouimus, obſtetrice excoriante vnguibus, abraſaque tenui cuticula quæ vaginam, inueſtit, per malitiam, ne amplius mulier conciperet. Sed et ſponte contrahuntur fibrae, vt meatus parietes ſubſidant, ſi nullus eorum fit vſus. Quod ſaepe inteſtinis vulneratis contingit, ſtercore e vulnere foras profluente: vt videmus etiam fieri in arteriis, venaque vmbilicalibus, poſt partum abſciſſis cum placenta; quae mox in ligamenta faceſſunt, notum eſt. Hic cur *ſubſidentiam* συνίζησιν appellant, vbi ſimpliciter tantum accedunt partes, ſibique incumbunt, non, vt in vulneratis, in vnum coaleſcunt? Verum et huius rei perpauca exempla ſuppetunt.

§. XI.

Reliquae vitiatae qualitates, quae ſuperſunt, tactiles fere ſunt. Si quod *durum* eſt, molleſcit, quod oſſibus accidiſſe legitur, quae ita flexilia reddita, ſuſtinere corpus, aut greſſum et apprehenſionem praeſtare non potuere, vti de cruribus militis cuiusdam FERNELIVS narrat. De ceteris partibus quoque putreſcentibus idem eſt obuium: Verum tunc extra morbos ſunt. *Durae* vero redduntur plures, quas molles eſſe conuenit. *Tendines*, vnde contractura muſculi, in tumoribus, contuſionibus, et labiis inflictorum vulnerum: verum hoc ſymptoma eſt. Etiam *cartilagines*, inſtar oſſium durae redduntur, et flexiles eſſe deſinunt, vnde reſpirationis difficultas, in ſterno coſtisque. *Arteria* ſi circa cor dureſcit, palpitatio cordis oritur, ſi in liene, lienis. Porro aſperum ſi redditur, quod laeue eſſe oportet, actio quoque impeditur, et contra. Sed aſpera in corpore pauca ſunt, imo nulla: omnia potius laeuia et lubrica deprehenduntur, vt facile et ſine ſtrepitu

omnis

omnis fiat motus. Nouimus tamen illuſtrem faeminam, quae motu membrorum ſonum edebat. Sic dixit ERASMVS: Ariditate crepitas! Verum illa non erat arida, ſed bene paſta, et ſucciplena tamen.

§. XII.

Reſtat vna, quae ad ſanitatem requiritur, qualitas ſenſibilis, non toti partium ordini, ſed vni oculo conueniens, *Perſpicuitas*. Oculus enim ex diuerſis quidem partibus componitur, quarum quaelibet ſuum colorem et conſiſtentiam habet, quaedam tamen et diaphanae, hoc eſt perſpicuae ſunt, ſiue pellucidae, quae qualitas cum aboletur, etiam viſus functio penitus impeditur, adeoque cum primo et proxime hoc vitium actionem laedat, ad morbos referri, omnino neceſſum eſt. Tam cornea ſcilicet tunica, quam humor aqueus, cryſtallinus et vitreus omni calore carere, et praeterea tranſparentes eſſe, neceſſum eſt: ſi enim alieno colore inficiuntur, eundem et rebus, quae cernimus affricant, et radios, ſpeciem in retinam deferentes, eo inficiunt. Quod ſi aliquid in his eſt craſſioris conſiſtentiae, plane non transmittunt, et excludunt ex oculo. Hic autem ſcriptores medii aevi ſe miſere torſerunt, neſcientes, ad quod genus morborum referrent hunc, cum colores mutatos non eſſe morbos putarent, ſed ſymptomata. Legi poteſt prolixe expoſita haec diſceptatio apud SENNERTVM cap. 6. vbi ſingulorum ſententias exponit. Eſt autem cum inutilis, tum et vana, cum in aperto res ſit, ſi recte interpretantur omnia. Etenim hoc primum certum eſt Quaecunque partis diſpoſitio laedit actionem primo, morbum conſtituit. Deinde et partem eſſe oculum, ſua functione inſignem, conſtat, aeque ac ex iſta prava diſpoſitione laedi actionem, patet, firmiſſima ergo concluſio eſt; ergo perſpicuitatem oculi ſublatam, aut deficientem eſſe morbum. Quod autem iis ſcrupulum movet, valde ineptum eſt: nempe quia mutatus color ſit ex ſymptomatum claſſe. Cum enim de natura ſymptomatis ſit, vt morbum comitetur et ſequatur, nec ſymptoma eſſe poſſit, niſi morbi ſymptoma, ſi hoc non ſequitur morbum, ſymptoma eſſe non poteſt: contra ſi ſequitur morbum, erit omnino ſymptoma. Vt in morbo arquato, quem ſequitur flauedo tum totius corporis, cum oculi, manifeſto ſymptoma eſt. At ſi nullus protenus morbus praecedet, qui poteſt eſſe ſymptoma? Et cum ſit diſpoſitio praeternaturalis partis corporis, actionem primo laedens, qui poteſt non eſſe morbus? Erroneum ſcilicet eſt, omnem coloris mactationem eſſe ſymptoma, alioqui et rubor, quem pudor exprimit, ſymptoma pronunciandum foret. Haec infra, vbi de ſymptomatis agemus, magis, et quam clariſſime cognoſcentur.

CAP. IV.

DE MORBORVM DIFFERENTIIS RATIONE COMPOSITIONIS.

§. I.

Compoſitio hic συνθεσιν Graecorum, hoc eſt connexionem partium ſignificat, qua inuicem cohaerent, cum vnitate, tum et cohaeſione per vincula, quae in ſitu naturali eas ſeruant ac continent. SENNERTVS hoc verbo vtitur pro vniuerſa organicarum natura, et omnia, quae eam conſequuntur, et ad eam pertinent: in eo Auicennam ſecutus. Deinde vero peculiare, vt ait, eorum genus eodem denotat, adeoque in gratiam Principis Arabicorum ſcriptorum confuſionem hanc rerum et eiusdem vocabuli diuerſo vſu naſcentem committere maluit, quam ab eo in gratiam veritatis recedere: nos ergo conformationis titulum in commodum diſcentium potius eligendum, ſumus arbitrati, compoſitionis nomen huic loco reſeruantes.

§. II.

Primum huius morborum generis membrum eſt, quo contigua inuicem ſecedunt, alterum, quo continuorum partes a ſemetipſis. Illud ſitum locumque, hoc integritatem vnitatemque ſoluit. Neque enim connexionem duntaxat, ſed et collocationem ſaluam vult functionis neceſſitas, quae, ſi mutatur, et pars vel ad latus ſecedit, vel deorſum, aut (quod rarum, ob pondus muſculorum, ſurſum adigitur, morbum in ſitu nonnulli etiam vocant.

§. III.

Ad latus et ſimul deorſum recedunt oſſium capita *luxatione*, qua articulationes ſoluuntur, laxatis ſimul vinculis et ligamentis, quibus in ſitu continebantur, externis quidem et membranaceis vbique, niſi quod vni femoris oſſi vltra hoc etiam durum, et prope cartilagineum internum, ex medio capite in latus acetabuli inſertum, conceſſum eſt, quia pedem integrum, adeoque ingens pondus ſuſtinendum habet Duplicis autem generis Luxatio commemoratur, perfecta, HIPPOCRATI ὀλισθημα, ab ὀλως dicta, et imperfecta, quae παραρθρωσις, ſubluxatio nominatur, διακωνημα HIPPOCRATI, recte a nonnullis contorſio.

 Hanc

Hanc in omnibus articulis fieri, plerique referunt, praeterquam in femore ,et humeri oſſe, HIPPOCRATIS, vt putant, oraculo. (a) Verum HIPPOCRATES non dicit, reliquas omnes id pati, ſed tantum iſtas non ad dimidium vitiari. Falſum enim, omnes reliquas articulationes ſubluxari; neque, quod ait HIPPOCRATES, propter ſinuum orbem, verum ob marginis anguſtiſſimam acutiem, vbi non poteſt caput rotundum ſubſiſtere, id fieri nequit. Fit autem ſubluxatio in iis articulis praecipue, qui late coeunt, ſuntque frequentiſſimi in pede, tum in manu, in brachio, ob gynglimum, difficiliores; in maxilla non magis quam femore obuiae, digitorum articuli etiam non facile dimouentur: commouentur vero nonnunquam, quaſſatione potius, quam emotione.

§. III.

Eſt et altera luxationum differentia, qua in diuerſas regiones oſſa ſecedunt, eaque quaterna. Quaedam in omnes partes excidunt, vt Femur, atque manus, itemque vertebrae nonnullae: Quaedam in triplicem ſolum dimenſionem, vt cubitus et radius in medio brachio, genu, pes infimus, quae tamen plerumque ad latera exeunt, et humerus, qui deorſum et introrſum ſolet potiſſimum propelli. In duas tantum partes abire poſſunt, introrſum et extrorſum, digiti medii; ſed horum nullum proſtat exemplum integrae luxationis. In vnam tantum partem antrorſum, cedit maxilla. Haec ex anatome conſtare poſſunt: egit autem de iis omnium accuratiſſime Princeps Chirurgorum HIPPOCRATES, omnino legendus, cum poſſit prope ſolus ſufficere: nihil enim poſt illum magnopere huic parti doctrinae acceſſit. Multum habent difficultatis in reponendis articulis Chirurgi noſtri. Alit autem Holſatia ruſticos in ea re exercitatiſſimos ad miraculum. Viſa eſt puella, quae femoris os luxatum habebat, iam plane deſperata, cui poſt dies XV. ſaepius fruſtra tentatam a multis repoſitionem tam feliciter adminiſtrauit quidam iſtorum hominum, vt curru ad eum deuecta, altero die domum rediret pedeſtri itinere citra vllum incommodum. Vocantur iſti homines hic loci Gliederſetzer.

§. IV.

(a) De Articulat, libro excellentiſſimo.

§. IV.

Luxationi durorum oſsium reſpondet in viſceribus laxatio mollium partium, qua vicina et contigua ab inuicem ſecedunt, et ex loco naturali excidunt. Quae enim partes ligamentorum et vinculorum quorundam interuentu colligantur, ſi fibrae, ex quibus componuntur, emolliuntur, laxiores fiunt, nimiumque extenduntur, longius procidunt (etiam rumpi, nondum compertum nouimus) Hoc fere iis, quae in abdomine ſunt reconditae, contingit, vbi omnes, arctisſime compreſſae, implent exacte totam cauitatem eius, vt vel ex eo appareat, quod, infarctis nimium primis viis, protenus intumeſcat venter, erumpunt ergo illico, ſi poſſunt, ex locis proxime hiantibus. Nam laxatis vinculis tam arcte non amplius continentur in ſitu. Haec vera ratio eſt, quod non niſi in Ileo *Herniae* accidant. Sic enim vocantur eruptiones viſcerum, inteſtinorum cum primis, ſiue in ſcrotum, ſiue in umbilicum, laxato peritoneo, eiusque inperfecta eſt hernia inguinalis. Porro ſi aquae intra primam teſticulorum tunicam continentur, quae peritonei elongatio eſt, vocatur *Hernia aquoſa* : *ſarcocele* autem alio, ad tumores nempe pertinet propius. Herniae autem omnes intra corporis ambitum fiunt: At alia per foramina corporis aperta ſi elabantur, vt vteri vel vaginae pars, vel ipſum corpus, aut inteſtini recti, Prolapſus eſt. Huius prorſus raram et inſignem obſeruationem hic loci (b) recenſet SENNERTVS. Vbi tamen dubitare licet de integritate peritonei, quam ille credidit; vnde enim tam magna eius laxatio ex ſola percusſione contingere poſſet? Forte, vt eſt duplicatum pars eius interior rupta, altera extenſa fuit, vt in hernia ſcrotali contingere aſſolet.

(b) *Inſtit.*

CAP.

CAP. V.

DE MORBIS VNITATIS, SEV CONTINVITATIS VITIATAE.

§. I.

Supereſt tertium morbi genus, Continui ſolutio, aut ſolutorum coniunctio: De hac, cui partium generi competat, ſimilaribus an diſſimilaribus, diſputarunt auctores: Similaribus ſolis accidere, AVERRHOËS defendit, diſsimilaribus, ARGENTERIVS. Valde inani et inepta pene dixerim, diſceptatione: Quis enim non videt, vtrisque conuenire. Vnde etiam SENNERTVS, quem poſtea omnes ſecuti ſunt, id ita in inſtitutionibus docuit, nemine poſtea contradicente. Nos ſub compoſitionis communi nomine in vnum collegimus, hanc inutilem controuerſiam inſuper habentes. Si tamen quis hic nos vrgeat, ad ſuperiora eum remittemus, vbi hanc diſtinctionem Philoſophis relinquendam, medicis, tanquam inutilem, non attendendam oſtendimus. Cum enim totum corpus ſit organium, etiam omnes eius partes mere organicas eſſe, neceſſum eſt: Quod enim de toto in vniuerſum eſt verum, id etiam de omnibus eius partibus praedicari, logici nos docent. Ergo omnes morbi ad partes organicas, qua tales, pertinent, ipſius etiam intemperiei: Siue iam ſimplices illae ſint, ſeu ſimilares (quales tamen forte praeter cartilagines et ligamenta teretia oſsis femoris nullae ſunt) ſiue compoſitae ſeu diſsimilares. Quod enim et ſimilaribus actionem attribuunt, nempe nutritionem errant veteres, in ea enim non niſi paſsiue ſe habent, ſeu patiuntur aliquid ſibi infundi, perinde ac diſsimilares: ad hoc nutritionem, qualem olim credebant, nullam fieri, in appendice partis II. Phyſiologiæ oſtendimus. Hinc etiam nullam peculiarem indicationem ſimilarium ſoluta vnio ſuppeditat. Mittamus ergo hanc inanem controuerſiam, et rem ipſam dilucidamus.

§. II.

Triplex genus partium in corpore deprehendi, in aperto eſt: Duras, molles, ac mediae conſiſtentiae, quarum vnio ſoluta non vno eodemque nomine a medicis appellantur. *Molles partes* ſunt carnes potiori loco, deinde parenchymata, quae veteribus dicebantur carnes paren-

parenchymaticae. Harum ſolutiones communi conſenſu *vulnera* vocantur, ſi vi externa ſint illatae, *vlcera*, ſi interna de cauſa ortae, ſaniem et pus fundunt: *contuſiones*, ſi inſtrumento obtuſo percuſſa pars fortiter, fibris conquaſſatis, et perruptis, interne ſanguis effuſus eſt, nulla externa ſolutione conſecuta.

§. III.

In vulneribus porro varia diuerſitas attendi ſolet: *Ratione ipſius vulneris*, *figura* ſpectantur, et *modus*: Aliud itaque eſt *notandum*, cum ablata carnis cutisque particula, aliud *caeſim inflictum*, per longitudinem, aliud *transuerſum*, aliud *obliquum*; aliud denique punctim adacto altius gladio. *Magnum* praeterea vel paruum; *profundum* vel ſuperficiale, quod in artubus locum habet: vbi praeterea eſt ſimplex, vel cum vaſorum neruorumque graui laeſione eſt: ſi autem in ventre, vel cum *viſceris laeſione* vel ſimplex. *Ratione inſtrumenti*, quo factum eſt, vel ferro illatum, caeſim, punctim, vel plumbeo globo, quod ſemper eſt cum contuſione partium vicinarum. Vbi memorari par eſt SENNERTI lapſum, qui CELSVM etiam contuſis vulneris nomen tribuiſſe, ex his verbis colligit (a) *peius vulnus eſt, quod etiam colliſum, quam quod totum diſciſſum eſt, adeo, vt acuto quoque, quam retuſo telo vulnerari commodius ſit.* CELSVS hic nullam facit contuſionis ſimplicis mentionem: Nam etiam colliſum, vulnus notat, ſed cum contuſione, qualia ſunt, quae capiti accidunt fuſte, aliove obtuſo inſtrumento inflicta, vbi, quia durum cranii os, non cedens ictui, diſrumpi cutim ſuperſtratam cogit: aut quod retuſo, minusque acuto telo aut fortiter impulſo factum, vbi contuſio ſemper ſimul cum vulnere iuncta eſt. Id enim indicat vocula: *Etiam* item *retuſo telo vulnerari*, quae non eſt ſimplex contuſio. Graecis vulnus τραυμα, ſi caeſim inflictum, ἄμησις, ſi punctim, νυσις et νυγμα vocatur, contuſio θλασις, et θλασμα, HIPPOCRATI (b) φλασμα Ionica dialecto, quam Angli prorſus imitantur, Th. latinum lingua, vltra dentium ſeriem ad labium inferius exſerentes, fere vt φ Graecorum pronunciantes: vt inde in Angliam perueniſſe videri poſſit haec loquendi ratio.

§. IV.

Rupturae, praeter iſtam in capite, antea dictam, vix alia exempla occurrunt, niſi in venis, quae forte in contuſione ſimul fiunt; alias, ſi in

(a) CELSVS V, 6. (b) κατ ιητρειον.

in his accidunt, non ab externa, ſed interna cauſa, plethora nimirum vel eroſione acris humoris, fieri intelligitur. In neruis autem, quod SENNERTVS affert, non memini me vnquam vidiſſe, aut fieri vllo modo poſſe, vtcunque etiam ex Galeno σπασματος vox adducatur: recte tamen hunc contra Argenterium defendit, differre σπασμα a σπασμω contendens: etſi an ſpaſma cuiquam poſſit contingere, dubium videatur. Coeterum, εκχυμωμα et εκχυμωσιν illud ipſum eſſe, quod modo adduximus, nempe miſtum ex contuſione et ruptione affectum, ex Galeno recte monet: tantum id addo: an vnquam contuſio, θλασις ſine εκχυμωσει, effuſione ſanguinis poſſit contingere, me dubitare; etſi εκχυμωσις ſine illa fiat in cerebro quidem, a percusſione non raro, in ipſis arteriis, et in pulmone, alibique, rupto vaſe.

§. V.

Vlcera a vulneribus cauſa fere differre, (c) quae in his externa in vlceribus interna ſit, iam ſupra dictum eſt. Neque de his alia, notanda occurrunt; Eſt tamen, vbi et vulnera in vlcera abeunt. Omnia enim vulnera diuturna, quae curari renuunt, in vlcera degenerant, nihilque prorſus ab his diſſimile habent. Horum etiam diuerſitas quaedam. Neque ſolae internae partes vlceribus obnoxiae ſunt, ſed etiam, his illaeſis, internae, et viſcera iis obſidentur: vt pulmo, hepar, inteſtina, in dyſenteria. Alia porro ſimplicia ſunt vlcera, et facilia, alia grauiora et difficilia, quae remediis vulgaribus non cedunt. Talia ſunt, quae cacochyma, et cruda, quae ſaniem tenuem fundunt, non pus, vt cetera, et quae profunda ſunt, externa quidem, ſed quae penetrant in viſcera. Vidimus vlcus in abdominis latere dextro, in hepar penetrans, quod puris ſinceri libram vnam quotidie fundebat, non admodum doloroſum, ſed difficile tamen, et inſanabile. Quaedam maligna ſunt, et difficilima, colore liuido ac lucido, odore foedo, qualia Θηριωματα CELSVS vocat, (d) quibus muco ſimilis humor, idque nec tactum, nec medicamenta ſentit. Talia etiam, aut non multum diuerſa ſunt, quae *Chironia* dicuntur, a CHIRONE CENTAVRO, ſummo chirurgo veteri: quaſi talia ſint, vt ab hoc ſolo curari poſſint. Sunt in his putrida, ſerpentia, gangraenoſa, labiis, duris, cruſtoſis, calloſis, tumentibus vide CELSVM: et

(c) GALENVS Lib. de *cauſ. morb. c. vlt.* Lib. de *conſtit. art. c. 6.* (d) *Lib. V. c. 28.*

et nota, eum nonnunquam tumores cum his confundere, cum hi ſint clauſi, vlcera omnia aperta.

§. VI.

Contuſiones, vt has quoque ſeorſim attingamus, primum cuti accidunt: Quod, ſi caput allidatur aliquo, maxime perſpicuum eſt, vbi ita in pueris laeditur, vt in tumorem ſatis magnum ſe attolat, qui in ſola *cute* eſt, cum ſub illa nihil praeter pericranium reperiatur. Secundo loco contunduntur et *carnes*, itidem inſequente tumore, quod inde eſt, quoniam, circulatione intercepta, ſanguis ſubſiſtit, perturbatis et collapſis viis. Reliquae partes non ita facile contunduntur, quia non ſunt expoſitae externis iniuriis. Oſſa tamen θλασιν quoque experiri poſſunt, praeſertim cauernoſa, et tenui lamina contecta: quae vero fiſtulae in modum caua ſunt, craſſiora, et facilius franguntur, quam contunduntur. Itaque contuſio mollibus partibus praecipue vindicanda eſt, praeſertim cum cauernoſa illa, vt capita ſunt oſſium in articulis, in cavitatibus et acetabulis ſocii oſſis abdita non poſſint facile ab externis attingi.

§. VII.

Et haec ſunt, quae mollibus accidunt mala ſolutionis continuae. Quod ſi dura oſſa et cartilagines eas patiuntur ab externa cauſa, fractura dicitur, ἄγμα et καταγμα Graecis. Eſt autem cartilaginum fractura rarior, nec facile poteſt contingere, propterea, quod flexiles, cedunt violentiae, niſi ſit maxima. Fracturae autem ſuas quoque diuerſitates habent: Franguntur enim 1. vel ſimpliciter, vel cum adiuncto vulnere: quando nimirum extremitates fracti oſſis muſculos cutemque perforant, aut glande plumbea ſimul caro et os transiicitur, et hoc confringitur. II. Fractura in ſemet triplici modo poteſt contingere: vel enim frangitur transuerſum, ut caulis effringi ſolet, et hinc vocatur καυληδον, vel per longitudinem fibrarum oſſium inſtar alicuius aſſeris, vnde vocatur σχιδακηδὸν, vel in multas particulas diſſilit, vnde ἀλφιτηδον nomen tulit, quod inſtar farinae comminutum ſit. Neque tamen accurate haec ita contingere exiſtimandum eſt, ſed prope tali vbique modo. Prima ſpecies etiam εγκαρσιος, vltima συντριμμα, contritio, et

(e) HIPPOCRATES de articulis.

et a GALENO καρυηδὴς appellantur. Hanc SENNERTUS factam in modum contuſarum nucis teſtarum perpulchre dicit.

§. VIII.

Eſt et alia oſſis ſolutio continui, quae vlceri reſpondet, ab acrimonia quadam ſeri in ipſo oſſe, quae Caries dicitur, Graece τερηδον, quia inſtar vermis, cui Teredo nomen eſt, oſſa exedit. Hanc tamen peculiarem huius morbi ſpeciem eſſe dixerim. Altera, ab hac diuerſa, ſpina ventoſa appellatur, a carie differens, quod haec ab externo plerumque incumbente humore fit, ſpina autem ventoſa, ab interno principio ſponte ſua procedit, et cum tumore oſsis et excreſcentia coniuncta eſt, caries vero exedit os, eiusque quantitatem minuit (f).

§. IX.

Vt autem vnitas, ſiue integritas partium quibusdam morbis diſſoluitur, ſic e contrario eſt, vbi, quae diuiſa eſſe oportebat, vniuntur. Quod vitium in meatibus frequens, in ſuperiori capite a nobis inter morbos conformationis recenſitum fuit. Sed accidit etiam ſolidis integrisque partibus, temere iungi, quae non oportebat: vt ſi digiti coaleſcant: neque alio pertinet, ſi in articulis callus oriatur, vt coeuntibus oſſibus, flexura motusque pereat. Haec cum clariſſima ſint ſponte ſua, non eſt vt iis dilucidandis, diutius operam demus. Nunc ergo morborum quoque differentias, quae ex ipſorum natura ipſa petuntur, perluſtrauimus.

(f) Scripſit de ea IOSEPHVS PANDOLFINUS doctiſſime, in quem GEORG. ABRAHAMI MERKLINI extat doctiſſimus itidem commentarius.

CAP.

CAP. VI.

DE IIS MORBORVM DIFFERENTIIS, QVAE VULGO ACCIDENTALES ET COMMUNES APPELLANTUR

§. I.

Praeter eas, quae proximo capite ſunt traditae, differentias, etiam aliae a medicis recenſeri ſolent, quas tamen non tam differentias eſſe, quam explicationes quorundam terminorum, ſeu vocum, quibus cum in ſcriptis, tum diſſerendo lubenter et ſubinde vtuntur, penitius expendentibus facile cognoſcetur. Prolixus horum catalogus cum a SENNERTO, tum prope omnibus aliis conſcriptus eſt, qui principiis medicis inſtruere iuuentutem, ſunt conati. Nos ea potiſſimum proſequemur, quae prae ceteris vtilia deprehendemus.

§. II.

Plerumque homines vno laborant morbo, qui tamen multis praeeuntibus cauſis, multisque pediſequis ſymptomatis ſtipatus incedit. Vbi cauendum eſt ſollicite, ne vnum pro altero accipientes, fallamur, non ſine aegroti periculo. Eius rei definitio morbi, nobis tradita, norma erit. Accidit tamen aliquando, eundo pluribus ſimul affligi; ſed hoc probe diiudicandum eſt, neque protenus exiſtimandum, ſi in catalogo, ſeu tabula morborum, ſupra a nobis exhibita, reperiatur, ſemper tot morbis corpus laborare. Saepe enim, qui ſolus exiſtens et laedens primo, morbus erat, cum ex alio tali oritur, et poſt illum, ſe exſerit, morbi tum amittit nomen, recipit ſymptomatis. Non ergo tunc dicendum eſt, pluribus morbis aegrum obſideri: vt olim quidam, medicus iuuenis, cum hyſterico affectu laborantem mulierem curandam eſſet nactus, interrogatus, quo laboraret? Vah! inquit: vel decem morbis obruitur. Exemplo res declarabitur. Si vulneri aut luxato articulo inflammatio in loco dolente ſuperuenit, non, et ſolutae vnitatis, et intemperiei morbo laborare, dicendus eſt: cum inflammatio merum ſit ſymptoma, quia illum ſequitur. Non ergo duplex, ſed vnus morbus is eſt, neque magis inflammatio illa ac calor, eſt talis, quam motus abolitio. Quin et febris ſi ſuperuenit;

 non

non eſt, niſi ſymptomatica, etiamſi in ſe morbus ſit, alio tempore, cum ſola eſt pro tali nunquam non habenda. At ſi cum fractura luxatio ſimul iuncta eſt, aut vulnus duplicem morbum eſſe pronunciandum, quoniam neque vnus ab altero pendet, nec eum ſecutus eſt, ſed ſimul ſunt, et varias actiones laedunt, quilibet ſuam: haec enim ſigna ſunt, et indicia, e quibus ea res iudicatur. Huic veritati SENNERTVS etiam, qui tamen aliter haec docet, teſtimonium inuitus perhibet: *Illos morbos*, inquiens (g) *qui ſimul cum cauſa aliqua aut grauiore ſymptomate connectuntur proprie compoſitos vocandos, non exiſtimamus.* FERNELIVS (h) *eos comitatos vocat, ſicut ſolitarios illos, quos neque cauſa, neque vllum graue ſymptoma comitatur. Sicut nec ii morbi compoſiti iure dicuntur, qui varias partes occupant: ſed ſi plures morbi ſimul diuerſas partes occupant, pars non compoſito morbo affici, ſed corpus multis morbis ſimul laborare iure dicitur.* In quo tamen vltimo non minus ipſe, quam FERNELIVS erroneam opinionem fovet: fieri enim poteſt, vt diverſus ſit morbus. Vt inflammatio hepatis et febris continua, quorum haec morbus eſt vniuerſalis, illa particularis in hepate, non autem niſi vnus eſt morbus: febris enim eſt ſymptoma. Sic morbi intemperiei compoſiti nulli ſunt. Nam in *Phthyſi* et ſimilibus ſiccitas eſt ſymptoma, non morbus; conſequitur enim nimium calorem. Nec morbus ex frigido, et humido compoſitus eſt *hydrops*, nam hydrops ipſe morbus eſt, frigiditas nulla eſt vere talis, ſed potius febricula, vt ſymptoma: et ſi frigiditas viſcerum, vt putant nonnulli, adeſt, cauſae locum obtinet non morbi.

§. III.

Quam FERNELIVS in ſcholas introduxit diuerſitatem morborum, qui ſimul ſint; alios nempe eſſe ſeparatos, alios implicitos, alios connexos, ſine incommodo ipſi relinquere poſſumus. Separati enim ſunt ipſi, de quibus egimus, impliciti attendi non merentur, et rariſſimi ſunt; ſi modo non nulli. Connexi etiam nulli, cum vnus alterius cauſa eſſe dicatur; aliter ergo erit ſymptoma. Quid autem opus, memoriam nouis vocum de eadem re commentis onerare, iis ſufficientibus, quae reſpondent rebus ſuis.

§. IV.

Ad hos, quorum alter alterius cauſa eſt, referendi et *morbi per conſenſum.*

(g) *II. I. 11. p. 187. Inſtit.* (h) *Lib. de Diff. morb. cap. ult.*

ſum. Docent enim, alios morbos eſſe per ἰδιοπάθειαν, quem etiam *per eſſentiam* dicunt, alias per συμπάθειαν *per conſenſum.* Illos vocant, qui in parte, quam afficit, et in qua eſt, cauſam quoque habet ſui; per conſenſum vero, qui in alia, extra eam. Quaſi vna pars cum altera conſentiret, et traheretur in partes afflictionis. Quod verum quidem eſt ſuo modo, ſed peculiare morbi genus non conſtituit; eſt enim vnus alterius vel cauſa, vel ſymptoma, id quod exempla expendenti facile erit obuium.

§. V.

Primarius et ſecundarius eiusdem notae ſunt, et cum morbis per conſenſum fere toti coincidunt; niſi quod hic conſideratur connexio, illic autem tempus, atque ordo, quo fiunt. Omnis ſane morbus per πρωτοπάθειαν et ἰδιοπάθειαν eiusdem generis eſt, vt morbo per συμπάθειαν cum ſecundario conuenit, habet enim vterque illorum cauſae rationem, ſed ita, vt morbus per conſenſum, ſublato primo, ceſſet, quia is ab eo dependet, vt vmbra a corpore, vt loquitur GORRAEVS, cum ſecundarii morbi, ſublato primo, non ceſſent neceſſario, quia a cauſa non continente exorti ſunt, de qua mox ſumus acturi parte proxima.

§. VI.

Ne autem hiulca ſit haec morborum expoſitio, dicamus etiam, quot modis per conſenſum affici poſſit pars, laborante altera. HIPPOCRATES, omnia eſſe συμπνοιά in nobis, dixit, et ζύῤῥοια, ita vt ab vno ad aliud plena pateat via. Hinc poſteriores vaporibus ex infernis caput impleri, ex capite defluxiones et deſtillationes in pulmones incidere, aſſeruere, et alia multa, quae non eſt hic dicendi locus, hi ergo facile ſe expediunt. Poſtea vero, ſcrutatis exactius corporis receſſibus ex diſſectione et experientia cognitum eſt, non tam crude haec deuoranda eſſe, ſed cum ſalis grano. Quicquid enim tranſit ex vno in aliud, (ordinario quidem modo: nam acus crinalis ex ſtomacho ad renes, puris ex cauo thoracis in vrinariam veſicam, viae occultae ſunt) vel per venas et arterias, vel per neruos omne transmittitur. Quoties ergo ex vno in aliud transfertur vapor malignus, aut vniuerſale quod-

dam fluidum afficitur, per conſenſum laborat illud. Hoc alio modo, obſcuriore tamen, tradit GALENVS: duobus modis poſſe fieri (i) demonſtrat, vno, cum quid ex altero in alterum transmittitur, quod *poſitiuum* ſtylo philoſophico licet appellare, alterum, deficiente, quod deſideratur ad actionem perficiendam. Vt ſi in paralyſi ex ſpinalis medullae obſtructione digiti moueri nequeant; aut vox non edi, quoniam aperto thorace, et pulmone perfoſſo, äer alibi effluit. (k) Addo ego tertium: *iure vicinitatis*, vt cum affecto vtero veſica ſimul afficitur. Et haec ſunt fere, quae de morbis plurimis, qui ſimul inuadunt, annotari merentur. Superſunt eorum, qui vni et ſimplici contingunt, genera differentiarum duodecim, ordine omnia nunc enarranda.

§. VII.

Praecipua omnium videtur haec: Qui ſimplices morbi inuadunt, alias varii generis, ſingulos; alias eiusdem, plures ſimul occupant. Illi σποραδες et σποραδικοι, quod ſparſim diſſeminentur, hi πανδημιοι, κοινοι, παγκοινοι, vocantur, *communes*, quod pluribus eodem tempore eodem morbo ſint infeſti. Qui pluribus ſimul infeſti, rurſum duplicis ſunt generis: ενδημιοι Graecis et επιδημιοι, a δημος, populus, Vnde Latinis optime populares interpretantur, quoniam per vniuerſum populum graſſantur, vt in caſtris aut vrbibus dyſenteria, in aliis, totisque regionibus variolae et morbilli nonnunquam ſolent. *Endemii* Vernaculi ſunt, qui eiusdem oppidi aut regionis incolas, propter communem cauſam, vt aerem, illi loco peculiarem, aquas, aut victus rationem corripiunt. Talis olim ſcorbutus habebatur, qui primum incolis maris Baltici adſcribebatur, mox medici, non ſatis rerum periti, omnibus, quae ad mare, etiam Atlanticum adiacent, locis eum attribuebant, quia a ſale marino oriri exiſtimabatur, in aerem exhalationes ſuas mittentem, inde in Brunſuicenſes regiones, tandem et ſuperiores Germaniae prouincias eum pertrahebant temere. At nunc mutato in illis plerisque locis duriori, ex ſalitis carnibus bubulis maximam partem conſtante victus quotidiani, ratione oſtenſum eſt, quantum hic errorem commiſerint, cum vix nomen eius ſuperſit, in ipſis his, quibus maxime graſſari putabatur locis: etſi plane extinctum nondum eſſe, fatear; ruſtica gente ac plebe antiquum morem ſeruante. Talis etiam

(i) 1 Loc. aff 2 (k) Vide GORRAEVM Def. Med. voce συμπαθεια.

quis

eſt Bronchocele in Alpinis, aliisque montoſis regionibus: gelidis aquis referenda acceptum. Non tamen omnes epidemios morbos ex loci, victusque ratione originem ducere: vel hoc vnicum docet exemplum, quod legere me recordor. In Dalmatia eſſe oppidum, vbi omnes incolae altero pede claudicent; et quod de Scythis omnibus μακροκεφάλοις HIPPOCRATES perhibet, libro de aere, aquis et locis (*) quem videre operae eſt pretium. Tales autem morbi cum non ipſius loci culpa accidant, forte endemicorum nomen non merentur.

§. VIII.

Epidemii morbi dicuntur, *qui eiusdem regionis, aut oppidi vrbisue incolas plures vno eodemque tempore inuadunt, ab eadem cauſa, ſed non vernacula*, quae ab eius loci conditione perpetua pendet, ſed tranſitoria: quales HIPPOCRATES in libris Epidemicor. deſcripſit primus, eam vero partem medicinae his noſtris temporibus (l) perficere conatus eſt THOMAS SYDENHAM, Medicus Londinenſis, per certas periodos eosdem morbos reuerſuros eſſe in circulum, ſperans. Verum in ea re miſere deceptus eſt: etſi de coetero ſatis egregia de his multa diſſerit, e quibus magna lux accedit curandi methodo. Eſt autem ex indole epidemicorum, quod 1. ſubito oriantur, ſed ſucceſſiue et lento gradu procedant, 2. quod omnes ſint contagioſi, et ſaepe etiam maligni, 3. quod ex paruis initiis incrementa ſemper maiora capiant, fiantque peiores, donec ad certum terminum ſint progreſſi, deinde ſenſim, et a malignitate remittant, fiantque meliores, et non tam ſint contagioſi, nec tot amplius inuadant. 4. Quod non omnes aeque concipiant, ſed corpora, ad id diſpoſita, et 5. ſi maligni ac peſtilentes, etiam ſolo terrore ac metu propagentur, nullis effluuiis interuenientibus. Horum praecipuus et princeps omnium eſt peſtilentia: tum ſunt peſtilentes febres, tum petechiales, hinc malignae continuae, poſt has variolae, poſt iſtas contagioſae tantum et intermittentes febres, item morbilli.

§. IX.

Quoniam vero hic maligni et contagioſi mentio facta eſt, dicamus quid ſint. *Morbus benignus* maligno oppoſitus eſt, qui nihil grauium ſymptomatum ſupra *conſuetam indolem habet*: *Malignus* vero, *qui peiora, quam pro more et naturae communis ratione, ex quibus periclitetur aeger,*

(*) Prope finem.

aeger, vt occulti quid ſubeſſe intelligas, quod vitae inſidietur. Id autem ſaepe occultat, et benigni ſpecie, dum nihil mali ſuſpicatur, ſimulata iſta bonitate aegrum et medicum fallit, et, de cuius ſalute nihil dubitabat, illum praeter opinionem praecipitem rapit, et inopinato iugulat. Vt enim maligni homines vocantur, qui ſpecie amicitiae incautos fallunt, ſic etiam morbi, ſi nihil tale prae ſe ferentes, clandeſtinis, nec apparentibus machinationibus, et quaſi per cuniculos tendunt ad perniciem. Quaeritur autem, in quonam illa morborum malignitas ſit poſita. Nam hominum quidem in animo malum eſt, quod ad morbum transferre non licet. Hoc ergo dictu difficillimum: Quid ego ſentiam paucis declarabo: Omnes morbi naturalem ſuum decurſum habent, ad quem medicus peritus, ratione temporum, et in eo apparentium ſymptomatum, bonique ac mali finis ſalutis et interitus ſecure poteſt attendere, indeque ſtatum internum laborantis aegri certa ſatis coniectura nouiſſe. Omnia enim etiam in morbis fiunt ſecundum leges naturae, quibus ſubeſt tota vniuerſi ratio, omniaque corpora ad has leges perpetuo mouentur. Et cum Medicus, qua eſt Philoſophus naturalis, has regulas non ignoret, facile, ſi ſapit, totius morbi ambitum praeuidebit, et, quis exitus futurus ſit, cognoſcet, conferendo robur naturae aegroti, cum morbi magnitudine et vehementia. Verum in hoc fallitur a malignis morbis, etſi optime ſubducat omnes rationes, et male calculum ponit. Idque propterea, quia hic ipſi negotium eſt, non cum particulis, ad vniuerſae naturae rationem formatis, ſed cum moleculis heterogeneis, ex varia materia caſu et fortuito concurrentibus, et nulla certa lege coeuntibus: quales cum in aere, tum in animalium corporibus nonnunquam producuntur; illic quidem a vento raptis, et ſine ordine ac lege huc illuc iactitatis, putridis exhalationibus, tum combinatis, et in ſe propulſis, moleculis, ſolis deinde calore, frigore aliisque occaſionalibus cauſis, digeſtis, ac nouo more, naturae alias incognito, ex horum combinatione progenitis; hic vero a praua diaeta, qua fit, vt has naturales leges ſubire, et ad leges corporis humani in alimenta et excrementa mox per vias naturales excludenda coire recuſent: prodit igitur tertium quid, naturae humani inſuetum et intolerabile. Idem de medicamentis, ad morbos perperam, neglecta methodo, adhibitis ſentiendum, quibus ſaepe morbum, in ſe facilem, imperiti medici malignum reddunt. (m) qualia exempla, hic quoque me

(m) Vid. SYDENHAMIVM loc. cit.

me vidiſſe memini, aliaeque haut infrequentes aliorum medicorum querelae ſubinde audiuntur. Sunt autem morbi maligni praecipui febres continuae, quae ſi cum bubonibus aut petechiis magnis et enormibus coniunguntur, peſtilentes dicuntur, quia ad peſtem proxime accedunt, et fortaſſis etiam in eam transeunt. Sane, ſi qua peſtis extra aerem et particulas malignas in eo progenitas, origo eſt, nullam eſſe aliam certus ſum. Sed de iſta re multa adhuc dubitatio eſt.

§. XI.

Morbi autem contagioſi, quo genere nullum mortalitati perniciosius, illi ſunt, qui *ſui ſeminium atque inquinamentum in aliud corpus transfundunt, et per illud ſimile ſibi in eo excitare poſſunt.* Id autem contingit per exhalationes exiliſſimarum partium, ex ſanguine corrupto prodeuntium, et per poros corporis transeuntium in aliud: ſiue iam hoc fiat *per admiſſum in pulmones aerem, ſiue haerentium in ſaliua, dum transeunt os, ſiue per ipſos poros.* Sunt autem eiusmodi effluuia ſaepenumero ipſae illae particulae, quae malignitatem conſtituunt. Vnde et omnes morbi maligni ſunt contagioſi, ipſis etiam animalium venenis quibusdam non exceptis, rabidorum maxime. Omnes autem contagii feraces particulae ſunt fermentandi vi inſtructae. Vnde contingit, vt, vel minima mole totam ſanguinis in altero corpore materiam immutare queant: ſunt enim fermentantes illae ſui multiplicatiuae, vt vocant Philoſophi, et incrementum capiunt, proximas in ſui ſimiles permutantes. Agunt autem triplici potiſſimum modo, prout magis ſunt tenuium partium, et volatiles. Primum ſimplici contactu, et corporis ad corpus applicatione: tum per lintea, veſtimenta, et alia, quibus inhaerere poſſint. Denique etiam per aerem, cui ſe miſcent, et cum eo in corpus perueniunt. Id autem pro morborum genere modo vno, modo omnibus modis poteſt accidere. Ita Lues venerea atque ſcabies contactu corporis, et ſtragulis inhaerens, poteſt propagari, hiantibus poris, et calore mouente. Malignae autem febres, peſtis, variolae et morbilli, et rel. etiam per aerem admiſſum propagantur. Sed in hoc quoque diuerſitas eſt, et periculi maioris metus, quod malignae aliorum morborum particulae extra hominem non ſubſiſtant, niſi in veſtimentis, et ne hic quidem longo tempore: At peſtilentes, etiam in parietibus, maceriis et ruderibus per ſecula aſſeruari

ri queant. Cuius memorabile exemplum Hamburgi accidit. In medio foro ligna putrida, hominum memoria non tacta, commouentur. Conſpicit matrona ibi habitans prodire ex iis dilapſis coeruleam quamdam auram, inſtar nubeculae, conuocat domeſticos, vt rem miram et illi intueantur, obſeruant, vident plena meridie in domum quamdam abeuntem. Altero poſt die aliquot habitantium peſte correptos comperiunt, qui breui abripiuntur. Diruuntur aedes, iuſſu magiſtratus: nihil accidit, donec ad ſupremam contingnationem peruenitur. Ibi cum tectum diruunt, et tigna diripiunt, vnus ex fabris lignariis, dulcem haurit halitum, vnde confeſtim male habere incipit, et breui diem obit ſupremum. Tanta huius contagii vis eſt, vt nulli exercitus hoſtiles maiorem mortalium ſtragem edant.

§. XII.

Porro ſunt morbi alii breues, alii longi et diuturni. Breues autem in acutos et ſimpliciter breues diuiduntur, vnde altera diuiſio, nomine diuerſa, ſed re vera pene eadem, qua in acutos, et Chronicos diſcernuntur. Non iidem ſunt breues et acuti: acuti omnes breves ſunt, ſed non omnes breues acuti. Ad acutos enim requirunt auctores medici, vt et breui temporis ſpatio abſoluantur, et grauibus ſymptomatis ſtipati, cum periculo decurrant; neque hi tamen omnes, ſed illi fere, qui febrim continuam adiunctam habent, et nonnunquam per Criſin terminantur. Quod vt poſſit intelligi, dicendum eſt paucis, quid ſit criſis. Graecum hoc verbum eſt, Iudicium ſignificans, quod fit in foro de patrato facinore, quo reus vel abſoluitur, vel capitis damnatur. Hoc cum fiat ſubito cum executione ſententiae, ad morbos ab HIPPOCRATE translatum eſt, in quibus, veluti coram iudice, acris huius cum natura eſt concertatio, qua perbreui momento vel haec vincit morbum, vel a morbo vincitur, velvti pronunciata ſententia, a qua ad aliud tribunal nulla conceditur appellatio, ſed breui poſt cita mors venit, aut victoria laeta. Hoc autem ita contingit, quia in ſumma, quae tunc accidit, ſanguinis perturbatione diu ſubſiſtere aeger non poteſt, ſed vel ſeparatur materia pernicioſa naturae opera, et eiicitur, vel ita corrumpitur ſanguis, vt nulla poſſit arte reſtitui. Ex tali vero ſpiritus animales ſeparari amplius non poſſunt, vnde, viribus deficientibus, breui interitus hominis inſtat; eoque citius, quo corruptio maior eſt. Acuti autem hi

morbi vocantur per abuſum, vel errorem potius. Nam Graecum ὀξυς et acutum et celere ſignificat: quod ex ſolo Aphoriſmo primo HIPPOCRATIS patet, vbi ὁ δὲ καιρὸς ὀξυς, redditur: Occaſio (ſiue tempus) *praeceps ſeu breuis.* Acutum autem de inſtrumentis ferreis dici poteſt, de morbis, vt materia carentibus, et materiae conditionem tantum notantibus non item. Interim vox recepta in ſcholis retinenda eſt. Sunt autem morbi acuti febres continuae, et illi, qui hanc comitem habent, peripneumonia, Pleuritis, Phrenitis, apoplexia et pernicioſiſſimus omnium atque acutiſſimus, peſtis, plerumque ſaltim cum febre ſaeviens. Reliqui breues, vt Apoplexia, etiamſi cum periculo ſint, nomine amplius extenſo, a nonnullis quidem his accenſentur, proprie tamen non ſunt tales. De qua controuerſia, prolixe olim agitata, SENNERTVS legi poteſt: vti et de diuerſitate acutorum morborum, quo alii acuti abſolute, alii peracuti, alii denique peracutiſſimi dicuntur, provt lente, cito, vel citisſime iudicantur. Notandum vero, olim quidem, HIPPOCRATIS et GALENI tempore criſes fuiſſe adeo frequentes, vt appareat, vix alio modo hos morbos fuiſſe curatos, quam *per expectationem*, vt GEDEONIS HARVAEI (g) loquela vtar, diei critici, qua de re integri extant Galeni libri. Hodie autem rara admodum Criſis apparet, quod licet THOM. SIDENHAM fieri arbitretur ex eo, quod medici hodierni eam interuertant, medicamentis temere adhibitis, neque id quandoque euenire, negauerim, tamen ſimpliciter verum non eſt, in multis enim hanc fruſtra expectes. Adſcribendum autem id eſt regionum, aeris, victusque rationi. Interim non eſt plane negligendum hoc monitum, ſed motus naturae omnino ſequendus, qua de re in methodo medendi plura dicentur. Eſt autem criſis hic loci in febribus continuis expectanda plerumque ſeptimo, et decimo quarto diebus, raro ad XX extenditur: plerique autem aegri, niſi natura vinciat, nono, decimo, vndecimo moriuntur. Nec criſis haec ſemper manifeſta eſt, effuſione humoris, quam ἐκκρισιν dicunt Graeci, niſi quod aliquando ſudore ſoluatur morbus: Eſt tamen, vbi citra vllam mutationem, externe conſpicuam, tacite ſoluatur, pulſu ſubito, ad naturalem motum redeunte. Verum de his alibi plenius dicendum eſt. Et hae ſunt praecipuae morborum ſecundariae differentiae, reliquae minoris momenti; non tamen nec illas ignorari oportet.

(g) *Libro de modo curandi morbos expectatione.*

§. XIII.

Prima ex his eſt, quod morbi quidam ſint continui, alii intermittentes. Continui ſunt, qui continuo affligunt, vnoque tractu decurrunt ad finem. Intermittentes, qui poſt tempus aliquod deſinunt, deinde reuertunt. Idque vel certis diebus, imo horis, vel menſibus: vel pro tempeſtatis, aut diaetae aegri conditione, modo citius, tardius modo. Ex iis, qui certis diebus aut horis potius revertunt, ſunt Febres, hinc intermittentes dictae, Quotidianae, Tertianae, Quartanae, imo dantur et Quintanae, et longius ſpatium quieſcentes. Sed rariores hae ſunt. Per menſes recurrunt Epilepſia nonnunquam aliique, per Semeſtre, ſed incertius tamen, podagra, vere fere et autumno. Sed hoc etiam tempeſtati debetur, et aegri diaetae.

§. XIV.

Magni quoque et parui ſua ratio eſt. Magnus enim vel ex ſe et ſua natura talis eſt, vel per aliud ſuperueniens: Magnus ex ſe tribus modis dicitur: *Primo eſſentiae ratione*, vt Peſtis ex ſe magnus eſt, item febris hectica, continua ardens, et acuti ceteri, primi et ſecundi gradus. Primi quarto, ſecundi ſeptimo die ſoluuntur. *Deinde* gradu et receſſu a naturae ordine: quo enim longius a naturali recedit ſtatu, eo maior eſt. *Tertio* loco eſt κακοηθεία, malignus enim morbus ſemper maior benigno, isque rurſum gradu diuerſus eſt. In variolis hoc maxime obuium, quarum aliquae tantum non omnes lethales ſunt, aliquae vix Medicamentis indigent. *Per aliud autem ſuperueniens* magni fiunt; ſi ſymptomata grauiora accedunt: vt gangraena in vulnere. Huc referunt, quando morbus ex ſe non magnus nobiliorem partem occupat; Sic vulnuſculum leue in cordis ventriculo aut vas, ei proximum, penetrans lethale eſt. Vulnus etiam ex ſe non magnus morbus, ſi tamen magnum infligitur, mutat naturam, aut ſi arteria laeditur, magnaque ſequitur haemorrhagia, magnus merito morbus habendus eſt. Ad magnos morbos hoc nomine etiam referendi ſunt, qui non congrui dicuntur, hoc eſt, qui aetati, temperamento, conſtitutioni et habitudini corporis non conueniunt, vt ſi ſenex laboret ardente febri; Iuuenis podagra.

§. XV.

Vehemens et mitis lentusque etiam opponuntur ſibi. Omnis vehemens morbus magnus eſt, aliquo modo, ſed non omnis magnus vehemens. Rectius autem magni omnes periculoſi habentur, celerem enim fere manum poſtulant; vt mites, cum vires non deiiciant, tempus dant Medico, vt plura remedia tentare queat.

§. XVI.

Singulare eſt, quod Medici etiam morbum fientem et factum decernant, *fientem* non illum appellantes, qui nondum perfectus eſt, ſed qui cauſam continentem habet; Vocant autem cauſam continentem, Stoicorum more, illam, quae ſuſtinet morbum ac fouet; ita vt ea in corpore praeſente ſubſiſtat, ceſſante ceſſet: *Factum* autem, qui talis eſt, vt ea etiam remota tamen ſubſiſtat, vt retracto gladio vulnus.

§. XVII.

Σχετικον et ἑκτικόν etiam diſcernunt, illum vocantes Graeco nomine, qui facile tollitur, ἑκτικόν qui difficulter, ſed non magnum vſum habet haec diſtinctio: magisque inutilis eſt diſceptatio, an fientes et σχετικοι item ἑκτικοι et facti ſint idem. Eſt enim in aperto, hecticum et difficilem eundem eſſe leuem et σχετικον itidem: at fiens et factus nihil cum his commune habent. Vide SENERTVM, qui in vtroque prolixus eſt.

§. XVIII.

Sunt etiam haereditarii, connatique morbi, qui, quales habendi, audita voce ſtatim intelligitur. Tantum in hoc afferuntur in medium, ne putentur iidem eſſe, cum proxime ſibi accedant. *Haereditarii* enim a parentibus in liberos propagantur; Tales ſunt Podagra, epilepſia, et permulti alii, vbi elegantia ſunt SENNERTI verba: *Vt*, inquit, *ea, quae ſecundum naturam ſunt, plerumque a parentibus in liberos transfunduntur, liberique parentibus non ſolum ſecundum ſpeciem, ſed et ſexum* (hoc excidiſſe auctori incogitanter apparet) *vel etiam indiuiduales proprietates ſimiles naſcuntur; ita etiam, ſi aliquid morboſi in parentibus ſit, et illud ſolet in liberos deriuari.* Merentur vero et ſubſequentia proxime ex eo notari: *horum morborum aliquos ſtatim in ipſo vtero liberis obtingere, praeſertim orga-*

ganicos, vt dum ſurdi ſurdos, muti mutos generant (quale Helmſtadii accidiſſe meminimus, vt ſutor binas generabat filias et mutas et ſurdas vna) *coeci coecos. Aliis vero ſolas diſpoſitiones multo poſt tempore erupturis morbis. At Epilepticos in pueritia quidem ſtatim hoc malum paſſuros, ob aetatem, huic morbo obnoxiam. At Podagricorum filiis in adultis demum ſe exſerit, haec peſſima a parentibus ipſis relicta haereditas.* Phthiſis haereditaria quoque eſt haud raro, et nouimus integras familias perpetuo hoc morbo extinctas eſſe. Sed et muti mutos generant, et gibboſi gibboſos, cuius exempla quaedam illuſtria nobis comperta ſunt. Non tamen exiſtimandum, neceſſitate quadam hereditarios morbos ſemper propagari; poteſt enim et aeger parens filios optime valentes procreare, et, ſi procreauerit ad morbum quendam pronos, haec praua diſpoſitio contraria diaeta ita emendari, vt in effectum non prorumpat. Notus mihi ſummus Medicus, parentibus podagricis natus, qui abſtinentia a vino et caſeo, aliisque ſuſpectis in hoc edulibus, ita compoſuit hanc indolem, vt nihil vnquam inde ſentiret mali. *Connati* autem morbi ab his diuerſi ſunt. Saepe enim a primo ortu aliquid mali liberis inhaeret, parentibus incognitum: vt ſi matris imaginatio vtero geſtantis maculas aut aliud iis adfricat mali, aut lapſu embryoni confringatur diſtorqueaturue oſſiculum.

§. XIX.

Legitimi et nothi etiam morbi recenſentur, ſed haec diſtinctio, cum falſae hypotheſi de humoribus quatuor, in ſanguine febres producentibus, ſuperſtructa ſit, ipſa vt illegitima ingeniique inmaturus partus dudum exſpirauit, etiam haec diſtinctio, tanquam vana et commentum ſpurium merito reiicitur.

§. XX.

Tandem ſunt, qui ſtato tempore redeunt morbi, quod ad intermittentes pertinet; ſunt qui nullam certam periodum ſeruant, ſed inconſtantes ſunt et vagi, quales erraticae ſunt febres, verum hoc antea tetigimus. Alii quoque non vno loco conſiſtunt, ſed huc illuc per corpus vagunt, vt Arthritis, vaga hinc dicta, et defluxiones quaedam, quod verbo monuiſſe ſufficiat.

CAP.

CAP. VII.

DE MORBORVM TEMPORIBVS.

§. I.

Tempus eſt menſura durationis rerum; At quando Medici de morborum temporibus loquuntur, non ſolum menſuram reſpiciunt, ſed etiam morbi ſtatum et totius decurſus rationem. Hinc non vtuntur nominibus, quibus differentias temporum alii artifices denotant, ſed ſibi propriis, vocant enim *Principium* ἀρχὴν, *Augmentum* αὔξησιν, *vigorem vel ſtatum* (a ſtatione forte ſtellarum Aſtronomico verbo) ἀκμὴν, et *declinationem* παρακμὴν. Vt enim animalia primo generantur, hinc augeſcunt, tum ad ſummum vigorem perueniunt, ibique ſubſiſtunt, aliquamdiu deinde iterum contabeſcere incipiunt, et declinant ab illo ſtatu, donec tandem intereant, et moriantur, ita et morbi eodem modo (a) Hic enim naturae mos eſt, vt non faciat ſaltum, ſed in operibus ſuis, etiam prauis, ad leges adſtructa, ſenſim et ſucceſſiue, iuſto ordine ab vno extremo ad alterum procedat.

§. II.

Sed conſultum erit tempora morborum paulo accuratius contemplari. Principium morbi tribus modis accipi ex GALENO SENNERTVS docet (b) Primum de primi morbi inſultu, qui ſimplex eſt, et latitudine caret, (quae eadem verba in GALENO leguntur) et hoc ſignificatum ἀ[illegible]εχνον eſſe ait: deinde de tribus primis morbi diebus, quod itidem repudiat, tum vero pro omni illo tempore, vbi materia morbifica adhuc cruda eſt, et ſigna coctionis nondum apparent, ſed ignoſcant mihi pii SENNERTI manes, ſi ipſum in hoc GALENVM quidem ea parte ſecutum eſſe, ſed ex altera parte nimis longe abiiſſe ab ipſius mente dixero. Si enim hoc ita eſt; non niſi in paucis morbis tempora morborum locum habent, quae GALENVS in omnibus eſſe obſeruanda prodidit. (c) Ego et primum et ſecundum et tertium principii genus agnoſcendum puto. De primo notandum, quosdam mor-

(a) GALENVS Lib. de morb. temp. ex eo SENNERTVS VI. 11. 12.
(b) I. de Criſ. cap. 13. et I. aph. 12.
(c) Libro de temp. morb.

morbos oriri ſucceſſiue, longoque tempore ſenſim colligi: vt febris hectica, hydrops, quorum principium primum deprehendi non poteſt, cum ſe extendat in plures menſes nonnunquam; alios ſubito infeſtare aegrum, vt febres acutae, quae cum leui horrore accedunt, et intermittentes, quorum vel primum momentum notari poteſt. Secundo loco poſitum illud eſt, quo morbus nondum viget, ſed in principio adhuc eſt, natura adhuc integra, quod remediis paulo validioribus et generoſis adhibendis eſt commodiſſimum, et in acutis maxime captandum; poſtea enim morbus, iam incrementum nactus, ea non admittit, et, niſi intra hoc triduum vis eius frangatur, ſaepe fruſtra eſt curatio. Vltimum ſtrictius ſumtum in omnibus illis attendi meretur, quae materiam, coctioni idoneam, pro cauſa agnoſcunt: quales ſunt acuti primo loco, deinde et alii. Nam duplex in morbis eſt materia peccans, ſanguis et ſerum. Hic vt multum in ſe bilioſi et caloris habet, acutorum morborum auctor, cito vel concoquitur, vel corrumpitur, illud, vt nihil horum offert, tardius digeritur. Neque eadem vtriusque concoctionis ratio (quo verbo vtimur magis, quoniam alio, quo rem verius dicamus, deſtituimur, quam vt vere talem innuamus) ſanguis enim dicitur concoqui, vbi materia peccans, et quae commotionem illam ſanguinis induxit, ſuperata, et vel alterata ac in aliam verſa, vel ad eiectionem idonea reddita, vt abſcedere a reliqua ſanguinis parte, et quacunque via exire poſſit. Seri vero peccantis coctio vocatur, vbi incraſſatur illa, et mitigata citra dolorem prodire itidem poteſt. In his ergo principium vocant, quamdiu nulla coctionis ſigna apparent, quod itidem ad GALENI mentem eſt, qui de acutis agens (d) tum demum augmenti initium ſtatuit, vbi ſigna coctionis habenda, non tempora morborum, nubecula ſcilicet vel Eneorema in vrina apparere incipit. Mihi vero haec ſigna coctionis habenda, non tempora morborum appellanda eſſe videntur, quae vbi apparent, iam valetudinis recuperandi ſpes eſt, et vincere incipit natura: quo ergo iure hoc morbi augmentum appellari poſſit? Interim ſic placuit iſtis magnis viris, et tolerari poteſt. Tum enim veri morbi ſymptomata adhuc increſcunt, ſed, ſi ita ſentias, in illis, qui interimunt aegrum, nullum augmentum erit, et a principio ad finem, ſine intermedio erit procedendum morbo, cum in iis nulla coctionis ſigna vnquam appareant, quod abſurdum eſt. Itaque mihi rectius primum tri-

(d) De morborum temporibus.

triduum in his principium morbi videtur habendum, etſi in iis, qui celerrime ad finem properant, perire aliquid, mouendi occaſionem tollens poſt triduum, confitear. Dum alterum principii genus, quod SENNERTVS, ατεχνον vocat, in omnibus reliquis morbis agnoſcendum, arbitror, qui materiam talem, quae eo, quo diximus, modo concoqui poſſit, non agnoſcunt cauſam: vt fere eſſe ſolent Chronici plerique omnes. In his enim potius Medicus, quam natura, morbum vincere et dispellere ſolet.

§. III.

Incrementum, quod αὔξησιν et ἐπίδοσιν et ἀνάμησιν Graeci vocant, eſt, quod ſequitur morbi tempus, quando vires is ſumit, et aeger peius habere incipit, ac ſymptomata ingraueſcunt. Non autem tunc ſtatim coctionis ſigna apparent, vt ex GALENO SENNERTVS docet, ſed aliquot dierum ſpatio decurrunt, antequam vel Eneorema vel nubecula adſit; nonnunquam et nulla apparent, ſed vsque ad ſtatum vrina ſemper peiora prae ſe fert, tum ſubito turbari incipit, et poſtea ſedimentum ponere. Ita ſane in noſtris regionibus fieri obſeruatur; Interdum vero omnia in peius ruere videntur, donec ad ſummum diſcrimen res adducatur.

§. IV.

Hoc vbi accidit, et naturae adhuc ſuum poſt pugnam plurium dierum robur conſtat, pulſu vigente, ſed vacillante tamen et turbato, Status eſt: vbi ſymptomata omnia vehementiſſima ſunt, et aliquando in hoc ſtatu conſiſtunt: vnde ei nomen obtinuit. Tum vero victoriam in alterutram partem inclinare, et naturam vel morbum vincere, neceſſum eſt, apparentque tum manifeſta coctionis peractae ſigna; vel, vbi nulla apparent, mors intra diem aut ſaltem intra biduum conſequitur.

§. V.

Declinatio ſtatum, vt ſtatus augmentum excipit: Verum ea etiam duplex eſt. Vel enim ad vitam, vel ad mortem declinat morbus, de qua vltima declinatione modo diximus, non vltra biduum eam extendi, prior vero, tametſi, quoties Criſis manifeſte contingit, ſtatim omnis

morbi vis frangatur, tamen etiam, vbi hoc non accidit, ſaepe morbus vincitur, ita tamen, vt reliquiae quaedam ſubſiſtant, et ſenſim ac partitis vicibus per interualla eiiciantur. Me ipſum febre maligna correptum, tandem aegre euaſiſſe recordor: cum miſerrime laborarem, et ſpes omnis decollaſſet in hoc diſcrimine, ecce ſubito media nocte pulſus ad naturalem ſtatum redit, ita vt mox pronunciarem adſtantibus, me non moriturum: qui mihi nullam habebant fidem, tamen exitus rem comprobauit. Interim quauis nocte ſequentium dierum matutinis horis me occupabat ſudor, primo per vniuerſum corpus, tum capite ſaluo, tum pectore, quarta ventre etiam, poſtea ad genua vsque. Denique laxatiuo ex ſenna uſurpato, penitus ceſſauit ſudatio et conualui.

§. VI.

Ceterum non omnes morbi omnia haec tempora admittunt, neque omnes eiusdem ſunt conditionis. Si enim aeger moritur, ad decrementum morbus non peruenit, ſi in augmento moritur, ne ad ſtatum quidem: et ſi ex HIPPOCRATIS praecepto, in principio, quod mouendum, mouetur, et ſtatim morbus iugulatur, neque inceremen-tum, nec ſtatum, neque declinationem habet. Tum vero demum per omnes illos gradus ad ſummum aſcendit, et iterum decreſcit, ſi ad integritatem perueniat. Nemo autem, vt ait GALENVS (e) *in declinatione moritur.* Niſi tamen vel a Medico vel aegroto peccetur. Vir quidam primae dignitatis munere conſpicuus febre laborabat, et cum Medicus, cum neſcio quo ventris ſpaſmo correptum potius exiſtimaret, morbumque tolli poſſe deſperaret, iter alio fingens, deſereret aegrum, arceſſitus ego, febrimque agnoſcens, adhibitis idoneis remediis, facile cohibeo: iam ſedimentum in vrina apparebat, et pulſus ad naturalem ſtatum adductus erat, cum alter medicus eum viuere intelligens ſuperuenit, emplaſtrum carminatiuum, me inuito, toti abdomini imponit, ego, quem mane ſaluum reliqueram, veſperi denuo in febrim recidiſſe comperio. Iratus ergo, et hoc aegre ferens, emplaſtrum ſtatim remoueri iubeo: febris ea nocte non ceſſat. Mane id videns, praedico moriturum aegrum, et quia criſis eſſet turbata, ne ipſam Salutem eum iam ſeruare poſſe: nam et vrina recruduerat. Atque ita deceſſit ipſe poſt quatuor dies animam efflans.

§. VII.

(e) III. de Criſ. c. 5.

§. VII.

Antequam hinc diſcedamus, duo adhuc monenda ſunt. Nempe quae hucusque de temporibus morborum diſſeruimus, non omnibus morbis conuenire, ſed acutis tantum febribus continuis, et quos illae comitantur; non item iis, qui ex ſero ſunt vitiato, neque reliquis Chronicis. Nam illi quidem eadem habent cum his tempora, ſed magis incerta et longiora. At reliqui Chronici ſaepe in principio ſtatim ακμην et ſummum vigorem habent, vt Apoplexia, quam ideo etiam acutis nonnulli adnumerant, cum ad breues pertineat, ſi aeger protenus moriatur, ad Chronicos, ſi deſinat in paralyſin, quae poſtea curatur. Eadem eſt ratio Epilepſiae et ſpaſmi, Hyſtericae paſſionis, et aliorum multorum, qui augmentum non habent, aut non ſemper habent, ſed ſtatim in ſtatum perueniunt. Haec GALENVS quidem excuſare ſtudet, incrementum tam breue eſſe, aiens, vt non animaduertatur, ſed friuola haec eſt excuſatio. Si enim non poteſt percipi, vnde de eo conſtat? Plerique autem Chronicorum augmentum longiſſimum agnoſcunt, ſubitoque, ſine decremento deſinunt: vt calculus, qui celeriter motus, ſummos ſtatim dolores infert, redditus cum vrina, protenus aeger reſtituitur, vt non niſi virium reſtauratione ſit opus.

§. VIII.

Alterum, quod monendum, illud eſt, quod tempora morborum in triplici conſideratione ſunt. Prima morbis Epidemicis deſtinatur, altera, vt dixi, acutis, tertia paroxyſmis. Epidemici enim, vt iam antea innui, qua populariter graſſantur, non tantum ſinguli, ſed in vniuerſum ſua initia habent, incrementa, ακμην, et decrementa. Durant plerumque et graſſantur per menſes integros, vt febres malignae, vel per annos, vt intermittentes, variolae et morbilli; nonnunquam vel per biennium, aut triennium, vt peſtis. Sunt et Pleuritides et peripneumoniae, et Cholerae et Dyſenteriae et Rheumatismi, eosdem typos obſeruantes. Habent autem hi omnes hoc, vt in principio mediocres, in incremento, vbi ſe latius diffundunt, difficiliores ſe praebeant, in ſtatu conſtituti magis ſaeuiant, et plurimos occupent, tum ſenſim a ferocia remittant, pauciores euadant, et mox ſucceſſu temporis penitus exſpirent, ita vt vix vlla eorum veſtigia relinquantur.

Haec noua obſeruatio vsque adhuc neglecta eſt, nec veteribus cognita aut in Inſtitutionibus annotata fuit. Primam mihi haec ſuſpicandi occaſionem dedit febris, quae Anno 80. praeteriti ſeculi, et Dyſenteria, quae Anno 79. Helmſtadii graſſabantur, poſtea SYDENHAMII (f) obſeruationes apud nos innotuere, quae me plenius inſtruxere. Hic enim primus, ni fallor, talia diligentius excuſſit.

§. IX.

Vt autem hi morbi, vniuerſim conſiderati, annuas menſtruasque periodos percurrunt, ſuaque tempora obſeruant, ſic ſinguli certo dierum numero abſoluuntur, ex quibus continuae febres prae ceteris conſiderantur. Harum Principium, ſi admodum veloces, vno die, ſi mitiores, triduo decurrit, incrementa ſumunt diebus ſequentibus quatuor, ſeptem, nouem, vndecim, pro humoris, qui concoquendus eſt; conditione, tum ſtatus adeſt, qui non niſi ad vnum diem extenditur. De hinc ſi aeger moritur, decrementum nullum habet ad ſalutem, ſed perpetuum incrementum, et declinationem in peius vsque ad mortem, raro enim fit, aut nunquam, vt Medici opera et Medicamentorum virtute natura colligat copias ſuas, et hoſtem iam ſuperiorem, tamen profligat.

§. X.

Tertia temporum ratio eſt in intermittentibus febribus, quae praeterquam, quod tempora ſua decurrant, et ipſa vniuerſalia, etiam particularia agnoſcunt. In vniuerſalium ratione eſt, quod ſi ſibi relinquantur, principium habeant, quod tribus circiter primis paroxyſmis includitur, quo tempore faciliora, remediis generoſioribus, ſupprimuntur, augmentum poſt hos per breue, ſtatum et vigorem longiorem pro cauſae magnitudine per paroxiſmos reſtrictam. Praeter iſta vero vniuerſalia etiam ſingulis paroxysmis ſua ſunt tempora horis numeranda. Principium eſt, dum horror durat, qui per initia diuturnior, vbi aliquamdiu febris regnauit, magis magisque remiſſus. Augmentum eſt, dum calor incipit, vsque ad ſummum; declinatio, vbi decreſcit is, donec penitus extinguatur; ſi modo id fit, nam ſi nimia ſumit febris incrementa, nunquam remittitur in totum, ſed ſui relinquit aliquid, vsque dum redeat alter acceſſus. (g)

PA-

(f) SYDENHAM de morb. acut.

(g) Aliter haec GALEN. l. c. in 6. tempora differentias digerens, inter principium et incrementum inaequalitatis tempus ingerens, et addens intermiſſionis, quod integritatis vocant.

PATHOLOGIAE
SECT. II.
DE
CAVSIS MORBORVM.
CAP. I.
DE IIS IN VNIVERSVM.

§. I.

Tria humano corpori accidere, quae ſunt praeter naturam eius, eamque ſubuertant et affligant, ſupra comprehenſum eſt: Morbum, cauſas morborum et ſymptomata, quae ſe ordine conſequuntur. Nihil enim quicquam niſi a cauſa fieri, ipſa nobis docet ratio: neque quod ex cauſis iam productum eſt conſequentibus ſuis effectis carere. Itaque et morbi cauſas habent ſuas, et quae eum conſequantur incommoda. Et poſtquam de morbo ſatis iam dictum eſt, poſtulat ordo diſciplinae, vt etiam de cauſis eorum disquiſitio inſtituatur; quamuis enim illa praecedant morbum, non tamen commode, antequam morbi natura perſpecta ſit, earum diſciplina tradi poteſt.

§. II.

Eſt enim doctrina de cauſis morborum, vt ſumme neceſſaria, ita ob earum numerum et multitudinem, et varios reſpectus, ad quos attenditur, dum diſtribuuntur in claſſes, difficilis et intricata. Auget difficultatem Doctorum in iis tradendis diſcrepantiae, et non ſatis circumſpecta exponendi ratio, quibus animi diſcentium turbantur. Allaborandum igitur nobis erit, vt eam quam maxime perſpicuam reddamus.

§. III.

Primo itaque ſtatim loco notandum occurrit, cum varia cauſarum ſint genera, materia, forma efficiens, et finis, relictis ceteris, ſolas efficientes hic attendi, quod etiam SENNERTVS (a) rectiſſime annotauit, et ſatis eleganter oſtendit Cum enim morbus non ſit ſubſtantia, ſed in ſubſtantia materiam habere non poteſt: eſſet enim materia in materia, quod foret abſurdum: neque formam, talia enim non niſi formalem habent rationem, quae in materia eas conſtituit, eſtque formae

 loco.

(a) Plures octenas nempe recenſentem ARGENTERIVS refutauit SENNERTVS II. 2. 1. pag. 211.

loco. Talis hic eſt partium modus ſeu figurae, ſeu conformationis, ſeu compoſitionis corruptus, qui morboſam illam reddit, de quo in Sectione priori actum eſt. Partis enim recte habentis formalis ratio eſt diſpoſitio ſecundum naturam: morboſae vero, diſpoſitio praeter naturam. Neque vero et finis morbi eſt, cum ſit res fortuita. *Natura enim et artifex agunt propter finem, fortuna autem et caſus minime*, ut optime docent omnes Philoſophi. Reſtat ergo ſola efficiens, quoties cauſae fit apud Medicos mentio, vnice intelligenda.

§. IV.

Hanc autem efficientem variam eſſe et multiplicem aliunde notum eſt; primum *Phyſica et Moralis* commemorantur: illam dicunt, quae effectum producendi reapſe influit, hanc, quae non reapſe influit, ſed cui tamen vere aliquid eius imputari poteſt, ac debet. Verum haec diſpertitio in Morali Philoſophia et foro vtilitatem habet, nobis nullum affert commodum, vbi non haec, ſed ſola Phyſica locum inuenit, nam de rebus naturalibus agimus, et eas quaerimus, quae in effectum reuera influunt. Hae ſunt vel proximae vel remotae. *Proxima* eſt inter quam et morbum nihil intercedit. *Remota:* inter quam et morbum, aliae intercedunt vel plures vel pauciores. Proxima non niſi una eſt, eaque nonnunquam ſola ſufficit, vt ſi quis cadens in lapidem inpingat, vulnusque accipiat. Remotae autem modo plures ſunt, modo pauciores, vt non raro longa cauſarum ſeries ſe conſequatur. Eleganter ea de re WEDELIVS (b) *Eſt quaedam cauſarum morbificarum catena et nexus, vt naſcantur, non tam ab vna ſola aliqua cauſa, ſed fiat earundem quidam quaſi concurſus, et mutua conſenſio. Conſtituunt veluti quandam ſphaeram, cui plures ſubſtant rotulae, quarum vna mota, mox mouetur altera, donec effectus reſultet, cui debentur. Quando itaque diſtinctim agimus de hiſce cauſis, ſpeciatim ſic euoluimus et attendimus hanc illam, ex cuius motu et concentu conſurgat alterius motus, et communis quidam tandem effectus.* Et hoc Medicum decet maxime, vt hinc ſpeciatim eruat, cuinam debeatur noxa et remedium. Has ergo eo ordine collocare, vt citra confuſionem comprehendi posſint, operae pretium eſt. Cum enim varii ſint generis, facile, vt ſe excipiant, perſpicue ſatis tradi poteſt. Hic ergo diuerſo modo a multis elaboratum eſt.

§. V.

Quidam veterum doctrinam ſecuti a Galeno excogitatam triplicem cauſarum ordinem conſtituunt. I.) Proximam, *quam* immediatam

(b) Pathol. Sect. II. c. 7. p. 259.

tam vocant, quae proxime morbum conſtituit et fouet, II.) Hanc *antecedentes*, quae tanquam materia ſit, ex qua haec proxima producatur. Eas (plures enim eſſe ſolent) Graeco vocabulo προηγυμενας vocant, hoc eſt *antea productas*, ſcil. quam proxima illa fieret. III.) Quae ſunt priores in cauſarum ordines; προκαταρκτικας, ſeu προκαταρχοντας antecedaneas, quae incipiant agere, et quaſi impellant. Verum vt haec paulo ſunt obſcuriora, ſic a multis non ſatis accurate traduntur, nec GALENI mentem omnes aſſecuti ſunt, praeſertim in προκαταρχοντα et προηγυμενη diſcernenda.

§. VI.

Alii itaque ex recentioribus, relicta veteri illa, nouam morborum diuiſionem concepere animo, aliam eſſe *immediatam*, mediatam aliam: *Mediatam* hanc eſſe vel *proximiorem vel remotiorem*, proximiorem eſſe, quae intra corpus ſunt flatus et humores, horum alias eſſe alimentares, ſanguinem, ſerum, bilem, pituitam, etc. alios excrementitios: Acida, ſalſa, crudum humorem in cachecticis abundantem, bilem corruptam, tartarum, acorem. *Mediatas remotiores* eſſe, vel *ſupra naturales*, vel *non naturales*, vel *naturales*. Cuius diuiſionis auctor eſt GVERNERVS ROLFINCIVS, Ienenſis Academiae Profeſſor celeberrimus (c) atque ingens lumen, Anatomiae, Chirurgiae Botanices et Chemiae inſtaurator. Eam aliquamdiu in illa tenuere ſucceſſores, in diſputationibus publice habitis plerisque omnibus, non niſi hanc methodum ſecuti.

§. VII.

Vtraque harum diuiſionum ſuos vſus habet, ſed cum haec ultima ſit paulo perplexior, neque in medendo aeque magnam vtilitatem praeſtet, potiorem alteram et Galenicam exiſtimamus. Neque tamen vel illam reiiciendam, vel hanc naeuis ſuis carere, eſſeque omni ex parte perfectam puto: potius videtur, vtrumque genus coniungendum eſſe, id quod commode fieri poteſt, adeoque hoc pacto optime illas in ordinem redigi.

§. VIII.

Cauſae morborum conſiderantur, vel in ordine ad morbum, vel reſpectu rerum ipſarum, quae cauſae fiunt. In ordine ad morbum cauſa

(c) Meth. Med. ſpecial. comment. Lib. II. p. 2.

cauſa eſt vel proxima vel remota. Proxima vel continens, vel non continens. Remota vel proximior eſt προηγȣμενη vel remotior προκαταρτικη.

Reſpectu vero rerum, quae cauſae fiunt, vel ſunt illae naturales, vel non naturales, vel praeter naturales vel ſupernaturales.

Naturales, vel partes, vel humores, vel ſpiritus. Non naturales 1) aër, 2) cibus et potus, 3) ſomnus et vigilia, 4) motus et quies, 5) excreta et retenta, et 6) animi commotiones, ſive παθηματα. Praeter naturales ſunt eadem, quae naturales, ſed vitioſa, ſupra naturales, quae vel diuina potentia vel Daemonum ope, per homines ipſis deditos, corpori immittuntur.

Has autem ſeorſim nunc per ſingula genera eundo contemplabimur. Quod ſi quis magis expedire arbitratur, velut in tabula depictas intueri et connexionem earum exhiberi in gratiam eius id quoque praeſtabimus:

I. Cauſae morborum in ordine ad morbum ſunt vel
  1. *Proxima*, quae vel
    1) Continens, vel
    2) Non-continens,
  2. *Remota*, quae vel
    1) Proximior, προηγȣμενη, vel
    2) Remotior, προκαταρκτικη,

II. In ordine ad res, quae cauſae fiunt, aliae ſunt
  1. *Naturales*, quae ſunt
    1) Partes, 2) humores, 3) ſpiritus, 4) temperamenta, 5) aetates, 6) ſexus.
  2. *Non-naturales*, quae ſunt
    1) Aër, 2) cibus et potus, 3) ſomnus et vigilia, 4) motus et quies, 5) excreta et retenta, 6) animi pathemata.
  3. *Praeter-naturales* ſunt (I.) *ſimpliciter tales*, (II.) *toto genere*,
    1) Partes, 2) Humores, 3) Spiritus } Vitioſa { 4) Flatus, 5) Vermes, 6) Calculi.
  4. *Supra-naturales*, quae vel
    1) Diuina potentia, vel
    2) Daemonum opera per homines malignos et veneficos } corporibus immittuntur.

CAP. II.

DE CAVSARVM NATVRA, RATIONE HABITA AD MOTVM.

§. I.

Proximam cauſam eſſe, quae proxime morbum conſtituit, ſeu inter quam et morbum nihil intercedit, modo aſſeruimus. Eam autem continentem vel non continentem eſſe poſuimus: non ſine graui cauſa. Continens eſt, quae morbum fouet, et quaſi porrecta manu continet, vt niſi remoueas, ille perpetuo conſiſtat, ac duret, ſiue, qua poſita, ponitur, ſublata, tollitur morbus, qui autem talem non habent, etiam ſublata illa, tamen perdurant: diuerſam ergo hi curationem ſibi vindicant. Nam in priori genere cauſa inpugnanda eſt vnice, in poſteriori, ipſe etiam morbus. Quo ſtatim cognoſcitur eorum hallucinatio, qui προηγȣμενας ſolas attendentes proximam penitus praetereunt, vel ſaltim continentem inane Auicennae Arabumque commentum eſſe ducunt nullius in arte vtilitatis, quod FVCHSIVM feciſſe conſtat. (a) Haec vero continens illa eſt, quae morbi fientis et facti, cuius ſectione priori mentio facta eſt, principium eſt et fundamentum. *Factos* enim eſſe, qui a cauſa ſua ita producti ſunt, vt, ea licet recedente, ſubſiſtant tamen: vt vulnus retracto gladio, ac remoto, et defluxiones autumnalibus aut hybernis menſibus a frigore productas, etiam in hypocauſtis, poſtea continentibus, aut mutato aëre, tamen ſubſiſtunt: *Fientes* vero, qui ita a cauſa pendent, vt producti et perfecti tamen perpetuo illam coniunctam habeant, eaque foueantur, nec ceſſent; donec illa vel mutata ſit ac victa, vel remota penitus: vt febris, hydrops et perquam multi alii.

§. II.

Quod autem VALESIVS(b) MERCATVSque (c) coniunctam illam appellauerint, quam nos *noncontinentem*, nulla ratio eſt: coniungi enim continentem potius, et cum morbo arctius coiuiſſe, res loquitur, quae autem facto morbo recedit, ſeparatam et liberam eſſe apparet, nec

(a) Inſt. III. 1. 2. (b) IV. Controuerſ. 3. (c) I. 3. I. 3.

nec amplius coniunctam, adeoque abuſu quodam verbi, quod aliud non erat in promptu potius, quam vera ratione, id illi fecere. Quare *noncontinentem* dicere maluimus, quam contrarium temere quaerendo, in linguae indolem inpingere. Quid enim nos cogit in Latio quaerere vocem, et contrario continenti reſpondentem, cum et Graeci oppoſito continentis, citra incommodum careant?

§. III.

Ex quibus intelligitur, quinam morbi cauſam continentem habeant, qui non: Scilicet eos omnes habere, quorum cauſa materiam agnoſcit, ſiue ea ſit pars corporis, e qua dimanat, ſiue ex humorum claſſe, ſiue vapor, aliunde tanquam ex foco aſcendens, ſeu flatus alicubi ſubſiſtens, vt ſunt multi dolores: Imo et *affectus animi quidam cauſae continentes morborum eſſe poſſunt*, vt hyſterici mali, hi enim, ſolo conſiſtunt ſpirituum motu: *vti et motus ſanguinis ad partem quandam corporis, ſicuti et ſeri;* ſic enim Medici loquuntur ex veteri dicendi conſuetudine, quoties in parte aliqua ſit collectio humoris, quamuis reuera ſanguis ad aliquam partem ſeorſim nunquam moueatur, ſed vniuerſim et quaquauerſum a corde. Vbi vero ſubſiſtit, potius ab obſtruxione et tranſitu inpedito id contingit, quam ſingulari affluxu. Eſt autem in Medici poteſtate ſanguinis hunc motum auertere: at motus ſpirituum prauus, et ad affectum concitandum pronus, non eſt in Medici poteſtate, ſed aegri, niſi in quantum dehortando illum reducere ad priſtinum ſtatum queat. Exemplo *ſint amor et triſtitia*, quibus multi in maxima inciderunt mala. Verum haec potius ad medendi methodum pertinent, vti iſta ad remotiores cauſas quoque poſſunt referri. Itaque de iis mox rurſum agendum erit. Quo pertinent, quae SENERTVS tradit, (d) vbi de eo agit, quod cauſa continens et antecedens a nonnullis confundatur, longe doctiſſima, et quae euolui merentur. Cum enim continens non niſi proxima ſit, antecedens vero, ſeu προηγουμένη ad remotam pertineat, adeoque eidem opponatur, vt membrum diuiſionis alterum, non poteſt haec eſſe continens morbi, de quo hic agitur, quod, poſita antecedente, morbus non ponatur, nec tollatur, ea ſublata. Memorabilia ſunt vltima eius verba: *Vnde antecedens cauſa in definitione non ponitur.* Nimirum omnium morborum definitio, cauſam

(d) Inſt. III. 2. 1. p. 216.

ſam adiectam habere oportet, ſed non niſi proximam, cuius genus eſt continens excluſa προηγουμένη et antecedente.

§. IV.

Sed nunc ab illa ad hanc, a cauſa continente et proxima ad προηγουμένην transferamus ſermonem. Haec non vna eſt, ſed varia admodum et multiplex, diuque in corpore poteſt ſubſiſtere, antequam proxima ex ea producatur, quo facto, proxime morbus adeſt. Hanc non vnam eſſe diximus, ſed multiplicem, qualis eſt non tantum ratione naturae, ſed et ratione ordinis. Vt enim artifex conficiendo operi ſtudens materiam et variam adhibet, et varie praeparatam atque elaboratam, antequam opus illud integrum poſſit ſiſtere: ita et in morbis natura procedit. Poſſunt itaque, imo ſolent non raro quinque, ſex et plures cauſae in vnum effectum ſucceſſiue confluere, vt vna ex altera oriatur, donec tandem generetur vltima, ſeu remota illa, ſiue mediata proximior. Quo facto, nondum tamen morbus aduenit, ſed illa quieſcit adhuc in corpore, et ſopita iacet, vsque dum ab alia ſuperueniente moueatur, ſuſciteturque. Exemplo globulorum, iuxta poſitorum, id diſci poteſt, ita vt inuicem ſe tangant, vbi primus ſecundum, ſecundus tertium, tertius quartum mouet, ad vltimum vsque: poſſunt autem vel vna ſerie lineaque directa diſponi, vel ita vt etiam a latere accedant quidam, conduplicata ſerie, omnes tamen in vnum vltimumque conſpirantes. Quod tum maxime fit, ſi forte varia cauſarum genera ex variis fontibus velut in vnum riuum confluunt. Ad exempla ibimus: eſt in corpore diſpoſitio partis alicuius aut ſanguinis naturalis ad morbum. Accedit diaeta et victus inſalubris, deinde exceſſus in potu: Hinc motus deficiens aut inportunus etiam, qui crudam materiam in corpus omne deducat. Accedat et aëris corruptio aut inconſtantia, tolerandi varii labores, etc. Haec omnia ex diuerſis claſſibus deprompta, ita poſſunt in cachexiam conſpirare, vt varii morbi contingere queant, quorum cauſae hae vniuerſae ſuccedere ſibi, et ſimul velut a latere accedere poſſunt, eumque progenerare tandem apparatum cauſarum, qui morbo producendo commodiſſimus, et προηγουμένην proximiorem progenerat. Omnia ergo iſta ad προηγουμένην producendam opitulantur ſibi inuicem, et ad eius claſſem referenda ſunt. Itaque ea omnium cauſarum claſſis eſt ampliſſima.

§. V.

Et haec quidem illa eſt, qua fit, vt morbos epidemios aut contagio ſerpentes ſuſcipiendi idoneus quis ſit, aut non ſit, iisque fortiter reſiſtat, ex eoque in peſte ipſa multi ſeruantur, qui infectis dando operam, cum iis edunt, bibunt, iuxta dormiunt: impune omnia, quia ſcilicet προηγουμένη ac diſpoſitio corporis nulla eſt. Eadem ratio eſt, quod in variolis, morbillis, epidemicis febribus, ceteris eiusmodi alii euitent omne periculum, alii protenus corripiantur, vbi ſaeuiunt hi morbi facileque inueniant, quod celeriter immutent, et in προηγουμένην conuertunt. Vt enim ſaepe pluribus annis opus eſt ad vnum morbum producendum, (qualis eſt hydrops) ſic alias paruo etiam momento cauſa haec oriri poteſt. Exemplo ſit praeter epidemicos calculus, quem vel vnius diei decurſu, cum nullus adeſſet, generari poſſe et excerni, exempla docent, recentisſimaque obſeruatio: ad quem tamen primum concitandum et renum diſpoſitio, et ſeri ſcatentis materia terreſtris, et ſabulum generandi apta, et gluten eam coniungens, et ſubſiſtendi aliquamdiu in renibus cauſa requirantur. Haec etiam eſt quam recentes noſtri ſcriptores materiam morbificam vocant, etſi nonnunquam et continenti, (quam nullam agnoſcunt) id nomen ab inſciis largiatur, ſed perperam: haec denique eſt, qua ſublata, certisſime omnis morbus ceſſat, certisſimaque haec chronicorum et recurrentium morborum curatio eſt.

§. VI.

Procatarctica poſtrema eſt cauſa morborum commemoranda. Vt autem inmediata proxima a morbo, ita extrema ab eo eſt procatarctica, vtue illa eſt vnica, ſic et haec vnica ſemper eſt, quae poſtquam conflata et producta eſt, προηγουμένη, illi ſuperueniens, eam mouet, quod vbi fit, illa, quae hucusque quieta iacebat ac tacita, excitatur, et ex materia ſua, vt infans ex vtero matris excluditur, ita vt haec matris, Procatarctica obſtetricis locum ſubire, videri poſſet; quin etiam vt obſtetrix aliunde accedit, et adſtantes fallere non poteſt, ita et haec plerumque manifeſta eſt: vt illa in corpore, vti embryo oculta latet. Antiqui (e) tales προφάσεις occaſiones, ſeu occaſionales vocabant, quos nonnulli et hodie ſequuntur. De ea GALENVS optime (f) ſuapte natura

(e) HIPPOCRATES Aph. III. 12. GALENVS de cauſ. procat. (f) IV. de victus rat. in acutis.

tura ait vehementem morbum procreare non poſſe, ſed ſi in corpus, ad morboſam affectionem paratum, et παρασκευὴν habens, incidat, in morbum illud coniicere et latentem diſpoſitionem poſſe manifeſtare. Sunt autem tales cauſae procatarcticae *aëris frigus intenſum*, ratione pleuritidis, *calor;* doloris capitis, febrium, *vigiliae* item *motus* et *affectus animi vehementiores*: ἀσιτία, *inediae*. Haec tamen omnia etiam ex eorum numero eſſe poſſunt, quae προηγουμένην praecedunt, eamque producunt, prout res differt: diſpoſitiones vero partium, ſanguinisque, ac reliquorum fluidorum, ſemper ad hanc claſſem, nunquam ad procatarcticam referri poſſunt.

§. VII.

Eſt tamen, cum vtriusque munere ſimul fungi posſit cauſa procatarctica vnica: in morbis nempe malignis et contagioſis, qui, vt peſtis et variolarum exemplo diſcimus, etiam purisſima corpora videntur nonnunquam inuadere. Vnde enim tantam ſtragem ederent, tot funera, ſi diſpoſitos ad id tantum inuaderent? Itaque fermentatiua ſua et contagioſa effluuiorum indole potius ſimul προηγουμένην in ſanguine producunt, et procatarctices vice funguntur, et ſimul ac inuadunt corpora, inficere videntur, ſtatimque ſanguini confuſa, totum peruertere ac corrumpere: haut ſecus, vt venena, ore aſſumta, et quocunque occulto modo corpori immiſſa, et προηγουμένην proferunt et procatarcticam repraeſentant. Vnde et morbi *venenati* olim habiti ſunt iſti, et nunc quoque *venenum peſtilens* ſaepe vocatur. Haec, inquam, effluuia et inquinant protenus ſanguinem προηγουμένην prouehentes, et ſe ipſa mouent, vt fermentum in panis maſſa, adeoque et procatarctices officium faciunt. Quod notaſſe, apprime eſt vtile. Cauſa autem procatarctica eſt ex eorum numero, quas ROLFINCIVS (*Methodo*) Mediatas remotiores habet, et quidem omnium remotisſima atque vltima; nam Mediatae remotiores, antecedentes eam, omnes ad προηγουμένης praecedaneas pertinent.

§. VIII.

Haec cauſarum contemplatio ad artem faciendam maxime neceſſaria eſt, tota enim medendi methodus ea vnice innititur. Vt qui hanc intelligit, facile inuenire cuiuslibet morbi remedia ex ſequenti, ex hoc autem capite methodum ea adhibendi haurire, adeoque ad illam exercendam idoneus fieri vnice queat. Qui vero hanc non capit,

 eum

eum inpingere multis modis neceſſe eſt. Quod magis miror improboque, quod video recentisſimos ſcriptores noſtros tam negligenter hic verſari, neque ſatis inculcare Iuuentuti earum ſeriem.

CAP. III.

DE GENERIBVS CAVSARVM IN ORDINE AD RES, QVAE CAVSAE FIVNT, ET PRIMVM DE REBVS NATVRALIBVS.

§. I.

Vt differentia cauſarum modo tradita eſt omnium prima, ita quae nunc tradetur dignitate pariter ac vtilitate huic proxima, quum res ipſas ſiſtat, quae ſub clasſibus cauſarum traditis contineantur, et veluti ſub his ſignis eductae in aciem, contra naturam militent. Dubium autem exiſtimari posſit, quo pacto fiat, vt res naturales praeternaturalium cauſae fieri posſint, et natura ſe ipſam deſtruere. Verum id mirum videri nemini poteſt, qui non neſcit naturae nomen πολυσημον eſſe, aliamque vniuerſam illam totius, aliam ſingularum eſſe rerum, quae extant, morbumque, vbi praeter naturam eſſe dicitur, humanum intelligi, non vniuerſi. Etenim morbi omnes, vt cuncta, quae fiunt maxime, ſecundum naturam eam vniuerſam ſunt, quoniam ad eas leges fiunt; Quod autem naturae humanae aduerſae ſunt, fit, vt loquuntur Philoſophi per Accidens, quia talis illa eſt, vt ferre quasdam mutationes non posſit, quae vniuerſali naturae maxime ſunt familiares. Vnde in vulgus notum et verisſimum prouerbium eſt: *Quemlibet mortem in viſceribus ſuis circumferre*: Vnde enim niſi ex ſe ipſo habent, etiam validisſimi, vt tandem intereant? Sed oſtendendum ex rebus ipſis eſt, non ratione tantum, quod dicitur. Sex res naturales cauſas morborum fieri aſſeruimus: ibimus ergo per ſingulas et praemonentes lectorem has cauſas eſſe dicimus, non tam agentes cauſas nos intellectas velle, quam conditiones quasdam, quibus fit, vt morbos reliquasue agentes cauſas facilius ſuſcipiant, quam alii, quibus aliter conſtituta haec ſint, vt magis reſiſtant iniuriis temporum, aut victus ineptae rationi. Quod exemplis dilucidius fiet.

§. II.

§. II.

Partes itaque corporis magna in varietate ſunt, vt, quas alter breues habet, digitos puta, aut pedes, brachia, manus, alter e contrario: ita fieri non poteſt, quin mediocres ſint omnium aptisſimae ad actiones obeundas, vicisſimque, quae longisſime inde recedunt, hinc omnium minime idoneae, et morbis magis obnoxiae, quam exquitisſime elaboratae. Vt autem externis haec conformatio, ita viſceribus et haec et alia ſunt maxime nociua: Vt ſi quis pulmones minores, *pectusque anguſtum* nactus ſit; talis enim aſthmati et reſpirationis difficultati magis patebit: inde vero et ſanguinis circulatio facilius impedietur; Vnde inflammationes *pulmonum*, ſeu peripneumoniae, aliaque mala, huic promptius fiunt, quam alteri. Sic qui teneriores eosdem nactus eſt, minusque firmos, et tusſi ac defluxionibus obnoxius eſt, et ſputo ſanguinis, indeque Phthiſi. *Stomachum* quidam a teneris perquam inbecillem gerunt, inde dyſpepſia, cruditates, pituitae abundantia: et quoniam fibrae non ſatis robuſtae ſunt ad expellendum, dolores et cardialgiae orientur. Haec exempli loco ſint: reliquis idem vel conſimile vitium adeſſe poteſt. Neque eſt, quod dicas, haec iam tum eſſe praeter naturam; non enim de eo, quod ſuperuenit iam dudum natis, ſed quod a primordio et parentibus, nobis hic ſermo eſt.

§. III.

Humores ſequuntur, quos permultos et varios alit corpus; non tamen omnes pariter accuſandi. Praecipuus eſt *ſanguis*, qui aliis a natura *tenuis atque acris* eſt, *aliis crasſior et lentus*. Ille haemopthyſin pati idoneus, iſte obſtruxiones et chronicos morbos. Quibus *bilioſus*, iis febris accenduntur, qui *ſero* acri abundant, et ſalſo, phlyctenis, puſtulis, vlceribus, herpeti. Nonnulli tali ſero praediti, quibus et partium externarum diſpoſitio a parentibus innata, podagrae aut arthritidi obnoxii ſunt, et ſic de ceteris.

§. IV.

Spiritus animales dicti ſeu fluidum nerueum, ingenio potius hominum, quam corpori inſeruiens, tamen et huic contingentia multa arcent aut proferunt mala. Non dicam de indole bona, aut malitia animi, neque de intellectus aut percipientis facultatis robore, neque ſenſus imbecillitates, ſed affectus tantum animi commemorabo, qui et

προηγȣ-

προηγουμενης et procatarctices ſaepisſime locum occupant. Hi ſane ex ſpirituum iſtorum, vel ad motum promptitudine vel ſegnitie, plerumque vnice pendent. Sed de his alibi egimus. (a)

§. V.

Hic notandum eſt ſedulo, hanc partium humorum et ſpirituum diſpoſitionem naturalem proxime inferre morbos haereditarios et congenitos: vt Phthyſin, pulmonem imbecillem, et mutationes aëris non ferentem, vel quia ſerum, quale deſcripſimus, vel quia ſanguis nimis facile calorem ſuſcipiens ingeneratus eſt. *Temperamenta* vt vulgo accipiuntur, quantum homines ad morbos diſponant, aut inclinent, nemo eſt, qui ignoret. *Calidum* febribus continuis miniſtrare fomitem (ſeri acrimoniam iam ante nominauimus) id eſt pituitoſum, originem Chronicorum eſſe, notisſimum eſt. Sunt autem temperamenta maximam partem ad ſanguinis, vitalis illius liquoris craſin et reliquorum fontem aeſtimanda. In illo primo loco conſiderandus natiuus ignis: debilis an fortis ſit, nimis exarſerit, an deficiat, hinc temperamenti, hinc aetatis diſpoſitio exiſtimanda eſt.

§. VI.

Aetates ſuos quoque morbos pati, ex aphorismis HIPPOCRATIS (b) dudum perſpectum eſt. Idque naturalibus legibus contingit, ex ſtatu ſanguinis aut caloris vnius cuiusque. Quod enim tuſſes infantibus facile accidunt, ex caloris inbecillitate; quod ſenibus, ex ſeri acrimonia et copia eſſe; quod viris et iuuenibus febres ſint familiares, ex abundantia caloris eſt.

§. VII.

Eadem *Sexus* ratio: quod etiam easdem cauſas habet; ſed feminis praeterea alia ſunt organa ſuperaddita, quae ſuas imbecillitates habent peculiares, vt non quidem, quod vulgo fertur, femina quemlibet morbum bis pati, dici vere queat, ſed duplex morborum genus pati in aperto ſit, vnum, quod aeque ac viri, homines, id eſt animalia ſunt, ratione praedita, alterum, quia officinam hominum in ſe reconditam gerunt, adeoque et menſtrua praeter iſtos patiuntur, et varia incommoda ratione vteri ſubeunt: multa quoque, dum impraegnantur, aut foetum geſtant. Eſt et iis vita ſedentaria valde incommoda, in-

deque

(a) Lib. de hum. animi affectibus. (b) Lib. III. 24.

deque multa obueniunt hominibus ſimilia, attamen multo frequentiora. Quibusdam et animales ſpiritus vel aliter diſpoſiti ſunt, vel agiliores, vt leuiori de cauſa moueantur in hyſtericis. Nam etſi et homines quidam ſic affligantur, tamen hoc rarisſimum, contra illis perfrequens. Sed de cauſis Naturalibus hactenus. Ad Non-Naturales pergamus.

CAP. IV.

DE CAVSIS NONNATVRALIBVS MEDICORVM.

§. I.

Nonnaturalia haec dicuntur, cum ſint maxime naturalia; quin ita naturalia, vt ſine iis homo, imo animal conſeruari non posſit. Quid ergo inpulerit medicos, vt tam incongruo ipſa nomine appellauerint, non liquet, niſi quod ad naturam humanam, non vniuerſam reſpexiſſe videntur, ad conſtituendum enim hominem, eiusque integritatem non pertinent; aut cum ea ita coniuncta ſunt, vt non posſint ad tempus abeſſe. Nam aëre quidem ne momentum carere poſſumus, attamen cohibere reſpirationem aliquantum licet et ſupprimere: ſed et aër ipſe plane externus eſt, adueniens corpori, non intime ei permiſtus: reliqua autem, certis tantum temporibus et reciproce abſunt, et a voluntate hominis ſe permittunt quodammodo moderari, et aliquamdiu ſuſpendi; plane autem euitari non poſſunt. Neque id etiam conſtat, quo tempore, et a quo mortalium ſit introducta in ſcholam haec nuncupatio: barbaris tantum ſeculis nata videtur, vbi neque exculta ingenia hominum, nec linguae puritas erat in pretio. Quicquid autem ſit de nomine, et diuerſisſimarum rerum in vnam claſſem collectione, obtinuit tamen vſus, vt etiam nunc ab eo non recedant medici doctores. Tolerari ergo poteſt, etſi inelegans, praeſertim quum tamen in eo conueniant, quod neceſſario nobis ferenda ſint, et nemo mortalium iis carere, aut ea ſubterfugere posſit.

§. II.

Nulla autem cauſarum doctrina quam harum magis exculta eſt: propterea, quod magnum HIPPOCRATEM praeeuntem ſequi licebat, qui cum in *Aphorismis*, tum et *libro de aëre, aquis et locis*, vti et *lib. de*

diaeta acutorum magnam eius partem expediuit. Sed et ipſa res poſtulabat, vt copioſe iſthaec traderentur, excusſis diligenter omnibus, quoniam hi cauſarum fontes ſunt vberrimi, neque vno modo nocere ſolent. Modo enim προηγυμενης modo προκαταρκτικης ſumentes ſpeciem, variis modis valetudinem vitiant. Quod, cum euitari posſint, frequenter noſtra culpa accidit. Sic *aëris* iniuriae niſi vitentur, vel diſponunt humores, vel coagulant, et fiunt procatarcticae. *Cibus et potus* et ασιτια plerumque προηγυμεναι ſunt, *motus* intermiſſus ſenſim diſponit ad cacochymiam, et cruditates cumulat, nimius eas commouet. Sed operae pretium eſt, ſingula ſeorſim expendere.

DE AERE.

§. III.

AER quid in nos valeat, niſi natura eius ex Philoſophia naturali perſpecta ſit, ſciri non poteſt: ea enim hic ſupponitur. Non autem ex ſe nobis infenſus eſt, ſed iis, quae in ſe continet. Eſt enim fluidum, varias in ſe particulas ſuſcipiens, cum e terra exhalantes, tum ventis aduectas, qui, dum eum inſpiramus, cum illo corpus noſtrum per pulmones ſubeunt, indeque in ſanguinem veniunt. An etiam penetrent per poros, dubitari poteſt, quippe cum non ſolum tranſpiratione ſalua et perpetua videatur depelli, ſed etiam, ea nonnihil ceſſante ex frigore, penitus inpediri, et quousque id regnet, claudi et collabi, vt excludatur quicquid extrorſum adueniat. Potior videtur illa ratio, qua aër cum ſaliua miſcetur in ore, et deglutitus ventriculum ſubit, mox chylo et ſanguini intimius permiſcendus. Quo pacto aër vehiculum eſt, vt medici loquuntur, cauſarum morbificarum, maxime in epidemiis, quorum ſemina etiam progenerantur in ipſo, ex particulis varie concurrentibus monſtroſis, et a natura eius alienis, in perniciem noſtram natis, vt ante quoque aſſeruimus. Hae ſunt potisſimae ac potentisſimae mortalium hoſtes, quibus plures deſtruuntur, quam aliis omnibus ex cauſis, praeſertim ſi peſtiferae fiant, et febribus malignis ac contagioſis anſam praebeant. Tunc enim ſe ipſas per ſanguinem propagant, et augmentantur, et circumſtantem aegros aërem implent, aliisque adhaerent, ſimili eos periculo inuoluentes. Diu multumque regnantes, et cum veſtimentis aliisque mollioribus aliorſum etiam transferri idoneae, donec tandem ex reactione in ſe a ſanguine humano ſuperentur, et cum in eo, tum etiam, difflantibus ventis, aliisque ſuccedentibus in aëre mutationibus, extinguantur.

§. IV.

§. IV.

Hae praecipuae et maxima cauſa ſunt, quae morbos inferunt, tanto magis metuendae, quod duplici ratione nociuae ſint: Nam προηγȣμενην non mouent tantum, vbi inueniunt, et inmediatum ſic proxime producunt, morbumque conſtituunt, ſed etiam, vbi non inueniunt, faciunt; ita, vt in corpore aliquamdiu lateant, et circumferantur, et vinci non posſint, ſenſim ad morbum graſſantem ſuſcipiendum humores diſponentes, donec pugnantem cum iis naturam bonam etiam vincant, et mittant ſub iugum: vbi tum morbus illico exardeſcit. Quae fuit occaſio, qua ex infectis peſtilentia aut ſuſpectis locis prodeuntes integros quadraginta dies a commercio hominum excluduntur. Cui conſuetudini Italorum medicorum nimia meticuloſitas occaſionem dedit, qui quam longisſime vltra modum hunc terminum extraxerunt: non ſine ſumma hominum iniuria. Neque enim vel rationi conueniens, vel exemplis facile euincendum, vltra dies 15. aut ad ſummum viginti in corpore natum latere poſſe. Quae enim narrantur pauca exempla, recte, omnibus penſitatis, falſa fore inuenta, ego nullus dubito. Itaque poſſe ad dimidium reſtringi hos quadraginta dies, ſalua republica ac ciuitate omni, exiſtimo: quod hic obiter monuiſſe ſufficiat, alibi copioſius exponendum.

§. V.

Praeter iſtam praecipuam et ſummam ſunt et aliae cauſae in aëre, quibus nocere nobis poteſt, ſed leuiores: quatuor nimirum illae qualitates, quae primae vocantur. Suſcipit enim calorem a ſole, frigus per eius abſentiam, cum hybernis temporibus maximum, tum nocturnum, quo eo plus affert incommodi, quod poris apertis adueniat, eosque claudat celeriter, e qua mutatione ſubitanea multum patitur ſanguis, tum maxime ſerum. Humidus fit a particulis aqueis ei innatantibus, verno maxime et autumnali tempore, vbi nebulae et pluuiae frequentiores eum implent: ſiccus, ex ſolis tum aeſtiua tum diurna praeſentia diuturniore, qua per noctem prodeuntes in illum aquoſae moleculae disſipantur, et longius amouentur. Hae ergo conſtitutiones ſuo quaeuis modo nocere, etſi non niſi iis, qui certo modo diſpoſita ſint, corporibus ſolent.

§. VI.

Quos autem morbos inducere aut mouere poſſint, copioſe ſatis iamdudum ab auctoribus eſt traditum. Nos ergo paucis et ſuccincte id agemus.

Calidus aër poros aperit, indeque cum multum ſeri elicit, tum et ſpiritibus viam apertam ſiſtit, ex quibus robur corporis omne conſtituitur. Exſiccat ergo corpora, et cum ſero humidum euocat, vnde calor augetur et bilis, quia particulae pingues magis aduruntur. Debilitat etiam, et frangit vires, quod Itali maxime ſentiunt, et Galli propinquiores ad mare mediterraneum, qui proinde ab hora nona matutina ad quartam pomeridianam non audent in aprica loca prodire. Coctionem porro ventriculi ſufflaminat, euocando ſpiritus et calorem, vnde HIPPOCRATES (a) ventres hyeme calidiores eſſe prodit, et plus cibi tunc porrigendum eſſe; idem CELSVS praecipit: (b) *Hyeme*, aiens, *plus eſſe conuenit.* Quod adeo verum eſt, vt Itali hinc paucisſimi cibi eſſe deprehendantur, ſeptentrionales voracisſimi. Febres autem accendi calore, non ſatis certum, neque enim experientia reſpondet. Nec tam ex ſola calefactione eas fieri, quam fermentatione, ſeu mauis, motu inteſtino ſanguinis, ea docente.

Frigidus ſanguinem turgentem, et elaſticitate aëris calidi expanſum, conſtringit, aeque ac poros corporis, et ex eo ſerum exprimit, quod, tum facile ſubſiſtens, intra carnes et ſub cute coagulatur, vnde defluxiones et rheumatismi, hic admodum ob eam cauſam frequentes, ſummis non raro cum doloribus coniunctae. Hinc etiam grauedines, tuſſes, ſi acre ſit ſerum, raucedines. Item pleuritides, ſubſiſtente ipſo ſanguine, peripneumoniae, etc. Et hoc tanto magis, ſi ſimul humidus ſit, qui duplo magis infeſtior: ſi enim ſerenus aër, et ſiccus eſt, optime valemus: aether enim tunc allabens libere ſanguinem facilius ſubit, et circulationem promouet.

Humidus itaque non in ſe conſiderari meretur, ſed cum calido et frigido. Illum putredines inducere, vetus ſententia eſt, nunc non admodum attendi ſolita. Elicit quidem calor ex aliis rebus ſubtiliores partes caloris, in quo ab humido iuuatur, ſed neceſſum eſt, corpora iam eſſe diſpoſita, et vita priuata: at in nos id poteſtatis non habet, eſtque erroneum, in noſtro corpore fieri, quod in cadaueribus animalium et plantarum fieri videmus.

Siccus

(a) Aphorism. I. 15. (b) Lib. I. c. 3.

Siccus aër ſaluberrimus eſt, quia, vt innui, aethere plenus, qui calorem noſtrum natiuum incendit et excitat, humores attenuat, ſanguinem floridum reddit, ſpiritus ac nerueum fluidum auget et dilucidat.

§. VII.

Ex his aëris conditionibus metimur et *anni tempora*, eumque viciſsim ex iis. De vere, vtrum ſit calidum et humidum, an vero temperatum, GALENVS prolixe diſſerit (c) quem, ſi vis, vide. Ait autem, eſſe temperatum: quod de Italia et Graecia, et eiusdem ſitus regionibus dubium non habet: ſed ad alias temere referri, patet. Graue ſane committunt peccatum Doctores noſtri, quod, veterum veſtigia ſecuti, etiam haec anni tempora ad eandem normam exigunt, quam GALENVS et HIPPOCRATES deſcripſerunt, qui calidas iſtas regiones nunquam egreſsi, eas tales reddidere, quales cognitas habuere, cum longe diuerſa noſtri climatis ſit natura. Sic GALENVS docuit, calorem circa canis ortum maxime regnare, (d) quod etiam in media Germania adhuc locum habet. Hic autem in Holſatia dies caniculares plerumque nihil caloris exhibent, ſed obducto nubibus coelo, et pluuiis ita temperantur, vt veris teporem non attingant. Quin imo ab vno loco Imperii in alium ingens diſcrimen eſt. Alia enim hic, alia per Saxoniam inferiorem ad ſyluam Thuringicam, vt hodie vocatur, alia inde ad Noricos, alia denique iſthinc in Italiam tempeſtatum eſt ratio. *Ver* in Holſatia eſt frigidum et humidum, et defluxiones ad articulos et morbos pectoris infert; tantum abeſt, vt ſaluberrimum poſsit praedicari.

Autumnus maxime temperatus, non frigidus et ſiccus, quin ad Novembris medium vix gelu nouit, non raro ad Natiuitatis feſtum a frigoris rigore tutus, adeoque, quod CELSVS ait, (e) periculoſisſimus minime eſt. Neque enim meridiano tempore calor eſt, qui relaxet corpus, ſed temperatum frigus, quod conſtringat conſtanter poros.

Aeſtas ibidem temperata, imbribus potius quam ſole moleſtiam creans. Ante ſolſtitium tamen ſiccior non nihil, at poſt illud vix triduum nonnunquam, quin pluat. Haec ergo tempeſtatum ſaluberrima, vt febres continuae per aeſtatem rarae ſint.

Hyems ante Ianuarium perexiguus: eſt enim per id tempus temperate frigidus et humidus aër. At Decembris, vel Ianuarii medio, aut intercurrente tempore frigus ingruit, durans ad Aprilis finem, aut

 Maii

(c) Lib. de Temperamentis. (d) Lib. de Differ. Febr. I. 4. (e) Lib. II. c. I.

Maii initium, qui adeo tamen adhuc gelidus eſt, vt non niſi medio eius arbores tenera foliolorum coma veſtitae conſpiciantur. Ipſa vero hyems frigida et ſicca, nec pectoris morbos frequentes habet, ſi modo incolarum more pectus veſtitu probe communias.

§. VIII.

Meretur autem notari, in hiſce regionibus, extra tropicum ſitis, temperaturam aëris ventis potisſimum induci, qui quales ſunt, tales inferunt tempeſtates. In Zona torrida ſtati ſunt venti, et aëris turbatio, aut coeli ſerenitas ſemeſtrem vicisſitudinem ſancte conſeruat plerisque in locis: at extra tropicos incerti et inconſtantes plerumque, ſaepe vno die omnes plagas percurrunt, redeuntque ad initium; hinc nihil firmum eſt, et frigidi, calidi, pluuiarum et ſerenitatis perpetuo vicisſitudines, non tamen inſalubritas incolis hinc metuenda, adſueti enim facile ferunt iniurias illas. In eo interim cum reliqua omni Europa conſentiunt hic venti, quod ſalubriores ſint omnes ſeptentrionales: et quod Euronothi frigidisſimi, at ſereni et ſalubres. Ex altera vero parte disſident, quod Fauonius non vt alibi ſuauis ac mollis ſit, ſed aſper, frigidus, humidus, nubiloſus, idque fere nunquam non. At ſubſolani vel Auſtri plerumque pulcherrimum tempus afferunt, ex ſereno coelo calore ſuauisſimo ſole illuceſcente, ſic tamen, vt haec interdum regionum ſorte mutentur. Nam fere ventus vbique, prout regiones, ex quibus veniunt, frigidi, calidi, humidi, aut ſicci ſunt, ita ad corpus ſe habent noſtrum, et a mediterraneis locis perflans ſalubris, a mari grauis eſt: verum ſi multis imbribus illae ſqualidae redduntur, vt ſi diu regnauit Fauonius, redeuntes poſtea ex oriente cum ſubſolano vapores, etiam pluuius eſſe hic posſit. Quod omne plenius diducere prolixum foret, et integrae diſſertationi rectius reſeruatur.

DE VICTVS RATIONE.

§. IX.

Victus ratio amplisſimam diſquiſitionem admittitit propter ſummam diuerſitatem ciborum, deinde et potus, quae librorum diaeteticorum ingentibus voluminibus comprehenſa leguntur: at hic non niſi in quantum morborum cauſis accenſentur, in contemplationem veniunt. Etenim CORN. CELSVS, ſummus vir, (f) *Multi*, inquit, *magni morbi curantur abſtinentia,*

(f) Lib. III. cap. 2.

abſtinentia, et quiete. Id quidem huc non pertinet, ſed ad medendi methodum, vbi expendetur: attamen hinc vicisſim inferre licet, multos magnos morbos intemperantia progenerari: contrariorum enim et hic eadem ratio eſt, et contrariae operationes a contrariis expectandae ſunt. Fiunt autem, quae nos alunt, morborum cauſae modo *προηγȣμενη*, modo *προκαταρκτικη*, ſed iſtud frequentius; habet enim hic locum Cl. WEDELII iſtud: (g) *qualis cibus, talis chylus, qualis chylus, talis ſanguis, talis ſanitas.* Ex ſanguine vero plerumque morbos, tanquam a cauſa proxima, originem ſortiri, iam aliquoties dictum eſt. Victus ratio praua, (ſi non vnica, nam poteſt etiam innaſci illa prauitas) certe praecipua cacochymiae occaſio, vt ipſa vocabuli vis indicat, quod eiusmodi *προηγȣμεναι* aſſolent, ſuccesſiue, lentoque fit gradu: Vnde homines noſtrates dicere in vſu habent: *Er hat lange darauf geſammlet;* hoc eſt, diuturna collectione mala haec ſibi acquiſiuit. *προκαταρκτικης* vero vim habet victus inſtitutio, quoties vno exceſſu mouetur latens *προηγȣμενη*; vt ſi ex fructuum hortenſium crudorum eſu cholera excitetur, aut diarrhaea, aut ſimile malum, aut ſi ex potu, potentia et in exceſſu calido, febris continua accendatur.

§. X.

Triplici autem modo in cibo potuue peccatur; Primum ſi vtriusque minus, quam par eſt, vel nimium aſſumas. *Inedia* enim, cum conſumitur, quicquid boni ſucci eſt, taciteque dilabitur, nec reſtituitur, ipſum quoque corpus conſumitur, et exſiccatur, vires exhauriuntur, vigiliae, dolores capitis, et ſtomachi in promptu ſunt, accenditur ſanguis, quod ſi et potus denegatur, ſerum per poros exhauſtum deficit, vt calor ſub imperio amplius non ſit, vnde febres, deliria. Tandem, ſi diuturnae ſint, lipothymiae etiam ſuperueniunt. Qui autem cibo, auidius ingeſto, nimium implentur, primum ventriculi robur debilitant, eiusque fibras eneruant, vnde et coctio vitiatur, et, attritis earum viribus, excluſio alimentorum ſuſpenditur, quo facto, plurima ventriculi mala accidunt. Taceo alia, quae ex ipſa digeſtione corruptae contingunt, portiones ſanguinis non conuenientes, craſſas, ponderoſasque particulas, quae obſtructiones ingerunt viſcerum, hepatis, renum, vteri, vnde menſtrua ſubſiſtunt puellis, quae inde mox in morbos longinquos, maximaque ſaepe incidunt pericula. Haec de cibo.

De

(g) In Theorem. Med.

De potu etiam pauca dicenda ſunt. *Spirituoſus* et *calidus* quid valeat, experiuntur iuuenes, ei indulgentes. *Omne vinum calefacit, omnis cereuiſia incraſſat*, ſed excipitur *tenuis:* quae ſaluberrima omnibus, cum integrae nationes ſola aqua fontana optime ſitim extinguant, et valeant. Praua conſuetudo ceteros docuit vinum potare niſi ad hilaritatem, et qui Timothei inſtar, ſtomacho ſunt imbecilli. Non enim ad potum ordinarium, ſed medicamentum datum eſt vinum et hilaritatem. Vnde non in omnibus locis creſcunt vuae: quod fieret, ſi eſſet ad conſeruandam valetudinem tam neceſſarium. Videant ergo, qui ſibi indulgent, ne eo abutantur, pariter ac alio quocunque potu, qui petit caput, et incendit ſanguinem. Maxime vero a vini ſpiritu ſibi caueant, et aquis vitae, quas aquas mortis multi nominant, haud temere. Hoc de nimia potandi libidine. Neque tamen, qui parum bibunt, delinquunt minus, quo vitio feminae laborant, et pudicae nimium puellulae, quibus dum vitant ebrietatem, vt ſcyllam, incidunt in alterum extremum, et Charybdim inſidiatricem habent. Inde ergo obſtructiones vel alui, vel menſium, vel vtrumque patiuntur, et intempeſtiuae verecundiae poenas dant. Vide de his prolixe et per docte agentem GOTHOFR. MOEBIVM, (*) qui multa hic immiſcet praecepta diaetetica minime huc pertinentia, ſed bona.

§. XI.

Alterum, quod in diaeta committi poteſt, peccatum eſt, ſi tempore, modoque peruerſo cibus capiatur. Si non inordinate tantum, ſed et ſaepius de die fiat. Spectanda tamen et hic conſuetudo, et vitae conditio; plurima enim in dando cibo diſcrimina reperiuntur; qui grauisſimis laboribus frangunt vires, iis cibus plurimus, et ſaepius de die debetur. *Dithmarſi* noſtri meſſis tempore die ſepties cibum poſtulant, a ſecunda matutina laborantes in veſperam, quod hic notum omnibus, exteris prodigioſum videri posſit. Aegroti etiam nonnulli ſaepius cibandi, ſed paucis: Quando autem cibus ſumendus, et quoties de die quaeritur ab iis, qui omnia ad libram aeſtimant. Romani olim multi non prandebant, ſed coenabant tantum. Teſtis CELSVS (h) vbi de ſanorum viuendi ratione agens, *bis de die potius, quam ſemel cibum capere*, praecipit, et alibi *tum etiam*, ait, *prandere oportet*, quod ſatis oſtendit, ex conſueto more aliter fieri ſolitum. Huic contrario modo hodie multis coena omittitur, prandentibus vna alteraue poſtmeridiem hora.

(*) Inſtit. II, 4. (h) Lib. de rat. vict. ac vſu.

hora. Interim non approbare videtur HIPPOCRATES, ſemel tantum de die cibum capere. (i) At in ciuitatibus, mercatura nobilibus, ſemel capiunt cibum bihorio a meridie, nec coenant, quia id exigit commerciorum ratio. In principum aulis ita quoque fit, quia luſus et ſaltationes atque epulas in multam noctem protrahunt, vnde mane ſurgere non poſſunt: tum nobiles foeminae in ornatu et mundo muliebri adornando plurimas horas ponunt, hinc prandium tardatur, et ex proportione coenae ad noctis decimam, imo medium eius ſaepe reponitur, nihil tamen inde ſentiunt incommodi; Itaque parum haec, ſi ſemper fiant, mali afferunt, modo quis iis adſuetus ſit. At incerta et iterato nullo ordine cibatio, dum, crudo adhuc chylo, alia ingeruntur alimenta, ſumme nociua eſt, tam ſtomachum debilitans, quam et ſanguinem impurum, multisque cruditatibus refertum generans. Quo pertinet *Tabaci* per integram diem fumiſugium, veteribus ignotum et ab Americanis ad nos allatum, multa cereuiſia interpoſita, vt inteſtina quaſi diluuio inundentur: Item *Caune* et *Thée* immodica ſumtio, repleto praeſertim ſtomacho, cum occupatus eſt in cibis concoquendis, niſi perparum eius bibatur, vt potus ſupplementum haberi posſit, quo ſenſu minus Thea nociua eſt. Ex labore vel curſu ſudanti frigidus potus perniciofisſimus eſt, et ſaepe mortem ſubitaneam attulit, ſaepe in magnos et lethales morbos praecipitauit. Haec non niſi προηγουμένης claſſem ſubire poſſunt.

§. XII.

Tertia delinquendi ratio eaque grauisſima eſt, ſi cibi ipſius potusue materia inſalubris ſit, quod Medici vere mali ſucci appellant, quo tamen a CELSO multa referuntur. (*) Tales ſunt arborum fructus, item allium, cepe, ſolani tuberoſi radices, vel natura ſua, quae facile corrumpantur; et alia flatulenta, de quibus tamen omnibus nihil metuendum, ſi in ventriculum robuſtum, et in viſcera bene conſtituta incidant. At imbecillibus his ac laeſis, multum affert incommodi, quicquid nocere quouis nomine poteſt. Cuius rei cauſa eſt, quod recte valentibus omnes meatus porique aperti ſunt, per quos minus naturae conueniens elabatur, aut cum ſudore vel vrina effluat, at iis, qui viſcus quiddam laeſum habent, peruerſis poris et viis illis, protenus id, quod nocet, ſubſiſtit, corrumpiturque, pro laborantis natura.

(i) Lib. I. cap. 1. (*) Cap. 21. Lib. II.

tura. Deinde et multum intereſt, ſola, crudaque, an aliis incocta aut elixa ſumantur. Nam quod ineſt mali, coctione mitigatur, molleſcit, et ſucci nociui magnam partem in aquam dimittit, reliquum diſtractum atque disſipatum parum poteſt. Apparet autem ex his plerumque προηγυμενης rationem iſta habere, aliquando tamen et προκαταρκτικης. Plura, quae huc pertinent, ex diaeteticis libris peti poſſunt. Interim MOEBIVS conſuli poteſt, loco citato, qui elegans hic eſt, et copioſus.

DE SOMNO ET VIGILIA.

§. XIII.

Poſt Victum *Somnus* et *Vigiliae* locum occupant, cum et in natura poſt paſtum ſomnus ſubrepere ſoleat. In his non modo, non qualitate, ſed ſolo *exceſſu, defectuue*, itemque intempeſtiuo vſu peccatur. Cum enim ſomnus ad ſpirituum roborisque eorum inſtaurationem homini fere inſtitutus ſit, ſi non, quod ſatis ſit, ei datur, lasſitudo primum corporis, dein et animi conſequitur, hinc accenditur ſanguis, ingenium hebetatur, et proſternitur appetitus: quo facto et ventriculi officium turbatur. Fit autem ſomnus, vel interruptus, vel nullus, vigiliae continuae diuturnae eſſe non poſſunt. At ſi interpellatus et breuior ſomnus affectatur, exſuccum corpus redditur, et bilioſum, vnde febres accenduntur, quae mentis alienationem inducere poſſunt, ſi ſatis durent. Neque enim cito percipitur noxa, nec adeo magna, ſi naturae vel mediocriter fiat ſatis; Vt enim cibis perpaucis diu ſuſtineri corpus poteſt, ita et ſomno, nec niſi longo poſt tempore malum infertur; eſt etiam conſuetudinis naturae ipſius magna vis. Quibusdam vel tres horas dormire ſat eſt: aliis VII. vel VIII. horarum ſpatium vix ſufficit, hi ergo vigiliis promptius laeduntur, vti et pueri. Senibus etiam magis ſomno indulgendum eſt.

§. XIV.

Itaque ex defectu tales morbi procurantur. At in iis, qui excedunt modum, cruditates metuendi, ſpiritus ad torporem, et ingenium ad ſtuporem ac hebetudinem diſponuntur; Ex illis pituitae copia, vel et alia cacochymiae genera metuenda ſunt, vnde facile intelligitur, largum morborum chronicorum prouentum poſſe exſpectari: quantum enim

enim diſcutiatur per vigilias motu et agilitate corporis, tantum retineri per ſomnum nimium, neceſſum eſt. Vnde aliis dicitur: *naturales euacuationes detineri*, quibus non tam tranſpiratio intelligitur (quam promouet lecti calor, vt frigidus aër eam impedit) quam urinae aluique et foecum excluſio: at haec breuis mora parum nocere poteſt. Eſt autem ſomnus προηγουμενη potisſimum, vt patet, vigilia vero etiam Procatarctices vices praeſtare poteſt.

§. XV.

De intempeſtiuo ſomno paucis agemus. Eſt autem tempus ſomno deſtinatum nox: Non tamen tota brumalibus menſibus; multo minus impune licet in multam lucem ſtertere, aut ex nocte diem facere, vt ſacer loquitur Codex. Cui conſentit HIPPOCRATES: *Inter diu vigilare, noctu dormire oportet.* Iunge his, quae ex AVICENNA refert SENNERTVS, et erunt commentarii loco. Si autem quis alius, certe *meridianus* cruditates cumulat, vnde magna Medicorum diſputatio, probandus an improbandus is fiet. *Non bonus eſt ſomnus de prandio*, ait PLAVTVS. Scholae Salernitanae auctor, quem IOHANNEM quendam de MEDIOLANO eſſe putant, cum eo conſentit his verſiculis:

Si vis incolumem, ſi vis te reddere ſanum
Curas tolle graues, iraſci crede profanum,
Parce mero, coenato parum, non ſit tibi vanum
Surgere poſt epulas: fuge ſomnum meridianum.

Verum non tam rigide damnandus is eſt. Quantumuis enim ex ſe verum ſit Auicennae (k) pronunciatum: generare eum morbos humidos, catarrhos, pigritiem efficere, appetitum debilitare, (quod omni tempore facit ſomnus) flatibus etiam compleri et fluctiationibus, qui eo fruuntur, non tamen ex toto et omnibus reiiciendus. Notum eſt FELICIS PLATERI verbum, (l) *Si tu mihi ſomnum meridianum ademeris, vitam ademeris*, et C. HOFFMANNI; *ſe hactenus per XX. annos meridari: febricitaſſe quidem et catharris laboraſſe, ſed nunquam minus, quam cum accurate victui ſomnum interpoſuiſſet.* Quin VARRO Romanorum doctisſimus. (m) *Ego hic*, inquit, *vbi nox et dies modice redit et abit,*

 (Nam

(k) Doct. 2. 9. (l) MOEBIVS cit. loco. (m) Sub. init. Libr. de agricult.

(Nam Romae nox vltra 13. horas, dies infra 11. vix eſt) *tamen aeſtiuo die, ſi non diffinderem meridiem ſomno meo inſitio, viuere non poſſem.* Imo tota Moſcouitarum natio ſomno meridiano indulget ſummo valetudinis emolumento. (n) Quibus exemplis diſcimus, non eſſe tam vehementer metuendum hunc, ſed dandum et hic aliquid conſuetudini, aetati et reliquis conditionibus vitae. Senibus prope neceſſarius eſt, ſed non nimius: a morbo ſurgentibus ad vires recuperandas perutilis, vt et qui nocturnis vigiliis exſoluerunt vires, aut laſſitudine ex labore aut aerumnis laborant. Iuuenes autem, et qui valetudine roboreque ſuo pollent, male ſibi conſulunt, ſi in eum propenſi, adſueſcant, nam inſtar ſuum pingueſcunt, et ad omnia tam corporis, quam animi munera inepti redduntur, deſueſcunt laboribus, et magnam breuis ex ſe vitae temporis partem ſomno tranſigunt, veluti pecora. *Quid? quod aeſtimatione,* ait PLINIVS, (o) *nocturnae quietis, dimidio quisque ſpatio vitae ſuae viuit, nec reputantur infantiae anni, qui ſenſu carent, non ſenectae, in poenam viuacis.* Quod ſi iam addas meridiani ſomni vel bihorium, quantillum erit, quod reſtat? Verum haec fortasſis alio pertinent.

DE MOTV ET QVIETE.

§. XVI.

Sequuntur iam *Motus* et *Quies*. Vtrumque vno motus nomine complecti licebat, ſed aliter placuit Euphoniae, vt arbitror, gratia. Nam in motu delinquimus trifariam: Si nimium mouemur, ſi eum prorſus intermittimus, et ſi inſtituimus perperam, et alieno tempore: Plerumque tamen, multo frequentius exercitationis intermisſio affligit corpora. Neque tamen proinde haec anxie et quotidie eſt quaerenda. Nam et hic CELSI illud egregie prodeſt. (p) *Sanus homo nullis obligare ſe legibus debet, ſed varium vitae genus habere; modo ruri eſſe, modo in vrbe: ſaepius in agro, nauigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequentius ſe exercere, ſiquidem ignauia corpus hebetat, labor firmat.* Itaque non tam ſollicite haec diſquirere oportet. Sed nos iam cauſas tradimus morborum, non diaeteticam, itaque dicamus, quot modis noxius ſit. Habet autem frequentius procatarctices rationem nimius et intempeſtiuus motus, quies προηγουμένης. Nam motus humores miſcet, et bilem in ſanguinem praecipitat largius, quam par eſt, adeoque accendit eum, et haec materia ignis iniecta, et ipſo motu calore prouacato: Hinc febres proueniunt continuae. Sed et alios humores in corpore

(n) OLEARIVS Itin. (o) Lib. VII. c. 50. (p) Lib. I. c. 1.

corpore latentes, prouocat, diutius quieturos, niſi irritati fuiſſent. Quin et ſpiritus commouet, et excutit ex ſede ſua malum: ſic calculo qui laborant, quoties mouentur, periculum eſt, ne paroxiſmus redeat.

Id ergo ſpectandum, robuſtus an debilis, ſanus an aeger eo ſit vſus. Hos enim, qui debiles ſunt, aut ad ſenectutem iam ſpectant, debilitat magis, et eorum exhaurit vires, extenuat carnes, accendit ſanguinem, phthyſin minatur.

§. XVII.

Qui autem nimium quieti ſe dant, cumulant multos humores prauos, maturam ſenectum arceſſunt, et ad morbos proni ſunt. In viſceribus obſtructiones, in carnibus ſeri ſtagnationem cauſantur, quod ab aëre gelido coagulatum, maximos dolores et defluxiones producit. Sed et tranſpirationem impediunt, et in cerebro etiam ſtagnationes ſeri efficiunt. Haec plenius ex parte perſecutus eſt in Diſſertationibus quibusdam celeberrimus STAHLIVS, Halae exſcriptis, et in eo vtilem arti medicae poſuit operam.

§. XVIII.

Intempeſtiue autem motus inſtitui ſolet, I.) ſi mature admodum, antequam oſſa et cartilagines ſatis obfirmatae ſunt, pueris concedatur: vnde conformationis morbi oriuntur. In adultis vero, II.) ſi ſtatim a ſomno horis matutinis diuturnior fiat, id enim debilitat, ſpiritusque, qui toti deſtinebantur diei, praeliminio conſumit, vt laboribus diuturnis non ſufficiant. III) Si proxime ante paſtum vel poſt paſtum violentior fiat, ita enim ſpiritus, ventriculo tum debiti, diſſipati, coctionem perfici, non permittunt, cibumque indigeſtum et crudum cogunt relinquere. Vti conſultum etiam eſt a meditationibus paulo ante prandium aut coenam ſe retrahare, poſt vero paſtum moderate moueri, quo huc illuc cibus pellatur: eum enim in finem et Chemici in digeſtione poſitos liquores, quibus tincturas vel eſſentias extrahunt, ſubinde bacillo miſcent. His omnibus neglectis, cruditas humorum et ſanguinis impuritas, morborum chronicorum auctor exiſtit.

DE ANIMI MOTVBVS.

§. XIX.

Poſt corporis, etiam ANIMI MOTVS expendendi ſunt. Hi a fluidis corporis reguntur, ſanguine et liquido nerueo, ſeu ſpiri-

tibus: Ita tamen, vt ab his proxime, ab illo remotius procreentur. Vt libro *de Animi humani affectibus* demonſtrauimus: qualis enim materia, tale materiatum, vt loquuntur Philoſophi: materia autem ſpirituum eſt ſanguis. Vulgo a temperamentis arceſſunt affectus; ſed nec commode ſatis ſi calidum, frigidum, humidum et ſiccum intelligant, nec ita vt omnibus deducendis ſufficiant, cum temperamenta ſint ſanguinis, non ſpirituum, proprietates illique adeo peculiares, ex omnibus eius partibus, terreis, aqueis, igneisque praeſertim, prodeuntes. At cum neque terreum, neque aqueum, in ſpirituum compoſitionem veniant, ſed ſolum igneum, puriſsimum et ſubtiliſsimum cum aethereo miſtum, imo hoc ipſum forte igneum illud ſubtiliſsimum conſtituat, temperamentum ſanguinis in ſpiritus non transmitti, facile cognoſcitur. Proueniunt potius affectus ex ſpirituum idioſyncraſia, cum temperamentis crasſioris illius fluidi nihil commercii eſt, vtpote quae ex ſola ignitali vitalis et Aetherei temperatura gignitur. Praeterea, vt quis in hos vel illos affectus ſit procliuis, conſuetudo facit, genius loci, educatio, vitae ac fortunae conditio, ſodalium indoles, quibuscum commercium intercedit. Quae omnia accurate excutere, non huius loci eſt; plenius autem te inſtruet elegantisſimus GVIL. BARCLAY libellus, quem *Icon animorum* inſcripſit.

§. XX.

Motus porro animi, et ſpirituum motus per cerebri medullarem partem differunt, vt cauſa continens et morbus. Verum de his non eſt hic plura dicendi locus, ſed ad Phyſiologica pertinet: hic tantum id quaeritur, qua ratione ſint cauſae morborum, et quos inferant. Vt autem affectus ſunt admodum varii, ita quae cauſantur mala non eadem. Omnia ſingulatim exſequi, longum foret: fecimus autem id copioſe, et accurate fortasſis in libro ſupra nominato, ad quem remittimus lectorem, id tantum monentes: Medicis non omnes, ſed praecipuos attendi, et qui vehementius agentes, efficatiores ſunt, maximeque nociui: qui autem placide et parum commouent ſanguinem miſſos faciunt. Sunt autem iſti ira, gaudium, timor, moeſtitia praecipue, deinde et deſiderium, amor, terror, et verecundia. Omnia tamen iſta tum demum vim ſuam exſerunt, ſi violentisſima ſint, aut diuturna, vbi eundo acquirunt vires. Poſſunt autem in duas claſſes referri potisſimum: Nam vel ipſos ſpiritus ſubitaneo motu afficiunt, et disſipant,

pant, qui periculoſisſimi, necem ipſam minantur. Vt terror ſubitaneus, ira, qui apoplexiam, aut epilepſiam terror ſaepe producunt, gaudium ſubitaneum, et inſperatum, et metus. Alii lento gradu procedunt, et ſucceſſu temporis ſanguinem corrumpunt, ad chronicos, magnosque morbos diſponentes: Vt deſiderium, amor, triſtitia.

§. XXI.

Speciatim *Ira* poſt ſpiritus etiam humores ſeu ſanguinem commouet, calorem excitat, et febres gignit continuas, tremorem, aeſtum, cordis palpitationem, conuulſiones, mulieribus vero abortum gignit. *Gaudium*, vt moderatum, valetudinem tuetur, ſic ſubitaneum et magnum disſipat ſpiritus, et lipothymia, imo morte infenſum eſt. Plura vide libro illo noſtro *de animi humani affectibus*: (q) haec tantum exempli cauſa appoſui.

DE EXCRETIS ET RETENTIS.

§. XXII.

Poſtremum rerum nonnaturalium ſunt EXCRETA ET RETENTA. Si enim quae retineri debent, e corpore effluant, aut quae excerni, reſtent, male rem agere hominem eſt neceſſe. Retineri autem oportet ſpiritum et ſanguinem, et ſi quae alia ſunt ad vitam neceſſaria, vt ſerum quoque, quocum effundi ſolet maxime nutritiuum, vt ſeruari corporis habitus non queat. Ita videmus, ſi per vulnus ſynouia profluat, non raro membri vulnerati ariditatem conſequi, et in fluxu chyloſo corpus ſenſim contabeſcere. Itaque ſi haec effunduntur, id praeter naturam fit, et detrimentum patitur valetudo. Non quidem ita, vt ſtatim morbi hinc fiant, vt haec ad cauſas directe posſint referri, attamen e longinquo eo haut parum conferunt: Debilitatur enim naturae robur, vnde viſcerum imbecillitas, et ſenſim vel hydrops, vel tabes, vel aliud chronicum et diuturnum malum naſci conſueuit. Vnde apparet, vt προηγουμένην conſiderandam hanc eſſe. Praecipue ergo ſanguis, quia vitalis humor, et anima ipſius habitaculum, conſeruandus ſollicite eſt. Effunditur autem ille, 1) ex naribus, 2) ex venis haemorrhoidalibus, 3) ex vtero foeminarum, 4) ex vulneribus, 5) ex pulmonibus quoque aliquando, rupto vaſe aliquo, vnde phthiſis metuenda. Solent etiam, plerumque, imo ſemper, qui vna

vice

(q) Cap. XII, et cauſas motumque praecedente XI.

vice plurimum ſanguinis perdidere, pallidum faciem inde reportare, et diuturnis febribus aut menſtruorum obſtructione laborantium ſimilem

§. XXIII.

Seri vero iactura, quam ſit noxia, ſudor oſtendit, qui phthiſicis nocturnus accidit, atque ita exhaurit vires, vt niſi cohiberi poſſit, non diu ferant morbum, ſed breui intereant. Hoc tamen non tam ipſius laticis, quam ſpirituum animalium imminutione accidit, quae dum ſerum per apertos poros euadit, per eosdem ſimul euolant, quo facto, ventriculi robur diſſolui incipit, appetitus penitus proſternitur, et ſic cibo ſubtracto, languent membra, cor debilius mouetur, pulſus minuitur, et labitur ſenſim. Idem et in aliis morbis ex ſudatione nimia accidit. Ex nimia ſpirituum deperditione etiam epilepſia oriri poteſt, et harum vna cum ſanguine, vterinus morbus. Nouimus nobilem matronam, quae ex nimio menſium fluxu in hunc incidit: etſi id non ſit perpetuum, ſed rarius contingat.

§. XXIV.

Haec de retinendis: Excernenda ſunt, quae ex alimentis, ac depuratis humoribus ſeparata, corpori nullam amplius praeſtant vtilitatem, ſed moleſta ſunt, vel inferunt damnum aut malum. His naturae auctor ſentinas et emunctoria ſua conſtituit. *Foecibus alui* inteſtinum colon, tum rectum et eius extremum orificium; aquoſo latici ſanguinem nimium inundanti renes et veſicam; transſpirationi ſubtiliorum partium, quae corrumpere poſſent vitalem humorem et inquinare, et quae elui aquoſis ac deduci ad renes propter nimiam ſubtilitatem non poſſunt, poros aperuit, pulmonisque bronchias: pituitae huius glandulas exiguas, faucium, oris, narium, palati; muco narium cauernas, et pituitariam membranam, vndique talibus refertam: bili hepar etślioſos ductus, denique ſuperfluo ſanguini in foeminis Vteri menſtruas purgationes, in viris quibusdam haemorrhoidales arterias conceſſit. Quae, dum rite omnia prodeant, bene valet homo, et a morbis tutus eſt; ſi interuertantur, vel protenus eum aegrotare, vel in morbos tandem, cumulatis ſenſim cauſis, incidere neceſſum eſt.

§. XXV.

Ex *obſtructionibus alui* enim dolores capitis, putridi febris vapores in humorem vitalem redundare ſolent, et ventre intumente, viſcera premi,

premi, circulatio ſanguinis impediri. *Seri* retentio hydropem fouet, calculum generat, et intimiori admiſtione cum ſanguine impedit, quo minus terreae, ſalinae, et aquoſae partes ſecernantur. At omnium peſſima eſt impedita *tranſpiratio*, quia deprauata miasmata cohibet, quo tenuiora, eo facilius ſe omnibus miſcentia, et intimam naturam ſanguinis corrumpere idonea. Haec quantum mali procreare queant, ex eo intelligitur, quod (vt nunc omnes SANCTORIO credunt) multo plus vno die per hanc excernatur, quam quindecim dierum ſpatio per aluum. Quo principio fretus HEQVETVS Gallus quidam, maxime omnium hac corpus affligi, peculiari libro (r) oſtendere conatus eſt, qui, cum legi poſſit, nos iſta recenſere incommoda, ſuperſedemus. Pituita autem cumulata quid valeat, in ſequentibus dicetur, vti etiam bilis, nam haec ad cauſas praeter naturam referuntur.

CAP. V.

DE CAVSIS MORBORVM PRAETER NATVRAM.

§. I.

Praeternaturales cauſae dicuntur, quae natura quidem corpori inſunt, ſed a propria natura deſciſcentes, morbos inferunt. Tria autem in corpore reperiri, antea dictum eſt, partes, humores, et ſpiritus: quae cuncta, recte habentia, ſanitatem, deprauata vero, inſalubritatem corpori afferunt. Neque enim prohibet quicquam, etiamſi morbos ipſos in ſe ſuſcipiant, quin eorundem etiam alio tempore cauſae fiant ipſae etiam *partes ſolidae*, cum morbus ex morbo naſci, et vtriusque diuerſo tempore locoue ordinem ſubire queat, quoties vel conformationis vitio quodam, vel intemperie, vel tumore, aut amplitudine vel defectu, vel, ſi cauitatem habeant, laxitate vel anguſtia, aut figura, mollitie denique aut duritie laborent, ex quibus morbi alii generentur. Ita gibboſitas phthiſin, et difficilem reſpirationem, luxatio femoris aut brachii, compreſſis vaſis, atrophiam: ſic renum intemperies calida calculum gignit, ac mouet genitum. Tumor ventris hydropicorum, vaſa lactea comprimendo, atrophiam partium ſuperiorum producit, quo

(r) *Explicatio phyſica et mechanica ſanguinis miſſionis.*

quo ſoluto, et aquis exhauſtis, priſtinae plenitudini reſtituuntur. Colicam, aut obſtructionem coli anguſtia frequentem cauſatur; durities lienis aut hepatis in ſcirrho gravisſimorum incommodorum, ipſiusque hydropis cauſa exiſtit: quae omnia eorum, qui artem exercent, obſeruationes indubia reddidere.

§. II.

Humorum multo plura ſunt vitia, propterea, quod varia corpuscula iis innatant. Haec autem omnia ad cauſas morborum, non morbos ipſos referuntur. Primus omnium eorum et praecipuus eſt *ſanguis*, ex quo, et cuius gratia fere ſola ceteri omnes ſeparantur, itaque eius prima etiam et praecipua cura erit. Hunc veteres duobus moleſtum eſſe modis, prodidere. Si *abundet*, quod *plethoram* Graeco verbo nominarunt; et ſi miſcela partium laboret, quod eodem ex idiomate mutuato vocabulo, *cacochymia* erat: hoc eſt ſi naturae leges proportione inter ſe obſeruanda in venis contenta excedant, et vnum prae ceteris reliqua ſuperet, vel etiam ea, quae abeſſe oportebat, et exulare ex iis, admiſceantur.

§. III.

Plethora igitur eſt exceſſus et abundantia liquoris vitalis recte conſtituti. Haec recepto loquendi modo dicitur vel ad vaſa vel ad vires: quod vt valde obſcurum intellectu eſt, vt ſunt omnia, quae cum natura rerum non conueniunt, dicam: quid res ſit. Si ſanguis copia peccat, ita vt grauet corpus, quod ex eo turgeat, plethora ad vires eſt, et haec cito ſoluenda, vt praecipit HIPPOCRATES. (a) Rupturam enim vaſorum minatur, aut eruptionem ſanguinis vndecunque. Erat virgo quaedam pulcherrima et florentisſima annorum quindecim aut ſedecim, ea laborans, et valetudine fruens optima. Omnes eam admirabantur. Haec cum ſororem, febre continua laborantem, quam amabat plurimum, viſitatum veniſſet, ſubito in haemorrhagiam narium incidit tantam, vt ſiſti non poſſet, hac ingentem ſanguinis copiam perdidit, ſuperueniente febre continua, ex qua aegre ſeruata, pallore genas occupante, nunquam priſtinum colorem et valetudinem integre recuperauit. Plethora ad vaſa eſt, in qua ſanguis abundat, non ex vero, ſed apparenter tantum, ita vt vaſa, muſculorumque fibrae itidem turgeant, ſed ex calore potius, quam vera vbertate; ex calore autem

(a) Aph. I. 3.

tem, vel interno et proprio, vel externo. Aër enim, elaſtica vi praeditus, qui ſanguinem ſubit, eum extollit, et eandem impertit, vt eadem, qua ipſe, ratione incaleſcens expandatur. Haec ergo turgeſcentia, ſi ex interno inſitoque calore eſt, perpetua eſt, ab externo, momentanea, donec ſcilicet is ceſſet, vel remoueatur, tum concidunt vaſa, et ex magnis exilia fiunt. Hoc ſcire vtile eſt, ne in poſteriori hac temere incidi venam iubeas, cum nulla adſit cauſa, etſi in ea, quae ba abundantia caloris interni eſt, locum etiam inueniat.

§. IV.

In *Cacochymia*, quae prauitatem ſuccorum ſonat, vtraque ſanguinis pars, ipſe nimirum, et ſerum, ei permixtum, labes ſuas habent. Particulae autem illae, quae iis innatant, cum ex minimis ſint, fugiantque ſenſus, fruſtra laborant, qui in iis diſcernendis ſingulis occupantur, multoque eſt certius, ſi quis qualitates, ex iis reſultantes, vtpote notitiae noſtrae propiores, cognoſcere ſtudeat, quae variae ſunt. Hae vbi mutantur, tum corpora impura dicuntur, et praui ſucci: quia nimirum hoc, influens in vniuerſas partes, illud impurum reddit. Quaenam autem illae qualitates ſint, dicendum venit. Primum *calore* ſanguis abundare debet, ſed non nimium, tum ſapore *dulcis* eſſe, aut inſipidus, qualis chylus eſt, ex quo conſtituitur, plerumque tamen deprehenditur leniter ſalſus, quod minime nociuum; inter tenuitatem et craſſitiem vero mediocritatem obtinere opus eſt. Quoties ergo ab his recedit, in vitio eſſe intelligitur, quod, parum ſi ſit, non aduertitur, neque infert malum: at vbi excedit, et reliqua ſuperat, non ſine noxa eſt, et cauſae morborum meretur nomen; exiguum enim, dum reliquis permiſtum eſt, ab iis continetur, ne erumpat, vbi vero ſuperat, dominium capit, et reliqua premit, vnde proportione illa, quam leges naturae poſtulant, vacillante, breui mutatur craſis.

§. V.

Difficile autem eſt, omnes, quibus a naturali ſtatu abit in transuerſum, modos ſpeciatim recenſere. *A dulci* deſciſcit vel in *ſalſum*, vel in *acidum*. *Hoc* perraro, neque enim a quoquam id obſeruatum memini, praeter vnum WILLISIVM, idque in affectibus hyſtericis mulierum tantum. (b) *Salſum* autem eſt ſerum in ſanguine quam ſaepiſſime

(b) *Pathol. cerebri Spec. ae morb. conuulſ.*

piſſime, idque propter adurentem continuo terreas ciborum particulas igniculum, vnde et vrina nunquam non ſalſa eſt, ad quod ſal culinarium, quo condiuntur cibi, quibus vtimur quotidie, confert haut parum. Hoc, immoderatius admiſſum, Scorbutum, et cutaneos affectus, excitat. Sal autem hoc, in ſanguine cumulari ſolitum, communi noſtro ſimile eſt, vt grauiter errent, qui id alcali, vel volatile, vel fixum praedicant, freti chemicis deſtillationibus, quibus eae ex variis, et volatile quidem ex ipſo ſanguine eliciunt. Vt enim in aliis rebus, e quibus ignis beneficio profunditur, minime deprehenditur actu ineſſe, ita et in ſanguine non erat, ſed acrioribus ex igne per arenam ac vaſa penetrantibus, et ſe iis adiungentibus particulis, et acrimoniam et volatilitatem acquirit. Nam fixum et vrinoſum in vniuerſa natura nusquam reperitur, ſed omne fit artis ope, et igne generatur, volatile vero ex animalium excretis partibusque elici quidem poteſt, ad non niſi praeuia putrefactione, aut fermentatione, ei proxima, aut alia quadam inmutatione humorum. In oſſibus quidem et cornubus videtur ineſſe proxima potentia, et in inſectis facile fieri, at hinc ad corpus humanum viuens male argumentamur: quin et in ipſis inſectis prorſus nihil eſſe eius, credi par eſt, quam facile etiam prodeat: Si enim ineſſet, nares feriret ſolutum: quod minime contingit. Contere enim modo ea, quantum potes, et nihil percipies, argumento certiſſimo non ineſſe, nam ſi ineſſet, proderet ſe, et narum non elaberetur ſagacitatem. Hoc millies ipſis dictum: neque tamen reſponſione diluunt, neque mutant ſententiam. De acido legi merentur IOH. BOHNII (c) et FRID. HOFMANNI (d) ſcripta.

§. VI.

Sed praeter has eſt et alia quaedam acrimonia, quae nonnunquam in ſanguine reperitur, aut ſero eius potius, quae nec ſalſa nec acida, imo linguae fere occulta, et inſipida eſt, nec niſi effectu ſolo ſe prodit, qualis in arſenico reperitur; id enim ea eſt indole, vt linguae admotum, nihil eam afficiat, at, ſi viſceribus adveniat, rodat ea, vellicet, et inflammet. Haec in cancro mammarum prae ceteris obuiam ſe dat, nulla arte domabilis, ſed in vicina ſerpens, eaque pariter corrumpens ac deſtruens. De hac legenda ſunt prae ceteris, quae incomparabilis MEIBOMIVS *in diſſertatione quadam de Cancro mammarum*, anno 1673. Helmſtadii exſcripta typis, doctiſſime diſſeruit, quae digna eſt, vt cum ceteris, eius cura

(c) *De Acidi et alcali inſufficientia.* (d) De Acidi et viſcidi inſufficientia.

cura elaboratis volumine vno aut pluribus aeternitati conſecraretur. Nec forte ab hac multum abludit, quae in arthritide aliisque immanibus corporis doloribus obſeruatur: nam calx, quae in articulis podagricorum concreſcit, inſipida eſt, vt facile appareat, etiam hanc non eſſe ſalinam, nec a vulgari, ſed longe tenuiori acrimonia arthritidem foueri, vnde et vina craſſa et tartaro acidisſimo foeta, qualia ſunt Ienenſia, podagram non producunt, cum Rhenana omnibus eo nomine valde ſuſpecta ſint.

§. VII.

Haec guſtu percipiuntur, eaque ſunt, quae auctor Libri de priſca medicina (e) potisſimum vrget. Praecipua vero ſanguinis et maxime propria qualitas eſt *Calor*, vitae omnis fons, et comes perpetuus. Ille imminuitur et augetur, et hoc quidem vel in vniuerſum, indeque maximum in ardentibus febribus oritur periculum; vel particulatim, vt in inflammationibus partium, et tunc quoque non admodum in tuto collocatur homo. Verum tunc ipſis morbis accenſetur, nec cauſae claſſem ſubit; ſubit autem, ſi non penitus exardeſcit, attamen maior eſt, quam pro naturali mediocritate, et temperamentum calidum vocatur, vt contra, ſi deficit, frigidum: illinc igniculo innato, hinc pituita dominium obtinente, ex qua tum morbi frigidi complures oriuntur, ſed tum quoque non ad praeternaturales, ſed naturales cauſas refertur, ſiquidem a natura ſit, ſin ab aliis, et commiſſo victus peccato, tum demum praeternaturalis reputari poteſt.

§. VIII.

Haec in ſanguine fiunt: ſed neque ſerum praetereundum eſt, quod pariter copia aut prauitate noxam infert. Sed abundantia non facile, quamdiu renes et pori apertas vias habent, per quas elabatur. Accidit tamen etiam, vbi incoctum ſanguini, et arctius vnitum, non facile ſecedit: quod in malignis febribus ſaepe obſeruatum eſt, cum nullis ſudoriferis fundi, et ex eo prolici poteſt ſudor. At prauitate delinquit ſaepius: Primum, vbi nimium acre eſt, vt in vlceribus quibusdam, et aliis externis et cutaneis morbis; nam ſalia in eo potisſimum innatant, itemque acrimonia iſta, de qua diximus, ei potius quam ſanguini conuenit. Deinde vbi nimis craſſum, et viſcidum: quod tanti

 vide.

(e) Inter ſcripta HIPPOCRATIS reperiundus, qui vulgo HIPPOCRATIS etiam putatur, ſed falſo.

videbatur ante aliquot annos quibuſdam medicis, vt viſcido et acido tantum non omnes morbos inferri, eſſent perſuaſi: quos *libello de acidi et viſcidi inſufficientia* repreſſit tandem vir eruditione et iudicio praeſtans, FR. HOFMANNVS. Non tamen omnino ſemper carere hoc vitio, exiſtimandum eſt. Docet id, quod ex ſe, et natura ſua, ſi exhalet, in glutinoſam et gelatinoſam faceſſit materiam, quod γλίσχρον Graeco nomine vocari ſolet, vtiliſſimum quidem in ſe, et maxime naturale, ſed vbi deſciſcit a priori indole, maxime nociuum: et quod pituitae, hoc eſt ſero huic inutili et nimis tenaci ſua emunctoria conſtituta ſunt: adeoque ipſam pituitam tenacem et craſſam, ſi nimis calore craſſeſcat, ex eo naſci in venis, appareat, et per arterias deferri ad pituitariam narium palatique membranam, vbi per vices ſecernitur. Haec ergo incraſſati ſeri pars, dum retinetur, et manet, obſtructiones viſcerum gignere, et intra carnes ſtagnare, a frigore coagulatum, facillimum, vnde dolores in mediis muſculis, et rheumatiſmi: quales in regionibus frigidis quotidie ſat frequentes occurrunt, in iis in primis, quorum vitae conditio motu diſcutere, et diſſipare tales ſtagnantes humores non patitur. Tertium, quod ſeri conſtitutionem in ſanguine vitiat, eſt terreum, ſi id cum viſcido in calculum, aut tophos arthriticorum concreſcat, aut alicubi ſubſiſtens, obſtruat tranſitus meatusque tenerrimos vaſorum. Denique eſt alia maximi momenti ſeri corruptio, qua in putridum ichorem conuertitur, in febribus ſaepe manifeſtum, vbi ſudores, et quandoque etiam vrina foetore inſigni nares ferit, quae quidem corruptio ſpem reconualeſcentiae in difficili collocat, et plerumque hominem tollit, ni forte critica excretione, coctione praeeunte, vincatur.

§. IX.

Et haec ſunt, quae in ſanguine ſenſus nobis offerunt, cacochymiae nomine digna. Poſt eum vero *bilis* maxime attentione digna, ſed de qua minus iudicari poteſt commode, cum nulla detur inſpectio in viuis, nec eius, niſi poſt mortem concedatur contemplatio. Eam vero aliquando defeciſſe, experti ſumus, nunquam abundare, cum via, qua excernatur, pateat. Si tamen iſta obſtruitur, regurgitare eam in ſanguinem, et icterum fieri, notum eſt: etſi non ſemper obſtructione hac opus: nam poteſt vel ſponte ſua in ſanguine ſeparari ac veluti pracipitati bilis, et in partes erumpere: quod illis accidere manifeſtum eſt, qui iracundia incidunt in regium morbum: ſed nec ſemper a bile icterus eſt, ſi HELMONTIO fides, qui nullam amaritiem ſe obſeruaſſe

in

in quibusdam, perhibet: quamuis ego hoc potius fuiſſe bilis vitium, quam nullam bilem, exiſtimauerim. Num et febres ex bile, in ſanguinem regurgitante, oriri, credendum? Ego potius has ex bilioſo ſanguine, particulis bilioſis potentia talibus, eaque adeo in ipſo, nondum tamen actu, exiſtente, generari putauerim. Alia ratione bilis vitioſa eſt, ſi nimium tenax et lenta: quod in chronicis quibusdam viſum, et tum etiam nigra, aut obſoleti obſcurique coloris eſt. Haec, quo ſanguificationem promouere debebat, officio tum ſatisfacere nequit, ſed in putrilaginem ſui generis tendere deprehenditur. Eſt vero etiam, vbi bilis omnem amarorem (quod modo innuimus) amittit, et fit inſipida: tumque et excretio minus promouetur, et chyli ſeceſſus ex fecibus male ſuccedit. Tum et vermes in hepate ſubnaſcuntur, ex dulcedine illa bilis viuentes, de quibus poſtea pluribus.

§. X.

Haec ex noſtra ſententia ita diſſeruimus. Cum autem de cacochymia aliter in aliorum, et maxime veterum auctorum libris tradi ſit ſolitum, etiam ad eorum mentem eam exponamus. Sic itaque vulgo haec docentur: Quatuor eſſe cacochymiae genera, bilioſam, pituitoſam, ſeroſam, et melancholicam, (f) quo ad quatuor GALENI humores reſpiciunt: ita vero denominare placuit, quod bilem, pituitam, aut melancholiam ceteris dominari, et nimia copia in ſanguine reperiri arbitrabantur: nam ea natura ei ineſſe putabant, ſed moderate: ſi quis autem horum humorum ſupra reliquos emineret, tum ab eo fiebat denominatio, vt cacochymia bilioſa, pituitoſa, melancholica vocaretur. Quibus nobiscum idem prorſus ſentiebant: nam et nos bilem et pituitam, imperfectam tamen, et potentia, ſanguini ineſſe credimus. De vna melancholia non conuenit: quod atram ſonat bilem. At talis, niſi quis interpretetur atriorem ex acido admiſto ſanguinem, nulla amplius admittitur. His tribus autem plerique erant contenti: ſed poſtquam CAROLVS PISO librum ſuum *de Seroſa Colluuie* edidit, addidere inſuper cacochymiam ſeroſam: VALLESIVS tamen eius quoque mentionem fecit, qui fuit ipſi coaeuus. At anteceſſores ſub pituitoſa hanc cacochymia ſolebant comprehendere, craſſam et tenuem conſtituentes.

§. XI.

Alia vero etiam ratione ſalſam, acidam et inſipidam faciebant. Haec, vbi ſimul frigida comperiebatur, et pellucida, eam vitream vocabant,

(f) Vide SENNERTVS Inſt. craliorum aeui illius et ſeculi XVI omnium

cabant, quam ſe ipſum poſt exquiſitisſimos cruciatus ex inteſtinis per anum excluſiſſe, teſtatur GALENVS (g) qualem poſt eum nemini ex omni medicorum ordine viſam eſſe, arbitror, ex eo quidem loco prodeuntem. Exiſtit tamen nonnunquam in faucibus, et ex ore manifeſto frigida reiicitur, verum tum aëre frigido, reſpiratione admiſſo, talem reddi crediderim, vt, an in corpore ipſo profundius latens, reperiatur, dubitari poſſet, ſi liceret GALENI verba, ſerio id aſſerentis, vocare in dubium. De hac vide hiſtoriam ipſam a SENNERTO recenſitam. (h) Sed inſipidam etiam aliam, quam naturalem vocabant, memorarunt, crudiorem nimirum chyli partem, quae penitus in ſanguinem tranſire non posſit: Atque hoc eſſe ipſum illud γλίσχρον, de quo paulo ante dictum eſt, deſciſcens a tenuitate ſua gelatinoſa et nutritiua, apparet. Haec, ſi in ſanguine eſt, pituitoſum reuera ſanguinem conſtituit, et in mulierum, menſtruorum hinc obſtructione laborantium, ſanguine V. S. elicito frequenter ſe dat obuiam, vti et pleuriticorum. Eſt praeterea et talis in ventriculo et inteſtinis aſſidue, ex ciborum, et cereuiſiae partibus viſcidis et glutinoſis reliqua, quae in gelatinam verti, aut vinci calore eius non poſſunt: Haec ſi cumuletur, magnaque copia adſit, ſubvertit ventriculum, appetitum proſternit, dolores infert, et cardialgiam, eaque ipſa videtur, quam Galenus ſe prodidiſſe ex aluo aſſerit. Nam haec ſane pellucida, et vere vitrea eſt. Haec in vtilem humorem nullo modo verti poteſt, nec medicamentis ſuperari, ſed cruda permanens, eiici penitus poſtulat et exterminari. In pueris ſaepe excrementis permixta ſponte naturae excluditur. Aliquando et in vrina ſubſidere eam videmus, quod non ignotum fuit Galeno, qui id annotauit ſuo loco: illa autem non eſt pellucida, ſed nonnihil ad lacteum colorem vergit.

§. XII.

Acida pituita, ſi ita nominare placeat, vt ſanguinem raro ſubit, ita in ventriculo per ſaepe obſeruatur, eſtque nihil aliud quam crudus humor ex potu, acidum vel occultum vel manifeſtum in ſe habens itidem, quia ſuperari coctionis viribus, et expelli ob pondus non poteſt. Ex eo eſt ardor ventriculi tantus nonnunquam, vt arrodere, et quaſi excedere, aut terebra perforare ventriculum videatur, praeſertim motu concuſſum. Is prolicito vomitu, eiectoque humore iſto, ſtatim ceſſat.

§. XIII.

(g) II. Loc. Affect. c. 5. (h) Inſt. II. 2. 5. in fine.

§. XIII.

Bilioſam cacochymiam dicebant, cum bilis praeualeret: quam duplicem commemorarunt, natura ſanguini conceſſam, flauam et atram, quam etiam Graeco verbo, vt modo tradidi, Melancholiam appellarunt, χολην μελαινην, etſi haec etiam nonnulli ab inuicem diſcreta tradidere. Hanc enim, vt pituitam illam inſipidam, naturalem et nutritiam credidere: praeternaturalem autem quadruplicem; a flauo ad viridem colorem ſenſim declinantem, graduque differentem: *vitellinam*, quae vitellum ovi referat, *porraceam*, quae hac obſcurior, ſed parum, porri in modum, *aeruginoſam*, quae aeruginem, et *Iſatodem*, quae magis ad nigredinem deflecteret, Iſatidem herbam colore aemulantem, prout haec plenius docet c. l. SENNERTVS. Haec vt rectius intelligantur, claramque lucem his tenebris affundamus, primum notandum eſt, bilis haec genera non niſi in inteſtinis, raro etiam in ipſo folliculo felleo exiſtentia, indeque proflua obſeruari: in venis autem et arteriis nihil horum. Deinde flauedinem bilis perinde ac amarorem ex aduſtione eſſe, vti videmus et vina vetuſtate ex viridibus aut tenui colore magis magisque ignea fieri, et flaueſcere, tandemque amareſcere etiam nonnihil, vini quoque ſpiritum, quem vocant, flauam induere colorem. Quod ſi tamdiu aſſeruetur bilis, vt corrumpatur, tum ſenſim ad nigrorem deficere. Ceterum non eſt haec, quae cacochymiae partes ſubit, ſed ea, quae in venis ſanguini adhuc permiſta eſt, bilioſus nempe ſanguis, vt bilioſa cacochymia laborare dicatur, non tam is, qui in folliculo talem bilem circumfert, quam is, in cuius venis eſt cauſa, hoc eſt materies, e qua iſta efficiatur, pinguesque et inflammabiles particulae adiectae tales plurimae continentur.

§. XIV.

Hi ſane in febres procliues ſunt, et facile inflammationes incurrunt, et ſi ſe bili adiungat craſſities atque viſcoſitas, aut ſi indignatione et excandeſcentia animi accendatur vehementius ſanguis, tum icterus quoque produci his poteſt, et alui obſtructiones, et corrumpi ſanguis, et prorſus in perniciem ruere, turbata eius e chylo permutatione. Quod autem ad *bilem vitellinam*, *porraceam et aeruginoſam attinet*; illa genera potius in infantibus, quam adultis obuia ſunt, et in inteſtinis potiſſimum tales videntur fieri, eſtque cauſa eorum admiſtum acidum, quod infantes ex lacte aceſcente generant. In adultis, ſi ſenſus conſulimus,

limus, potius fuſca, et vltra flauedinem obſcuri coloris, qui ſi excedit vltra modum, ſignum eſt, eam corrumpi, et a natura ſua degenerari. Tum alui obſtructiones, cachexia, hydrops, oriuntur. In infantibus autem viridis illa dolores lancinantes affert, epilepſiam, et tormina ventris, vbi apparet in excrementis, indicat.

§. XV.

Melancholiam vero, vt et hanc extremo tangam digito, iam dudum ex numero humorum excluſam eſſe conſtat, etiamſi Bilis atra omnino negari non poſſit. Haec vbi excrementa eodem colore tingit, corruptionis eius ſummae indicium facit, vt deſperatisſimo aeger in ſtatu eſſe intelligatur, in acutis maxime. In aliis tamen morbis nonnunquam critice ex liene ater ſanguis eiicitur, vt ipſi vidimus factum: et tum res in ſaluo eſt.

§. XVI.

Ex hoc cauſarum genere, luſtratis humoribus, *Spiritus* ſuperſunt. Verum hic magna in ignorantia nos verſari, inficias ire non licet. Etenim cum eorum naturalis conſtitutio ipſa non ſatis nobis perſpecta ſit, mirum videri non poteſt, praeternaturalem haut penitus eſſe cognitam, neque enim, niſi propritates quasdam, et vtilitates eorum nouimus, quas veluti a tergo inſpicientes, ex incommodis noſtris didicimus, quae eorum non recte habentium culpa acciderunt: eſſe nimirum proxima animae inſtrumenta, et quicquid ea agit, per hos omne inſtitui, nominatim motus et ſenſus opera, idque tanta velocitate peragi, vt nictu oculi citius ſuccedant. Ex quibus quodammodo colligere licet, quot modis praeter naturam afficiantur, et quorum deueniant cauſae morborum. Cum enim ex his diſcatur eſſe fluidum tenuisſimum, ſi crasſiores ſint, difficilius tardiusque mentis iuſſa exequi eos, neceſſum eſt: vnde et ſtupor, tardiorque perceptio rerum, minusque perſpicuam, et minus hinc promptam diiudicationem fieri, certum eſt, adeoque tardioris ingenii tales homines eſſe, oportet: verum hoc ad phiſiologiam potius ſpectat: videmus enim quosdam homines eſſe elegantioris ingenii, agiles corpore atque animo, vrbanos, facetos, conſilio manuque promtos, ad ſubitos iocos et ſententias valentes, alios contra tardioris ingenii, obtuſos, hebetes, bardos, quibus nihil elegantiae, hilaritatis, et gratioſi eſt, ad omnia indifferentes, lentos, tardos. De his non iam nobis ſermo eſt: At praeter naturam ſi tales fiunt, grauitas

uitas totius eſt corporis, affectus fiunt ſoporoſi, memoriae et iudicii laeſio, ſtupiditas, ſtultitia. Non enim ad animam ipſam referri haec aequum eſt, vt quae immutabilis, nec imbecillitatem patitur. Reſtat ergo, vt his ſpiritibus, primo eius inſtrumento atque organo vnico omne hoc acceptum referatur.

§. XVII.

Poſſunt autem ex aduerſo *nimis agiles* etiam ſpiritus reddi, et ad officia promptiores, quam par eſt: Ex eo vero deliria oriuntur, mania, furor, vel quaecumque alia eius generis. Tales enim ipſimet ſibi fingunt ſimulacra, quae nulla adſunt, et quaſi ſenſibus percipiantur, afferunt animo, et tanta velocitate agitantur, vt non concedant iudicandi facultati tempus, quo ſe recolligat, ſed obruunt impetu ſuo, vt ex fluctibus ſe non poſſit expediri. Hoc in morbo omni immediatae cauſae rationem habere ſpiritus patet, προηγȣμενη vero eſt ſanguinis diſpoſitio, in quo tunc igniculus ille magis excitatur, et plus eius per cerebri corticem in medullares tractus penetrat, excluſis particulis aethereis, vel ſuperatis. An huc etiam conuulſiuos motus referas? non abſonum videtur, etſi nondum ſatis lucide appareat.

§. XVIII.

Ped praeter haec tertium quoque fluidi neruei vitium ſubiungendum eſt, hucusque neglectum: quod in eo eſt ſitum, vt praeter conſuetum vniuerſalem motum peculiarem quendam inpetum verſus partem aliquam promptisſime ſuſcipiant, idque per *conſuetudinem morboſam.* Quo nomine nouo in re noua, quam primi deprehendimus, liceat vti nobis: Hac ergo ad leuem quamuis occaſionem excitati, in illa parte vehementem commotionem cient, ſiue in animo id fiet, actione, quod vocant, immanente, ſiue in parte aliqua corporis tranſeunte. Ex priori principio omnium affectuum animi exceſſus, qui quidem homini aut ſunt familiares ac proprii, vnice proueniunt, e poſtremo autem multa illa et magna corporis mala, quae per paroxismos ſubinde recurrunt. Horum vtrumque fit ex mera conſuetudine naturae illorum. De affectibus argumento hoc eſt, quod, quo magis eorum vni aut alteri indulgeas, eo plus ſibi in te imperii vendicant: e contra, ſi reſiſtas, non compeſces modo facilius, ſed et ſucceſſu temporis penitus vincas, aut ſaltem ita temperes, vt et rarius, et mitius incurrant.

 Morbi

Morbi autem, etſi in poteſtate non ſint, ſemel tamen laxatis neruorum poris, ſaepius et exigua de cauſa repetunt conſuetam viam, et quauis occaſione per eandem praecipites ruunt. Haec cauſa febrium intermittentium, diuturna et taedioſa mora affligentium: haec epilepſiae, ſtatis temporibus repetentis, quod vulgo Lunae phaſibus deberi perſuaſi ſunt: haec paſſionum hyſtericarum, et infinitarum aliarum, per paroxyſmos recurrentium: haec terrorum, quae ſaepius incuſſae, tandem vel tenui cauſa ita commouent animos, vt protenus alteratio valetudinem eripiat. Hinc ira tam facile podagricis nocet, calculoſis ſabulum mouet, et multis aliis modis alios afficit, intemperantiae ſuae poenas ſoluentes. Et haec hactenus.

CAP. VI.

DE FLATIBVS, CALCVLIS ET VERMIBVS.

§. I.

Ex ante dictis conſtare poteſt, cauſas morborum quasdam eſſe toto genere naturales, quasdam genere quidem et ſubſtantia naturales, ſed qualitatibus mutatis, harumque ratione praeternaturales: Accedunt nunc ea, quae toto genere, hoc eſt ſubſtantia et qualitatibus praeter naturam inſunt corporibus. Tales memorantur Calculi et Vermes, quorum neutrum in corpore ineſſe conuenit, ſed penitus exeſſe deberent, nec vnquam in eo comparere. At medii inter naturales et praeternaturales has cauſas quodammodo ſunt flatus: vtpote qui nec penitus euitari poſſunt, nec tamen vllo corpori inſunt, bono, aut inſtituto naturae, ſed eos pati coacta eſt, quoniam euitari non poſſunt. Omnis enim fermentatio, omnisque humectorum digeſtio ſine flatibus eſſe non poteſt: talis autem in ventriculo et inteſtinis perpetua fere continuatur. Ergo tum vel maxime naturales ſunt, eoque nomine dum ſunt mediocres nec in tantum augentur, vt inteſtina extollant, ac diſtendant ſupra modum, nocere non poſſunt. Nam aliquantulum turgere ventrem a partu, neceſſum eſt, tam propter infarctum ventriculum, quam et illos, quos diximus, flatus naturales. Id patebit, cum conſtabit de eorum origine.

§. II.

§. II.

Flatus enim videtur *eſſe humidi cuiuslibet, in maius ſpatium expanſi, dilatatio.* Cum autem et nubes ſint eiusmodi humidi expanſio, ſed quia non penitus cohaereant, ventoque facile diſpellantur ac disſipentur, flatus autem in corpore tenacius compacti ſint, videtur ad flatus vlterius quid requiri, quod arctius humidum illud colligat, quam leuis iſta, quae aquae eſt, lentitudo posſit. Vnde nonnulli pituitam ſtatuerunt eſſe flatuum materiam, alii ſulphur, et hi quidem, quoniam viderunt, a pueris calamo, in aquam ſaponatam immiſſo, eam in amplisſimum ſpatium expandi: ſaponem autem ex pingui et ſale compoſitam ſcimus. Quod vtrumque quidem locum habet, attamen ſubeſt fallacia: non enim ex his, qua talibus, ſed qua tenaci lentore pollent, flatus fieri conſtat. Itaque non flatus ipſi tantum, ſed materia etiam, quae facit, vt pertinacius perſtent, conſideranda eſt, iamque apparet, flatus quidem eſſe humidum expanſum, ſed arctius alicubi concluſum. Quod ſi ergo tenacitas illa abeſt, disiiciuntur facile, niſi cauitatem impleant, terminis ſuis gaudentem, neque repugnat ipſa loci anguſtia, aut obſtructa tranſitionis via, etiam includi flatus poſſe, et moleſtos eſſe, citra tenacem eiusmodi materiam.

§. III.

Verum de his inteſtinorum flatibus ſolis hic non eſt diſputatio, quae in Colicae perquiſitione prolixius agitatur, ſed de flatu in vniuerſum: vti etiam de vermibus, non inteſtinorum, nec de calculo renum, aut veſicae tantum, ſed omnis generis, vbicunque locorum exiſtant: Nam tria iſthaec in omnibus corporis partibus naſci queunt: hinc medici ea tanquam cauſas quasdam vniuerſales conſiderant, etſi negandum non ſit, in inteſtinis et vermes et flatus, in renibus calculos frequentes reperiri, illos quidem ob dictas cauſas, hos vero, quia per renes terrea potisſimum eliminantur, calculorum materia.

§. IV.

Flatus ergo vbique fieri, non in cauitatibus tantum, ſed et in mediis carnibus, in duplicaturis membranarum, aliisque corporis partibus, ſaepeque cauitates non inuenire, ſed facere, compertum eſt: quod ex eo conſtat, quoniam exquiſitisſimi ſaepe dolores vbique locorum ſubito percipiuntur, eadem facilitate ſola frictione, aut calore in mo-

mento diſſipandi: ex quo flatus fuiſſe conſtat, non impactos humores, qui tam cito oriri ac deſinere non ſolent.

§. V.

Hi autem flatus ab illis, qui in inteſtinis ex ciborum digeſtione neceſſitate quadam oriuntur, longe ſunt diuerſiſſimi: duplex nempe eorum eſt genus, quidam ſimplices, mero aqueo et viſcido conſtantes, quidam vero acerrimo ex humore geniti per anguſtiſſimas vias in medias membranas, aut alias quoque partes, aut perioſtium inter et oſſa adacti, vbi haerent, rodendo pariter ac ipſi humores, dolores inferunt, at multum illis vehementiores, qui diſtendendo duntaxat afficiunt, vt in inteſtinis aliisque cauitate praeditis viſceribus fieri ſolet. Vnde differentia eſt dolorum, vt alii tenſiui, alii pungitiui et lancinantes, alii rodentes dicantur, qui omnes ab iis, quos humores inferunt, plurimum diuerſi ſunt, longeque difficiliores ſe praebent medentibus. Haec de flatibus poſſunt ſufficere.

DE CALCVLIS.

§. VI.

DE CALCVLIS dictum eſt, toto genere, hoc eſt omnino, et vtcunque conſideres, eſſe praeter naturae inſtitutum: par enim eſſe, a corpore eos penitus abeſſe. Et quamuis loci eorum proprii ſint renes et veſica, ideoque de iis rurſum in ſpeciali medicinae parte, vbi de Nephritide et veſicae calculo diſſeritur, de iis accuratius agatur: quandoquidem tamen in aliis etiam corporis partibus quam pluribus concreſcunt, de iis, tanquam communi omnibus malo, ſermo inſtituendus eſt, locorum enim prope omnium totius corporis hoſpitem eſſe, SENNERTVS in Inſtitutionibus ſuis exemplis docuit, ſubnectens catalogum ampliſſimum, qui ibi poteſt videri: exſcribere enim, non eſt opus.

§. VII.

Calculi autem cauſae eſſe poſſunt multorum morborum, in quantum impediunt humorum decurſum, aut aeris, aut comprimunt aliquid, aut quamcunque partium functionem impediant vel ſuſpendant. Idem vero eſt cum tartaro Chemicorum; niſi quod calculus, vt compactus et ſolidus, ſeorſim exiſtens, tartarus vero ab iſtis ampliori ſignificatu, etiam vt maſſae ſanguineae permiſtus, et futura calculi materia conſide-

onſiderari aſſolet. De hoc autem PARACELSVS (a) qui raro alias ſo-di quid ſolet docere, aut tradere, quae cum ratione conſentiunt, ea ongesſit, quae non ſane contemnenda ſunt, quin potius tam egregia nulta continent, vt ille primus hanc rem penitius conſideraſſe videri osſit.

§. VIII.

Eſt autem calculorum varium et multiplex genus, quod tamen ad iplex commode reducitur. Vnum molle, ex ſabulo concretum, fria-ile, vt digitis conteri posſit. Tale plerumque in renibus obſeruatur, auum vel rubrum colore. Alterum durum ſiliceum, plerumque can-icans, idque videtur Paracelſi Duelech. Talem nos in cerebri mem-rana dura, vbi falcem conſtituit, inuenimus, lentis fere magnitudine. ertium mediae conſiſtentiae, quale plerumque in aliis viſceribus in-enitur, vt in veſica. Denique nota eſt podagricorum calx, quae iis mediis articulis concreſcit, et induratur, cretam referens, vt etiam d ſcribendum, pingendumque posſit adhiberi. Talis etiam in pulmo-ibus ſed alterius coloris viſitur. Hic nonnunquam ex laminis ſibi npoſitis compactus habetur, vt in veſica vrinaria obſeruatum eſt. iliceus quandoque et in renibus inuenitur, nullis tum medicamentis edens.

§. IX.

De ortu calculorum variae opiniones ſunt. Nos duplex princi-ium agnoſcendum arbitramur, materiam, et efficientem. De mate-a plerique omnes conueniunt, eſſe terream, feculentam, craſſam, noſam, idque ſenſus docet. Eſt nimirum terreum, quod cum ali-entis aſſumtum, in chylum, indeque in ſanguinem abiens, cum eo circulum fertur, et increſcentibus oſſibus augmentum adfert, vnde reſcentes calculo nunquam laborant: laborant autem pueri calculo eſicae; renum aetate prouectiores. Quod in osſium incrementum on impenditur, eliminatur cum vrina. Hoc Cl. WEDELIVS appel-t tartarum naturalem. Non meretur autem tartari nomen, barba-um et ineptum, ne chemico quidem ſenſu, niſi detorto, nam iis ſim-ex terreum tartarus non eſt, ſed terreum cum ſalino coniunctum, ido maxime, vt ipſe docet WEDELIVS: tale autem hoc non eſt, c ſecundum naturae leges in corpore eſſe poteſt. Quando autem idum, vel aliud acre tenuium partium ſe illi adiungit, arthritidem gignit,

(a) *Lib. de Tartaro.*

gignit, potius quam calculum, ſiue vagam, cum magis eſt tenue et huc illuc fertur cum tenui ſero, ſiue fixam, ſi ad eundem locum deferri conſueuit, ibique arctius inhaeret.

§. X.

At ſi acrimonia et tenuitate particularum expers, in ſolidum corpus coagulatur, induraturque calore, calculus fit, quod tum accidit, vbi glutinoſi quid ipſi admiſcetur, et particulas terreas coniungit, cum in anguſtis canalibus, aut cauitatibus occupato exitu, aut mora tracta, ſubſiſtit. Eſt enim efficiens calculi cauſa, non alia, quam ipſe hic naturalis, ſed paulo magis auctus calor, exſiccans in duritiem gluten illud, quod arenulas jungit, non alia ratione, quam lateres in furno decoquentur; niſi quod hic ingentibus flammis intra vnius diei ſpatium opus conficitur, quod in homine plerumque diutino labore, quoniam remisſior eſt caliditas corporis. Vt nullo hic opus ſit Gorgonio ſpiritu, aut ſucco lapidifico, vt non paucis viſum eſt. Quamuis disſimulandum non ſit, hoc mollioribus et fricari idoneis calculis in primis conuenire: ſolidiores autem iſtos, et ſiliceo duritie, fortasſis non eo modo produci, ſed ex ſucco quodam induruiſſe, alicubi ſubſiſtente, vt illi, qui in igne fluunt, facere ſolent: quod videmus in lapite ſtalactite contingere.

§. XI.

Generantur autem calculi itidem in omnibus fere corporis regionibus locisque, prout exemplis diſcitur a SENNERTO, et in Ephemeridibus noſtris Leopoldinae Academiae allatis: Vt etiam quibusdam in ipſis venis obſeruati ſint, in quibus manibus palpari potuere. Cuidam ex pulpa pollicis pedis exſecti tophi: aliis cum ſemine nocturna pollutione eiecti, vide WEDELII *Pathol.* Per anum excluſi etiam leguntur, et podagricis conſummatis in vaſis fragorem colliſi edidiſſe, auditi ſunt, vt pene metuendum eſſet, totum ſerum in calculos tandem verti, Vobisque fabulam renouandam eſſe.

§. XII.

Morbos tamen non multos infert calculus, ipſe ſatis morbi loco futurus, in renibus praeſertim, vbi dyſuriam, ſtranguriam, et ſi maior, omnimodam lotii ſubſiſtentiam inducit, vt illud poſt triduum, imo octiduum, obſtructis viis, per poros corporis, ſudoris loco, foe-

tidis-

tidiſſimum erupiſſe viſum ſit: ne commemorem immanes dolores, quos tam ſubſiſtens in renibus, quam per vreteres vel uretram tranſiens, comites habet. In pulmonibus aſthma, in fellea cyſti obſtructionem, et icterum, et hydropem ſaepe producit, aluique ſegnitiem. In reliquis locis, quibus nulla functio corporis, cui obeſſe poſſint, dolorem ſaepe, ſed leuem procurant, aliamve moleſtiam nullam. Scorbuticis et hypochondriacis arenulas quoque cum vrina reddi, notum eſt: ſed multis, qui neque hoc, neque illo laborant morbo, nec arthritide, nec calculo, tamen id quoque accidit. Quia vniuerſalis eſt cauſa, neque hinc quicquam percipiunt mali. Multi etiam, qui vno vel altero non carent, nullos emittunt. Quod ſciri, per eſt vtile, vt ſi quid horum contingat, expedire ſe poſſit medicus ex dubiis et quaeſtionibus ſciſcitantium.

DE VERMIBVS.

§. XIII.

His expeditis, DE VERMIBVS exponendum eſt: qui non tantum mortuorum corporibus infeſti ſunt, ſed et viuos nos arrodunt et deuorant, aut affligunt ſaltim haut parum. Neque minus quam calculi, tophique in partibus tantum non omnibus generantur, tantaque eorum in quibusdam obſeruatur copia, vt centenarii non raro exeant, tantaque diuerſitas, quanta locorum eſt, in quibus fiunt. Non opus eſt omnia adferre in medium exempla. Plurima collegit MARCELLVS DONATVS, (b) GV. ROLFINCIVS, (c) CONSENTINVS, *Prog.* et nuper Gallus quidam, ANDRY, Medicus Pariſinus, prolixe conſcripto integro de vermibus libro. (d) Qui et certas eorum claſſes conſtituere tentauit: ſed multo plura ſunt genera, atque exempla, quam ille recenſuit. Triplex genus in inteſtinis naſci vulgo notum eſt, lumbricos, aſcarides, et lumbricos latos, quos taenias appellant alii, alii cucurbitinos, ANDRY genera enarrans, taeniam et ſolium recenſet, alii cucurbitinum addunt rectius, de quo legendus WEDELIVS, (e) qui eum non vnum, ſed plures ſibi inhaerentes, eſſe, *ſe oculis falli neſciis vſurpaſſe* aſſerit. Meretur expendi locus. Extra inteſtina

(b) Lib. IV. hiſt. Med. Mir. c. 26. (c) Epit. Meth. c. 20. (d) De la Gener. des vers dans le corps de l'homme. (e) Pathol. II. c. 5.

inteſtina deprehenſos vero, in capite, naribus, auribus, ad dentes, in pulmone, hepate, corde, ſanguine, renibus, veſica, (potius cum vrina redditos) vlceribus, cutaneos, vmbilicales, venereos, ſpermaticos. Quos vltimos natura ineſſe cum LEVVENHOECKIO credit ANDRYVS. Verum et hi non ſunt vnius generis. In capite, praeter iſtos, quos FORESTVS, (f) et DVRETVS, (g) etiam TVLPIVS obſeruauit piloſos, et ſanguine obſitos. In oculo AMATVS LVSITANVS, (h) ſub lingua HIERONYMVS MONTVVS, (i) in mamillis SCHENKIVS (k) in veſica fellis MERCVRIALIS. (l) In pericardio LOWERVS, (m) RIOLANVS, (n) HARTMANN. (o) In ipſo cordis ſinu laeui anguem flagellatum bifidum EDVARDVS MAII, Anglus medicus. (p)

§. XIV.

De his duo in quaeſtionem venire ſolent. I. De ortu eorum, II. vt fiant cauſae morborum. De origine et generatione vermium magna altercatio recentibus cum antiquis intercedit, his aequiuocam, vt Philoſophis appellatur, generationem aſſerentibus, illis pernegantibus. Illa ex ARISTOTELE hauſta eſt ſententia: Is enim (q) ait: *in terra humoreque animalia et plantas generari, quoniam humor in terra, ſpiritus in humore, calor animalis in vniuerſo eſt, ita vt quodammodo plena ſint animae omnia.* In quam opinionem ipſe deuenit, quoniam inmenſam illam foecunditatem vidit, qua omnia animalibus plantisque implentur: Contra Recentium diligentia atque induſtria vbique innumerabilem ſeminum detexit copiam, ouulorumque tam exilium, vt tantum non oculorum aciem fugiant. Hinc tot exemplis euinci his viſum eſt, nihil niſi ex ouo, ab animali enato, animalis procreari poſſe. Et vero, non niſi ex animali animal generari, ipſa videtur ſuadere ratio, quippe quae ex putredine, etiam mitius interpretata, animam prodire viuentem, comprehendere vix poteſt. Qui enim, inquiunt, fieri poteſt, vt caſu fortuito ita organicae animalium partes queant ordine quodam diſponi, vt prodeant inde inſtrumenta animae, ad curſum, ad ſenſus, ad actiones ſpontaneas tam idonea? Ne dicamus de ipſa anima, ſeu principio mouente, quod illis praeſit, et ordinet omnia, ac fieri iubeat. Quod permouit

(f) IX. 2. Obſ. (g) Enarr. in Holl. Lib. I. 54. (h) Cent. VII. 36. (i) *Paraſc. morb.* c. 19. (k) *Obſ.* L. II. (l) L. IV. *de Morb. mulierum* 12. (m) *De Cord.* c. 2. (n) *Enchir. III. 4.* (o) *Prax. Chim.* c. 3. (p) vid. *M. A. SEVERINI de Rer. abſc.* nat. (q) *III. part. an.* c. 11.

mouit etiam ANDRIVM illum, virum ſane perdoctum, vt hanc eandem ſententiam ſit amplexus.

§. XV.

Cui accedit alterum haut minoris ſane momenti. Nimirum, ſi haec ita mera fiant naturae potentia et arbitrio, cur non plura, et eo vsque ignota inſectorum genera quotidie prodeant? Neque enim intelligi poteſt, cur non perpetua partium diſpoſitionis varietate alia atque alia ſubinde generentur, ſed ſemper eadem forma appareant.

§. XVI.

Ceterum vt haec ita ſint, magnis tamen et haec altera recentium aſſertio difficultatibus premitur. Vnde nimirum in homine iſta animalium ouula proueniant, cum in eo inhabitent nulla? Aiunt quidem, aliunde aduenire, et partim per aerem, qui totus ouulis innatantibus ſcateat, partim per alimenta, ſine quibus viuere non licet, oleribus, frugibus, carnibus aſſumi, atque venire in corpus, ibique calore perfici, et ex ouulis egredi, creſcereque alimentis. Addunt: ipſa illa inſecta, vt in arbores et fructus, ita etiam in cutem et poros ſua iſta ouula homini, ceterisque animalibus, impingere et intrudere. Verum haec omnia, facile eſt, quidem ita ediſſerere; vt autem ſimplex aſſertio nullius apud me ponderis eſt, ita haec vel vno alteroue exemplo probare, atque ipſa re factum vmquam eſſe, oſtendere oportebat: id vero tanto difficilius admitti poteſt, quod animalia omnia non niſi ſui ſimilia per ouula generent, nunquam alterius generis et diuerſi, id quod per vniuerſam eorum naturam obtinet. At vero in homine nunquam talia generantur, quae cum terreſtribus aut volitantibus conferri, ſimiliaque aut eiusdem generis videri posſint: Nam et lumbrici inteſtinorum longe a terreſtribus diuerſi ſunt, vt ne quidem ab iisdem enecentur aut foueantur, a quibus iſti, quod ipſe ANDRIVS fatetur. (r) Et quis vnquam lacte lumbricos terreſtres nutriri aſſeruerit? Taliaque multa ſunt, ad quae difficilius etiam eſt reſpondere iſtis, quam illis ad altera, vt cum lue venerea infectos infinita inſecta nutrire, quibus arrodantur omnes eorum partes, aſſerunt, quod et noſter facit: vnde hic, et ex quibus ouulis ergo iſta excluduntur?

(r) Cap. IX. Art. II.

§. XVII.

Quod autem CL. ANDRY obiicit veteribus bina iſta potiſſimum, addens tandem, ſi haec duo ipſi ſoluere poſſint, opinionem ipſorum ſe tolerabilem habiturum, de iis non difficile eſt ipſi ſatisfacere. Verba eius ſunt: *Si ces Philoſophes pouuoint in expliquer deux chioſes, l' vne, comment le deſordre du hazard peut arranges auec tant d' ordre les parties organiques d' vn animal, et l' autre, d' ou vient qu' onne voit ſ' engendrer aucune eſpece nouelle d' inſectes, comme cela deuroit arriuer dans leur ſyſteme, ie trouuerris leur opinion ſupportable.*

§. XVIII.

Et ego quidem litem iſtam hic meam non faciam, neque, cum haec omnis diſquiſitio mere ſit Phyſica, et ad naturalem philoſophiam vnice pertineat, mearum nunc eſſe partium arbitror, eam accurate proſequi. Quandoquidem tamen praeter naturam in corpore occurrentium rerum cauſas ſcrutari, nobis quoque incumbit, eam ergo controuerſiam paucis duntaxat attingam, ne ſi plane omittam, praeteriiſſe, ſi rem omnem explicare incipiam, non haec enarrare, ſed naturalem hiſtoriam ſcribere videar. Si ergo haec duo ANDRI dubia (quae eadem et reliquorum ſunt) ſoluero, non quidem eos me reducere ad veterem philoſophiam, ſed id efficere ſaltem conabor, vt, quod ait, non omnino abſurdam et falſam, ſed tolerabilem opinionem iſtam deinceps habeant. Ad primum ergo dicendum videtur, lubenter concedi, non quidem mero caſu fortuito membra corporis animalis ita diſponi poſſe, vt actionibus vitalibus ſufficiant, ſed vt animal ex animali procreari per ouula iuſſit Creator Deus, ſic ipſi difficile non fuiſſe, vt eadem noua naturae lege, qua intra rupium ac Saxorum venas metalla et metallica, (Imo et animalia in mediis illis, quod alibi docetur) ſine ſemine oriri voluit, etiam ex certo particularum concurſu per motum fermentationis aut cuiusuis alterius agitationis internae herbarum, aut animalium vilioris conditionis ouula ſine parentibus vel in aëre etiam fieri iuberet, et eiusmodi animalcula ſimili ratione oriri ſubito. Cuius rei credo me ingentia ſaepe ſpecimina vidiſſe, vbi vna nocte in arborum herbarumque quarundam folia multa millia eorum decidere obſeruaui. Quod tamen minus videri mirum debet, cum ipſe fateatur ANDRIVS, (s) ex lumbricis pulueriſatis infinitos lumbricos iterum ortos, qui ſane ergo ſine

(s) Cit. loc.

ſine ouulis progenerati ſunt, vt poſſet eadem hic quaeſtio ipſi moueri: quomodo ex puluere minutisſimo ſine ſemine renaſci tot lumbrici potuerint? Si enim id in his factum eſſe obſeruatur, cur non eadem ratione et reliqua ex nullo licet ouulo in corpore progigni potuerint? Vbi memorabile etiam eſt hoc: non ouipara eſſe animalia iſta hominum, ſed omnia viuipara. Quod ipſe atteſtatur, dum, pedibus contritis, illico infinita alia minora extitiſſe vidit, et ego pariter atque ipſe intra lumbricos pellucidos alios pene eiusdem cum iis longitudinis ex ventre eorum ſex ſeptem non ſemel in publico Anatomico theatro extraxi. Videntur ergo et ipſi parentes non ex ouulo nati, cum valde credibile ſit, carentes ouariis nulla etiam oua ex ſe generaſſe, ſed ſimili ratione, qua dixi, prolem intra ſe produxiſſe.

§. XIX.

Alterum, quod doceri poſtulat, non aegre ſoluitur. Qui fiat nempe, ſi verum eſt, ſine ouulo naſci, quod non cotidie nouas videamus inſectorum ſpecies? Nonne enim illa omnia, quae in corpore naſcuntur animalium, ab omnibus, quae extra corpus naſcuntur, aliis prorſus diuerſa ſunt? Etenim iſtuc ipſum eſt, quod aduerſus illos, qui aequiuocam generationem negant, maxime omnium pugnat, et vrgetur. Commonſtrent, ſi audeant, eandem ſpeciem in inſectis, extra corpus naſcentibus, niſi ſupra naturam inmiſſa ſint. Agnoſcant igitur, non eſſe ex ouulis notorum. Cum enim ex omni ouulo parentibus ſimile prodeat genus, conſequitur neceſſaria ac demonſtratiua argumentatione, quae diuerſa ſunt, non eſſe ex illorum ouis. Hoc argumentum ſoluant, ſi ſibi cupiant credi, et vicerint! Quod enim dicunt, loco mutari, inane eſt, nam quaelibet anima, vbicumque viuat, eodem modo omnibus locis agit.

§. XX.

Nolo alia, quae vel impugnent vel firment ſententiam afferre; Potius eſt, relicta hac controuerſia, ad pathologiam tranſire, et quae mala a vermibus metuenda ſint, dicere. Quicquid enim hic credas, ſiue huic ſeu illi adhaereas ſententiae, ad curationem morborum nihil faciet, ad quam tendere omnia noſtra, par eſt. Fiunt autem vermes cauſae morborum, in quantum ſolutionem continui inferunt, rodendo et diuidendo corporis partes, ſunt enim vel roſtro acuto, vel dentibus inſtructi: imo multis in locis ne generari quidem citra ſolutio-

lutionem continui queunt, neque ſubſiſtere, niſi locum aliquem occupent, non autem in cauitatibus ſolum, ſed etiam in ſolidis partibus obſeruantur.

§. XXI.

Huius morbi proximum et arctisſime coniunctum ſymptoma eſt dolor, quem varium, et nonnunquam immanem cient vermes, praeſertim in capite, auribus, et corde, vbi et tremores, et ſyncopen, mortemque ipſam prae anxietate inferunt. Inteſtinales tormina concitant, et roſiones. Quodſi copia abundent, praeripiunt chylum, vnde atrophia ſequitur. Quandoque inteſtina perforant, et corpus ipſum etiam, ſed rarius. Vide multo plura apud ANDRIVM, cap. IV. vbi diligenter ſymptomata eorum enarrat, vbi et Lactis defectum nutricibus attuliſſe dicit, quod mirum non eſt, ſurrepto chylo. SOLIVM ſyncopen, maximas anxietates, et atrophiam inducit, colicam, deliria, obmuteſcentiam, tumorem ventris ingentem. Viſum eſt etiam, febres poſt eos expulſos deſiiſſe, et pleuritides, quod mirum. An putriditetrique vapores, ex iis procedentes, ſanguini miſti hic recenſendi, dubitandum. Vix putreſcere crediderim, ſed diſſolui, et ſi fiat, cum excrementis excludi. Fuerunt, qui et peſtem a vermibus omnem credidere, vt KIRCHERVS, alii vlterius progresſi, Pathologiam animatam ſcripſere, vt LANGIVS quidam Lipſienſis: verum hi fortasſis effectum pro cauſa habuere, vt vero quandoque id factum concedatur, non tamen inde concludendum ipſis erat ad reliquos. Vide de his plura apud excell. WEDELIVM *in pathologia*, citato loco.

§. XXII.

Ante quam vermes deſeram, de ſpermaticis ANDRY, quos appellat, vel verbulo dicendum eſt. Hos ad morboſos non pertinere, facile apparet: vnde et in Phyſiologicis de iis egimus: defectus tamen eorum cauſis ſterilitatis foret accenſendus, ſi vera eſſent, quae ex LEWENHÖKII ſententia is tradidit. Quod nos ineptum et falſum ibi putauimus eſſe, itaque hic poteramus tacere: quoniam tamen ANDRYVS noſter eos aſſerere iuſto ratiocinio aggreſſus eſt, pauca hic de iis denuo addamus. Prouocant autem patroni eorum praecipue ad experientiam, et ocularem fidem, quae hic eos egregie fefelliſſe videtur, dum aſſerere non verentur, *in ſpermatis Galli gallinacei portiuncula, vnius arenulae magnitudinem aequante, vltra quinquaginta millia anima-*

animalculorum viuentium conſpici, anguillarum aemula, et, quod plus eſt, *in canis ſpermate, puluiſculi minimi amplitudinis, ſe perſpicere plus quam decem millena millia eorum.* Qua nimia exaggeratione commentum produnt. Forent enim illis microſcopia, quibus, cum in puluisculi mole ne vnus conſpici nudis oculis vermis poſſit, plus quam decies centum millies augerent magnitudinem rerum. Quod fieri nullo modo poſſe, Mechanici mathematici, qui vitris poliendis parandisque iſtis ſtudent, facile demonſtrabunt, radiorum refractionibus menſurandis animum intendentes. Quod ſi etiam fieri talia poſſent, quis per microſcopium, viſu immiſſo, numerabit vermes, vt poſſit aſſerere, vel decem millia fuiſſe. Vnde nimis lucide apparet impudens eorum audacia. Et vero cui vſui foret, tam innumerabilem eorum copiam in vterum infundi, ſcilicet vt ibi vel moriantur, vel omnes ab vno deuorentur? Quod ſi fieret, in quem finem? Nihil autem fruſtra facit natura, nec per ambages ad ſcopum tendere ſolet, cum licet breuiore via. Magis ergo credibile eſt, LEWENHÖKIVM illum deceptum fuiſſe, et vel vitris vel oculis ſuis plus tribuere, quam par eſt, quin ipſam ſe naturam deſerere, et a ſe abſcedere: quod faceret, ſi in minimis ſpatiis plus includeret et foueret animalium, quam capere poſſent. Sane omnis doctrina philoſophiae naturalis de loco, de tempore, et ſpatio rueret, et concideret in nihilum, ſi haec vera eſſet fabula, rectaeque rationi nuncius mittendus eſſet, ſi porro, in his vermiculis, imo eorum vno, primo videlicet, vniuerſa omnium animalium genera ſingula eorum, a mundi primordio vsque ad finem eius, quotquot fuerint, ſint, et futura forent contenta fuiſſe, credendum foret. Quod non videre illos tantos philoſophos, demiror, qui dum corporis oculis Lyncei videri volunt, mentis caecutiunt. Mihi ſane omnibus demonſtrationibus mathematicis nunquam perſuadebunt, materiam in infinitum poſſe diuidi, donec eam ipſam finitam eſſe, et ipſe ſcio, et illi inficias ire non poſſunt. Nam demonſtrationes mathematicae in naturali Philoſophia locum non ſemper habere, et eſſe translationem illorum in hanc μεταβασιν εις αλλα γενος, confidentisſime aſſero, atque declaro, et ſimul etiam illud: Vbicunque experientia et ſenſus rationi ita oppoſita ſunt, vt abſurditas ſit euidens, et contradictionem manifeſte inuoluant, hanc potius audiendam: Ἡ γαρ πειρα σφαλερη: et qui fit, vt de ſenſuum fallacia alioqui tam loquaces, non etiam hic perſpiciant, eos per vitra falli poſſe, potius quam intellectum, quem

Deus

Deus nobis, vt ſui particulam dedit, iudicem ſupremum, a quo prouocare ad ſuperiorem non licet.

CAP. VII.

DE CAVSIS, QVAE SVPRA NATVRAE VIRES AGVNT.

§. I.

Praeter naturales cauſas, etiam alias reperiri extra naturae ambitum conſtitutas, etſi non paucis hodiernorum aliter videatur, certum tamen eſt, et iam ante XXIII. ſecula HIPPOCRATI perſpectum fuit, qui in prognoſticis τοῦ Θείου meminit, aiens, *eſſe etiam aliquid Diuini in morbis, quod medico attendendum, et in prognoſi reſpiciendum.* (a) Hoc diuinum omnibus doctis medicis poſt reſtitutas literas celebratum. Non tamen hoc verbo morbos occultarum qualitatum, ad mentem FERNELII et SENNERTI, non morbos totius ſubſtantiae, aut ex aeris occulta qualitate natos, non fermentum, vt KERGERVS voluere, ſed quod vox ipſa oſtendit, et textus infert, Diuinum quid, et quod naturae vires legesque vel excedit, vel extra eius ordinem accidit, connotare voluere. Cui contradicere ne Galenus quidem auſus eſt, etſi pietate HIPPOCRATI multo inferior, et de ſpiritibus non ſatis bene ſentiens, ſed doctrinae eorum plane ignarus.

§. II.

Eſt autem τὸ Θεῖον, quicquid extra naturam poſitum, eam cogere eique imperare potis, morborum cauſa exiſtit. Quod, ſi verum ſignificatum ac proprium eligimus, nil niſi Diuini Numinis afflatum praeter naturae leges, veluti manu ſua aut potius voluntate iuſſuque proprio immiſſum corpori malum notat. Ethnicis tamen et latius alterum etiam multo inferius extra naturae ambitum poſitum, *Daemonum genus* complectitur: de quibus fruſtra negatur, iis in naturam eſſe poteſtatem aliquam, experientia tot ſeculorum et infinitis, cum aliorum, tum maxime medicorum exemplis id atteſtantibus. Sane qui id

(a) Verba extant *c. 1. t. 14.* ἅμα τε καὶ ει τι θεῖον ἔνεστιν ἐν τῇσι νούσοισι, καὶ τούτου τὴν πρόνοιαν ἐκμανθάνειν χρή.

id negant, vel imperiti rerum ſunt, vel pertinaces recentium quorumdam impietati proximis dogmatis inhaerent, qui nomen et laureolam ex muſteis illis opinionibus ambientes, omnia olim credita negare et ridere aſſolent; contra pugnantibus licet fortisſimis, et notitia rerum inſtructisſimis viris, longo annorum vſu praeualentibus. In quibus illuſtris eſt CONRINGIVS, ſeculi admiratio, quem nemo vel credulitatis, vel ſimplicitatis, vel imprudentiae accuſauerit, cuius in medio eſt *de Incantamentorum circa morbos efficacia diſſertatio, et Epiſtola ad* HIER. IORDANVM, vbi opus eius de Diuino in morbis ſuffragio ſuo firmat: Haec ſane res omnis, quomodo ac quibus cauſis fiat, ratione quidem iudicandum eſt, quod vero id fiat, ex hiſtoria eſt ſumendum. Quam omnem nauci habere, iniquum ſane eſt, et ſtolidum. Verisſimum nempe hic PLINII ſenioris illud: *Quemadmodum multa fieri non poſſe, priusquam facta ſunt, iudicantur, ita multa quoque, quae antiquitus facta ſunt, QVIA NOS EA NON VIDIMVS,* nec rationem aſſequimur, *ex iis eſſe, quae fieri non poterunt, iudicamus: QVAE CERTE SVMMA INSIPIENTIA EST.*

§. III.

Ne quis tamen putet, hac me ſententia aſylum ignorantiae parare indoctis quibusdam aut ſuperſtitioſis hominibus, aut occultarum artium admiratoribus, non ibo inficias, eſſe multos naturales affectus, qui prima ſpecie inperitos fallant, cum nihil minus quam τοῦ Θείου quid ſubſit, quod ipſi quoque HIPPOCRATI non fuit ignotum, apud quem *libro de flatibus* et *morbis virginum* in hyſtericis pasſionibus ex ſeminis, vt loquitur, abundantia ea occurrunt, quae daemonem penes inperitos mentiebantur: pariaque leguntur apud permultos recentiorum, et in his etiam WILLISIVM, celebrem illum Angliae doctorem. (b) Verum etiam vicisſim apud non pauciores ea etiam conſignata ſunt, quae certisſima, compertisſima, manifeſtisſima, ſuperiorem Naturae potentiam perſpicue indicantia. Vnum afferre ſufficiet, quod memoriae occurrit memorabile, ex CABROLIO. (c) *Annis abhinc decem et nouem,* ait, *cum D. D.* DORTOMANNO *et* LAVRENTIO, *Profeſſoribus Monspelienſibus Regiisque Medicis, accitus fui ad de la Tour, abſceſſu laborante, conſilioque ſimul habito, abſceſſum illum cauterio aperiri debere iudicauimus. Quod poſtquam praeſtitum fuit, in eo, (mirabile dictu) pilos, vngues, clauos, caſtaneas,*

(b) *Lib. de affect. conuulſ.* (c) Obſeru. Anat. 27.

neas, vuas, ficus, caſeum, pulmentum, mel, oſſa, aut eis ſimilia inuenimus. Imo, (quod mirum magis) animalcula quaedam illic etiam reperta ſunt. Diu ita manſit apertus, cum ampla cauitate, et trium magnorum muſculorum, nates conſtituentium, femorisque extenſioni inſeruientium, ſubſtantiae deperditione. Tandem vero Dei beneficio, et remediorum adhibitorum ope magna illa cauitas repleta, et deperdita ſubſtantia recuperata eſt, ipſeque per trium annorum ſpatium optime habuit, donec 1586. abſceſſus alius duplo maior factus eſt, prodigioſa materia refertus. Iterum accerſiti ſumus, rurſumque aperiendum eſſe cenſuimus, ſed ferro candente decuſſatim dimidium pedem lata apertio facta eſt, multaque intus adhibita cauteria, quibus vel penitisſima radix abſumeretur. Materia bis terue de die effluens, non ſicut prior, diuerſa, ſed vnius eiusdemque naturae erat, maioribus gemmis ſimillima, quarum ſingulae cyſtim ſuam posſidebant, in qua quidem quatuor vel quinque continebantur, et in earum vnaquaque rurſum aliae, donec vnaquaeque milii granum aequaret. Materiae euacuatio diutina admodum fuit, nec vnquam perſanari potuisſet absque oleo ſulpuris, vitrioli et mercurii, quorum auxilio ſanitati reſtitutus eſt. Hac in hiſtoria, quam totam exſcribere, prolixiorem licet, non piguit, multa quidem vitilitigator aliquis reperiet, vbi per ſuum *fortasſis* hodiernis philoſophis multa cauſari posſit, ſed diffido tamen omnibus, ad naturales cauſas, quocunque fuco illita, ea poſſe reducere. Eiusmodi varii generis hiſtoriae in noſtris obſeruationibus obuiae ſunt quam frequentisſimae.

§. IV.

Duorum generum vero eſſe τὸ Θεῖον exiſtimandum eſt: vnum, quod a manu Dei inmiſſum, alterum a Daemonibus, hocque rurſum vel ab ipſis citra alienam opem peragitur, vt in obſesſis, et illis morbis potisſimum, in quibus functiones ſpirituum in inmanes quosdam exceſſus extolluntur, item cum talia in abſcesſibus, ventriculo, ac carnibus reperiuntur, qualia modo enarrauimus ex CABROLIO; vel concurſu ſagarum ſtrigarumque, qualia etſi non ipſae intrudant, ſed Daemon malus occulto nobis modo, tamen iis cooperantibus, aut ſaltem annuentibus, aut eum rogantibus id ille efficit ſuis artibus, quibus per naturalia quidem, at modo prorſus ſupra naturae morem et conſuetudinem talia peragere nouit, quae ſtupenda atque admiranda nobis hominibus merito habentur. De his euolui poſſunt laudatus *Hieronymi Iordani Liber de Diuino in morbis*, CL. WEDELIVS *in Pathol.* et quae in diſſer-

diſſertatione de *Morbis Magicis* olim noſtro ſub praeſidio Collega nunc noſter, tum diſcipulus D. CHRISTOPHORVS MARTINVS BVRCHARDVS diſputauit.

§. V.

Non hic illud diſcutiendi locus eſt, quod multis offendiculo fuit: eſſe infra maieſtatis Diuinae gloriam, in opera ſua et homines, ſui imagines, tantam potentiam permittere cacodaemonis; ſed id non ſatis ſcite tamen dicitur. Non eſt enim infra dignitatem Numinis, quod ille lubens et ex arbitrio ſuo permittit, neque iniquitatis accuſandum, ſi in nos peccatores, poſtquam deſciuimus a pacto, et foederis initi immemores quotidie delinquimus grauiter, inimico, cui litamus, in nos furere, conſenſu eorum, qui noſtri generis ſunt, permittat: neque noſtrum eſt, conſilia eius, numquam non ſapientisſima, iuſtisſimaque, ſub ſuram reuocare, aut perſcrutari, quousque concedere poteſtatem in çenreos carnifici Iudex Aeternus posſit citra iniuriam, aut etiam innocentes, nobis viſos, affligere.

§. VI.

Ne autem quicquam hic omiſſum videatur, quo veritati ſuum conſtet decus, etiam ſigna, quibus το Θειον απο τȣ δαιμονιακȣ diſcernatur, hic ſtatim ſubiungam. Sunt autem: quod Deus morbos non incognitos, aut vltra naturae vires ſaeuos nobis inponat, ſed naturali modo, at grauioribus ſymptomatis, et inuſitata celeritate decurrentibus ad finem, vtatur, vel etiam remediorum virtutes ſuſpendat, aut medicum coecutire faciat, nec dirigat ad finem operas eius, aut ea interuenire faciat, quae euentum bonum protrahant, donec occaſio agendi elabatur. Cum enim ſic Naturae Dominus ac Parens id operam dat, vt vbi ipſi ſuum conſtet honos, nec detrimentum patiantur rerum naturalium leges atque ordo a ſe conditus: aut ſi, vt dixi, ſuſpendantur virtutes agentium, citra vllum ſtrepitum, tumultum, aut violentiam extantiorem id faciat, niſi cum tormenta in exemplum immittat inpiis quietis publicae perturbatoribus atque tyrannis.

§. VII.

Longe ſecus vero agit Daemon: Vnde is facilius multo, et ſignis variis manifeſtioribus deprehenditur. Vt quando nulla prorſus agens inter et patiens eſt proportio, quando ad aliquid producendum adhi-

bita ſunt ignota, falſa, abſurda, impia, nomina malorum et ignotorum angelorum, ritus, eaque ſuperflua et nullius ad id, quod factum, momenti, aut ſuperſtitioſa, nulla ratione inuicem aut cum effectu cohaerentia; ſed nulla naturae vis etiam perſpicacisſimis et ab ingenio pariter ac longisſimo rerum humanarum vſu inſtructisſimis medicis reperiri poteſt. Item ſi ingentes ſine fine cruciatus adſint, ſi praeter naturae et morborum conſuetum ordinem ſymptomata incedant, aut ſubinde recurrant eadem, et praeter rationem: etſi remedia, comprobata experientia et ratione, nihil iuuamenti afferant. Tum vero magicum eſſe morbum, et ſuperare naturae vires, recte iudicatur. Verum haec ad ſignorum doctrinam pertinebant. Legi meretur hic prae ceteris HIERONIMVS IORDANVS, ante a nobis laudatus, et, qui eum praecesſit, BAPTISTA CODRONCHIVS, *de Veneficiis et morbis Veneficis.*

CAP. VIII.

APPLICATIONEM HARVM CAVSARVM AD SINGVLA MORBORVM GENERA EXHIBENS.

ET I. DE MORBORVM CAVSIS QVAE AD INTEMPERIEM REFERVNTVR.

§. I.

Nihil ſupereſt cauſarum, quod in morbis occurrat. Quae enim vulgo hic de ſingulis cauſarum ad morborum genera applicandis tradi ſolent, fere posſunt omitti, cum partim iam dicta ſint, partim in doctrina de morbis ſingulis denuo occurrant: multa etiam obſoleta ſint, et in emendata ad nouae philoſophiae normam medicina non amplius habeant locum, niſi obtorto collo huc tracta. Qualia ſunt pleraque, quae de cauſis morborum intemperiei praedicantur. Itaque ea tantum illuſtrabimus, quae retineri quidem, ſed explicata demum posſunt admitti, relictis illis, quae iam inclinata ſunt, aut plus difficultatis parant ingeniis, quam commodi vel adiumenti.

§. II.

Primo loco occurrunt cauſae morborum *intemperiei*, quarum nos duplicem claſſem conſtituimus, 1) ex materia, 2) ex defectu materiae.

riae. Ex materia oriunda prima eſt intemperies *Calida*, cuius principium eſt igniculus naturalis in ſanguine. Quicquid ergo hunc quocunque modo vel augere, vel excitare poteſt, vt vltra modum ſe efferat, cauſa erit huius intemperiei. Auget omne id, quod pingues in ſanguine partes auget, eſt enim pingue proxima eius materia. Diſponunt ergo ad morbos calidos tanquam προηγουμέναι *Alimenta* praeſtantisſima quaeuis, e quibus optimus chylus, et hinc optimus, hoc eſt; huic conſeruando maxime idoneus ſanguis fit, et pinguisſimus: ex quo in exceſſum facilis tranſitus eſt. Veruntamen, niſi accedat προκαταρκτικη, non facile in accenſionem vsque exardeſcit. Quod facilius contingere poteſt, ſi liberaliori calido potu ſe quis largius inuitat: eſt enim in eo, quod ſpiritui vini proximum, flammam in humido quoque, vt ille concipit. Alia cauſa procatarctica ad hoc eſt *Motus* non tam externus, quo incaleſcit quidem plurimum, ſed facile, motu ceſſante, remittit, et redit ad priſtinam tranquillitatem, quam inteſtinus. Fieri enim videtur omnis caloris in ſanguine exceſſus a cordis motu, idque proxime, quo ſenſim reducto ad frugem, reducitur et calor, quod, ſi externus calor in cauſa eſt, vel ſimplex motus, fit facile: de inteſtino autem alia res eſt, is enim, vbi, conturbatis inter ſe particulis, incipit, ſpiritus animales protenus afficit et perturbat, qui hinc fibras cordis muſculares acrius irritant, vnde illud continuo pulſare incipit fortius ſolito, indeque febris accenditur, nec, cum perpetua illa irritatio fiat, remittere poteſt, donec particulae tales in cerebrum influant. Hae cauſae ſunt intemperiei calidae vniuerſalis.

§. III.

Alia vero prorſus eſt conditio et cauſa *intemperiei calidae in parte* quadam exorta, quam particularem vocamus, vt in eryſipelate, inflammatione vulneris, tumore calido, fracturis, vbi in cauſa eſt ſola ſubſiſtentia ſanguinis ex obſtructione, vel alia, ſimili remora; de qua pluribus infra diſceptabitur. Habet enim hoc igniculo ſuo inſtructus ſanguis, vt quauis occaſione ſubſiſtens, dum ſubſequens iugi cordis motu perpetuo in hunc incurrat, exardeat ſponte, citatiori horum motu, vt ignis culinaris, qui ventilabro pellitur, in prolixam flammam citisſime exſurgit, rapiatque ſubſequentem in ſimile incendium, ex quo ſaepe tota ſanguinis maſſa exardet.

§. IV.

Haec mihi videntur ſufficere, vt cauſae intemperiei calidae tanquam in compendio animo comprehendi poſſint. Veterum doctrina multo erat prolixior et intricatior, quae tamen facile omnis ad hunc reduci poteſt. Cauſae intemperiei calidae enim quinque ex Galeno obtrudebantur: 1) *Motus*, 2) *putredo*, 3) calidum externum, ſeu *vicinia rei calidae*, 4) *Conſtipatio pororum*, et 5) *aſſumta intus calida*. De *motu* vero multo obſcurius exponebant, quam nos fecimus. *Putredini*, ſi veram intelligas, nullus in corpore locus eſt, aut ſi viſcera quaedam computreſcant, non tam morbus, quam periculum vitae inde metuendum eſt. Si vero inchoatam putredinem, hoc eſt fermentationem, ita vocant, ad inteſtinum motum id pertinet. De *externo calido* dictum eſt prius. *Calida aſſumta* ad alimenta pertinent et diaetam, *Conſtipatio* autem, quoniam ex ea retinentur intus impurae exhalationes, quae SANCTORII experimento ſatis largiter euaporare debebant, ad inteſtini motus cauſas procatarcticas plerumque pertinent, nec calidos modo, ſed et contagioſos morbos parere poſſunt: Etenim obſtructio gemina occurrit, primum in poris vniuerſi corporis, quae proprie conſtipatio appellari poteſt; haec intemperiem calidam vniuerſalem infert, et febrium maxime origo eſt: altera iſta eſt, de qua §. III. ſumus locuti. Lubet illam tanquam praecipuam paulo vberius declarare. Inteſtinum itaque ſanguinis motum producit ſanguinis impuritas et inquinatio, vbi bilioſarum, hoc eſt ignearum vel vere, vel proxime talium copia ſimul abundat. Suſcipit tum, procatarctica accedente, inteſtinum hunc motum, a proprio calore impulſus ille, et iis incluſus igniculus, quem motum fermentationem febrilem appellamus: Tum vero in vitali hoc liquore, orto tumultu, ita omnia permiſcentur, vt non minori, quam in vino nouo ad feces ſeparandas, agitatione interna opus ſit, qui ad depurationem tendit: vbi exardeſcit calor, partim cordis velociori impulſu, partim inteſtino particularum in ſe incurſu, donec ex agitatione attenuatae et expeditae particulae alienae a ceterarum natura, partim tenuiores ſudore aut transſpiratione e poris excedant, partim craſſiores per renes cum vrina elabantur, puriorem et ſincerum ſanguinem ſibi relinquentes. Hoc fit modo ſucceſſiue, vt in noſtris potiſſimum regionibus, modo confertim et cum inpetu, vt in calidioribus, quod tum Criſis appellatur, de qua alibi. Ceterum miaſmata illa, quibus ſanguis inficitur, modo in eo generari ſenſim, ex

cibis

cibis prauis potuque inpuri liquoris; modo ex aëre hauriri, vt in epidemiis; modo ex contagio illi inhaerere; modo in ipſo corpore retenta admiſceri ſanguini, vt in lochiis, non ritę fluentibus, quotidianis exemplis diſcimus.

§. V.

Altera, quae ex materia eſt, *intemperies humida* eſt. Huius cauſas dum memorant doctores noſtri, plerumque non morbos, ſed temperiei, quae non laedit actiones, et crasſitudinis corporis tradunt: a quo vitio non immunis eſt ipſe eorum pater GALENVS.(b) Neque vero alia illius vera exempla ſunt, quam hydrops, nec ipſe tamen ſatis idoneus, qui huc referatur: illius autem cauſae, vt huic propriae, alibi demonſtrantur. Si tamen et catarrhos, et rheumatismum huc reuocare lubeat, omnia, quae ſerum fundunt, et maxime frigus, cauſas augebunt, vti et ex aetatibus ſenectus.

§. VI.

Morbi intemperiei frigidae, quae prima eſt eius, quae eſt ex defectu materiae a temperie ſanguinis frigida ſegregari et diſcerni merentur. Qui in ſola intemperie frigida conſtituantur, vt in calida febres, morbi, nulli ſunt. Quin imo frigida intemperies actu talis, vniuerſalis quidem in corpore non exiſtit, appellatur vero caloris natiui vltra mediocritatem defectus, quae tamen nec morbus eſt, nec vllos morbos infert, ſed multis aliis conſtituendis tantum fauet, vt προηγουμενη: At particularis exemplum habemus in ventriculo, quae coctionem turbat. Indicio eſt, quod externis calidis actu, et internis poteſtate talibus manifeſto iuuetur in iis, qui hinc ſtomacho laborant. Cauſae huius ſunt, quaecunque igniculum in ſanguine extinguunt, aut premunt, qualia ſunt frigida externa cuncta, contra quae veſtimentis munimur, vt animalia cetera pelle aut plumis. Aqua ergo et aër hic memoranda, deinde aquoſa, tum extus applicata, tum intus adſumta. Aliqui et acida addunt: verum haec ſaltim figunt, hoc eſt, peruertunt nimis tenuia, ac iis ſe adiungendo, craſſamentum et pondus iis conciliant. Qui ergo his nimis dediti frigidam intemperiem ſibi conciliant, frangendo inpetum, ſi non calida laborent, ſi vero laborent, temperatam. Ignem naturalem etiam minuunt paſtus parcior, inedia et potus aqueus, euacuatio nimia ſanguinis, crebra ſudatio,

(b) *De cauſ. morb. c. 5.*

tio, fluxus alui vehemens, et febres diuturni: vt enim ligna, ſic et pingues particulae ſanguinis igne frequenti conſumuntur, et deficiunt tandem, nec facile reſtituuntur.

§. VII.

Siccae intemperiei morborum vero praecipua omnium cauſa calor eſt, ſiue expellat humidum, vbi et externus accuſandus, qui ſudores euocat, ſiue torreat, vt hecticus, ſiue omnem appetitum, ventriculi fermentum diſſipando, proſternat, adeoque et potus, vt in febribus nonnunquam ſolet. Verum et hic cauendum eſt, ne intemperies ipſa, non laedens functiones, pro morbis accipiatur, morbi enim perpauci ſunt. At temperamento nimis ſicco integras nationes conſtat eſſe praeditas. Quotquot ſcilicet ſole propriore vtuntur, quorumque capitibus radiis breuioribus imminet: Italos et Hiſpanos ex Europaeis ſpectemus! vbi vix vllus homo craſſiore corpore praeditus obuius eſt: cum verſus ſeptentionem, et per Germaniam ſint permulti. Qui tamen humidi temperamenti quidem recte, at intemperiei morboſae non ſatis bene dicuntur. Altera ſiccae intemperiei cauſa eſt euacuatio nimia. Tertia aromatum et reliquorum calidorum nimius vſus: verum et iſta morbum non inferunt, qui huc referri poſſit.

§. VIII.

Hic explicanda venit veterum de caufis morborum intemperiei cum materia, doctrina. Illi enim quandam intemperiem ſine materia, aliam cum materia eſſe arbitrabantur. Sine materia vocabant, quae in ſola qualitate conſiſtebat; cum materia, quando ſimul affluebat, vel bilis, vel pituita, vel ſimile quid, ex qua tumor aliquis oriebatur: vt inflammationes, eryſipelas, oedema, elephantiaſis, ſcabies. Haec autem doctrina, vt reliqua dogmata tantum non omnia medicinae veteris, ex GALENI fontibus fluxere, cuius haec propria ſunt verba, (c) exempla ſanguinis in inflammatione, bilis in eryſipelate, phlegmatis in oedemate, et in ceteris melancholiae, ex ipſius principiis afferentis. Et hactenus quidem tolerari, et, explicatione addita, admitti potuiſſet, ſi de quatuor illis humoribus certo conſtitiſſet. Verum cum neque vlla qualitas eſſe queat ſine ſubſtantia, neque iſta ſatis firma ſit, vel hoc vno concidit haec aſſerio. Factum autem eſt huic poſtea

(c) De diff. morb. cap. 5.

poſtea doctrinae, quod ARISTOTELICAE Philoſophiae a Scholaſticis, qui eam ſubtilius excolendo corrupere. Sic enim et medici ea hic addidere, vt clariorem redderent hanc, quae nouis difficultatibus eam inuoluerunt. Hanc nempe materiam vel colligi ſenſim in aliqua parte, quod συναθροισμον vocabant, vel confertim et cum impetu, ἀθρόως καὶ βιαίως, (quaſi αθροως et per συναθροισμον non idem eſſet.) Hoc autem fieri, vel per ῥεοματισμον, vel ἐπιχεσιν. Ρεοματισμον porro, ſeu influxum fieri vel a toto corpore, vel ab alia aliqua parte, quam hinc eſſe dicebant Mandantem, partem, in qua conſidebat, recipientem; idque fieri vel per ὤσιν, pulſionem, vel per ἕλξιν, tractionem: pelli a parte mandante, trahi a recipiente, prout prolixe haec doctrina traditur a ROLFINKIO *in Meth. Med. ſpeciali*, et prolixius a WEDELIO *in Pathologia.*

§. IX.

Hanc autem doctrinam omnem taedioſam in ſe, inutilem prope et vanam reddidit inuentus ſanguinis circuitus: Qui enim vel attractio vel pulſio amplius locum habeat, cum omnia ſolo corde impellantur? aut dogma de parte mandante amplius ſubſiſtat? Nimirum propter impeditum humorum tranſitum omnia ſubſiſtere, clariſſimum eſt. Neque multae adeo vtilitatis eſt obſeruare, vtrum cum impetu, an ſenſim lenteque facta ſit quaedam collectio: niſi quod hoc frigidis et ex ſeroſa colluuie ortis tumoribus fere conueniat, vt in hydrope patet; illud calidis, et quando ex ſanguinea maſſa vniuerſa aliquid in locum certum amandatur: vt peſtilens venenum in carbunculos aut bubonem aliquem, et in criſi inperfecta per metaſtaſin tranſponitur in aliquam partem mali materia. Sic etiam poteſt contingere, vt ex vna in alteram transmittatur: a cerebro in pectus, ex pectore in renes et veſicam, aut ex oculis in aures, aut nares, et ſic in reliquis. At illa pars ipſa mandans dici non niſi inproprie poteſt, cum carens intellectu et voluntate mittere in aliam, quod moleſtat, non poſſit. Facit autem id robur naturae, qua reſorbet in venas, quod ſubſiſtit, et alibi ſiſtit minori cum periculo. Quod fieri ita videtur, partim quod in viſceribus fortior ſit pulſandi vis, et calor, omnia aperta tenens et perflua, magisque vigeat, partim quod apertiores excretoriae viae, facilius craſſiorem materiam admittant. Neque mirum videri debet, ſi defluxiones aut dolores in partem aliquam, aeris iniuria aut alia ratione inſigniter laeſam, frequen-

frequentius incumbant. Talis enim, morbis debilitata, fluxionibus, aliſque incommodis frequentius obnoxia eſt, partim, quod tranſitus ſanguinis non ea conceditur facilitate, qua alibi ſolet, propter tonum corruptum, vel peruerſum fibrarum ordinem, et turbatas vias, partim naturae conſuetudine, de qua libro de Natura perhibuimus.

§. X.

Quibus poſitis, quo pacto interpretandum ſit, cum veteres dicunt *calorem et dolorem attrahere* etiam intelligi iam poteſt. Nam collectionis et coaceruationis cauſam attractionem eſſe credidere, cum potius, conuerſo ordine, *ϛασις remoratio* ſit cauſa doloris et caloris. Vbi enim calor eſt, ibi et obſtructio, vbi obſtructio, ibi collectio. Calor enim naturalis a motu circa locum, vbi remoratur ſanguis, maiore et celeriore augetur. Vrgetur enim a ſubſequente ſanguine, vt ſupra docuimus, et dum non poteſt per tubulos elabi, turbatio fit, vnde incaleſcit pars, et cum magis magisque ille cumuletur, putatur attrahi, quod a corde inpulſum ſponte influit. Res ergo ipſa certa eſt, at mutandus et emendandus eſt proloquendi et explicandi modus. Idem de dolore exiſtimandum: nam vbi dolor, ibi haeret aliquid, quod dolorem facit. Itaque et ibi *ϛασις* et transmeatus vtcunque inpeditus eſt: ſtagnat ergo ſanguis, non quod attrahatur, ſed quod affluat inpulſus a corde. *Vide* WEDELIVM (d) Hinc etiam in locis, dolore afflictis, pulſatio eſt, non quod alibi ſanguis non pulſet, ſed quod hic inpletis omnibus magis quam alibi, pulſus ſentiatur.

§. XI.

Porro cum febres aliae benignae ſint, aliae malignae; febres autem ad intemperies referantur, etiam malignae intemperiei hic mentionem nonnulli faciunt: cuius rei non ſatis cauſae habere mihi videntur. Quod enim febribus, et aliis calidis morbis malignitas adhaeret, fit ex accidente, non per ſe, itaque de ea re antea ſuo loco actum eſt, (e) vbi oſtendimus, cauſam eius eſſe peculiarem quandam ſanguinis corruptionem, quae motus inteſtini et externi rationem conturbet, et niſi obſiſtat vel natura, vel medicus, *κρασιν* eius cito peſſundet atque euertat, eo fere modo, quo nonnulla venena ſolent. Non tamen hic penitus ſilentio praetermitti debet haec doctrina, etſi non vero titulo inſignita.

(d) Pathol. p. 343. 44. (e) Sect. I. cap. de Accid. Morb. diff.

ſignita. Supereſt enim omnino alia adhuc intemperies quaedam, etſi non talis, quae ex quatuor qualitatibus, exceſſu peccantibus, conſtituatur, ſed particularum ſanguini innatantium temperatura corrupta definienda, qua tota miſtura eius et κρασις peruertitur: Illaque ipſa eſt, quam malignam intemperiem vocant, quae omnium partium actiones conturbat, et talem ſanguini inducit conturbationem, vt ſpiritus animales in cerebro ſeparari amplius nequeant, adeoque homini ex defectu virium pereundum ſit. Eius conſtitutionis deprauatae luculentisſima exempla in venenis ſunt: deinde in peſte, et malignis morbis, et hi ſunt, quos morbos totius ſubſtantiae, *Galenum* ſecuti, appellare ſolent: intelligendo totam ſubſtantiam ſanguinis. Agemus ergo hic de cauſis morborum iſtorum totius ſubſtantiae, et primo quidem de Venenis: deinde etiam quaeſtionem agitabimus, an venenati quid etiam ſponte in corpore, vel ex alimenti particulis prauis, vel ex iis, quae aeri innatantes cum eo ſubeunt corpus, naſci queat: quam ſoluturi, prius vtique oſtendendum eſt, quid ſit venenum.

§. XII.

Verum hoc in vniuerſum dicere, difficile eſt: ſunt enim venena non vnius generis, adeoque vna voce etiam, et iuſta definitione commode comprehendi non poſſunt. Medicis conſiderantur, vt opponuntur ex altera parte *Alimentis, quae corpus nutriunt*, ex altera *Medicamentis, quae illud alterant*, tertioque loco ſunt, *illudque corrumpunt.* Addi poſſet: idque cito, ſed inuenit hodie malitia hominum artes, quibus ita temperari poſſint quaedam, vt per menſes, imo annos extrahant operationem, antequam plane perimant. Vulgo ex Chemicorum loquendi modo tria genera venenorum faciunt: 1) Alcalia, vt animalium pleraque, 2) Acida, vt ☿ ♎ti, 3) Sulphurea, vt omne genus Arſenici. Sed haec non ſatis accurata ſunt. Alcalia enim animalia non recte dicuntur, quoniam neque in animali alcali actu vllum eſt, neque vllum etiam venenata vi pollet, ſed in eo tantum cum venenis quodammodo conueniunt, quod ſanguinem reſoluant, et attenuent. At veneni longe alia et maior vis eſt, quam alcalium. Nec aciditas ſola in ☿ ♎ venenum conſtituit: neque enim vel nitri vel vitrioli ſpiritus extra hanc compoſitionem hunc effectum producit, in tam exigua praeſertim doſi, et cum hydrargyrum per ſe ſolum hoc itidem nequeat efficere, relinquitur, vt ex ambobus tertium et nouum quid exſurgat,

 dum

dum accedat flammae multo maior acerbitas, et hinc illa fiat tam horrenda corrodendi efficacia. Vnde recte dicitur, tota ſubſtantia haec agere. Neque, quod tertium erat, ex eo venenata ſunt Arſenica, quia ſulpuris naturam prae ſe ferunt, dum igne flagrant, nam id non faciunt omnia, ipſumque album, quod fortisſimum eſt, flammam non concipit; ſed potius acrimonia occulta, eaque ſumma, qua omnia rodendo pertundant, atque inflammant.

§. XIII.

Vt ergo tentemus quaedam rectius iſtis, alia facie exhibebimus venenorum hiſtoriam, idque rurſum in tabula, vt vno intuitu perſpiciantur, cum prolixe id facere, huic noſtro ſcopo non ſit conueniens.

Venena conſiderari poſſunt, vel in ordine ad res, earumque claſſes ex quibus depromuntur.

I. In ordine ad effectum, ſeu agendi rationem ſunt:

1. Corroſiua, vt Arſenicum, Mercurius ſublimatus, praecipitatus, aliaque acria.
2. Soporifera et Narcotica, vt Opium, Stramonea, Mandragora, et Solana quaedam.
3. Indurantia et obſtruentia, vt gypſum.

II. In ordine ad claſſes rerum, ex quibus depromuntur, ſunt vel

1. Vegetabilia, ſiue ex plantis, qualia in ſucco eorum inhaerent maxime.
2. Animalia, a feris dimiſſa, ſiue iam ſit ſaliua eorum vt RHEDVS vult, ſiue ad gingiuas in veſiculis ſeruatus liquor, vt CHARAS.
3. Metallica, quae agunt particulis ſolidis.

§. XIV.

Acria et corroſiua ad ſalia volatilia et acida a Chemicis referri ſolere, notum eſt, et ſupra a nobis monitum: quod tametſi concedendum illis non eſt, ſpiculis tamen, particularumque aculeatarum figura, atque acie agere, quae pungunt, fodiunt, lancinant, inflammant, veroſimile, et demonſtrationi proximum habendum; quod ſimilitudine

dine cultrorum, acuum, aliorumque ex groſſiori mechanica petitis exemplis colligere licet: quo conſtituto, quo modo peragantur reliqui et in aperto conſtituti effectus, facile intelligi poteſt, quorum praecipui ſunt Inflammatio, eiusque pediſequs, rubor, et dolores lancinantes; hinc irritatis etiam neruoſis viſcerum fibris, ſingultus, vomitus, febrilis calor, conuulſiui motus et ſuccusſiones, diarrhoeae ſeroſae, et dyſenteriae ſanguinolentae oriuntur, ſubſequente inteſtinorum tumore, et exulceratione denique; hinc extinctio caloris, et ſpirituum lethalis. Haec enim ſymptomata Arſenica et Mercurius cum acidis combinatus ſolent inducere. Haec eadem quoque a Tithymalis, aliisque hypercatharſin inducentibus nimia quantitate aſſumtis vegetantibus producuntur. Huc pertinet etiam calx viua acrimonia ſua, quae ab igneis particulis inhaerentibus illi reliqua eſt, inteſtina corrodens, et inflammans.

§. XV.

Soporifera et Narcotica, plantarum maxime progenies, (nam de ſulphure narcotico Vitrioli nondum ſatis conſtat) et ſi in morbis non paucis inſignem vſum praeſtent, nimia tamen copia mortem inferre, in confeſſo eſt; non autem omnia agunt eodem modo. Nonnulli ſoporem, ſtuporemque, denique veternum ſpiritibus animalibus conciliant, quod fieri deleteria quadam, hoc eſt tali vi, qua obruuntur, motus eorum prorſus ſiſtitur, tandemque penitus delentur, deſtruunturque, dubitari non poteſt. Quod faciunt prae ceteris papaueracea, eorumque ſuccus praecipuus *Opium*; vti et Solanum ſomniferum, et *Lolium*, forte etiam Cannabis. De Lolio certe teſtatur LINDERVS, Warnlandia-Suecus (f) ſe exempla complura in plebe patria conſpexiſſe eorum, qui vel comederint panes, quibus illud permixtum fuerit, vel biberint potum inde factum, vertigine laboraſſe, et quaſi ebrios, ſomno profundi oppreſſos occubuiſſe. Huc referendum aliud genus, quod non ſopore, ſed contra, furore et delirio introducto, perimit, qui comederint, vt *ſolanum maniacum*, et *Cicuta*: de quibus mox iterum dicemus.

§. XVI.

Indurantia et obſtruentia reſtant; quae ea ſunt, quorum conſtrictione et terrea ſtipticaue vi vaſorum ac meatuum tubulatae viae obſidentur, ſtringunturue, vt et hae occludantur penitus, et viſcera ipſa

(f) *Exerc. de venenis*, p. 123.

ipſa ac veſiculae pulmonum lapideam duritiem induant. Talia ſunt plumbea omnia, *ceruſſa*, *minium*, *lithargyrium*, quae pondere inſuper ſui ventriculum premunt, pallorem inducunt faciei, reſpirandi difficultatem et ſuffocationem cauſantur. Vnde et figuli, qui lithargyrio, minio, plumbagine terrea vaſa incruſtant, pallentes, et anheloſi tandem omnes redduntur: de quo Cl. RAMAZZINI monuit. (g) Idem calx ipſa, iam aqua reſtincta, non deglutita ſolum, ſed et odore in loco concluſo aërem corrumpens, operatur, quo non pauci ſubito vna nocte extincti leguntur. Gypſum quoque, quod a calce parum differt, lapideam duritiem in corpore induit, parieteſque vaſorum obducit.

§. XVII.

Haec genera venenorum: quae nunc eadem, per claſſes rerum euntes, repetamus.

I. Vegetabile venenum eſt vel

1. Acre et rodens, vt *Napellus* eſſe dicitur, item *Tithymala*, et *Mezereum*, *Colchicum*, *Ari ſemen* et *radix*, *Cyclaminisque ſuccus*, et ſi quae ſunt alia eiusmodi.
2. Narcoticum, vt *opium*, *papaueraceaque* fortiora, *ſolanum ſomniferum*, multaque alia.
3. In delirium et amentiam adigens, vt *cicuta*, *ſolanum maniacum*, *ranunculus apii folio*, herba ſardonica dictus.
4. Suffocans, vt *boleti et fungi pernitioſi*, quos Cl. CLASIVS enarrat. Rubri praeſertim lacteſcentes, maculoſi et muſcarii, ſpasmos etiam, vrinaeque hinc retentionem, et anxietates cordis producentes.
5. Sunt etiam peregrina quaedam, vt *Iucca glorioſa*, vnde tamen, decocta radice eius, et ablata malignitate, panem conficere Americani dicuntur: et arbor illa Indica in Moluccis, quem ſauciare niſi e longinquo non audent incolae, quod eo facto, protenus concidunt.

II. Animale venenum eſt vel

1. Reſolutiuum, vt eſſe videtur *Viperae aranearum* quorundam,

(g) *De morb. artificum.*

dam, e quorum deglutitione LINDERVS (h) ſe vidiſſe teſtatur intumeſcentiam, crepaturam minantem.

2. Vel coagulatiuum, vt aliorum quorundam ſerpentum genera, vel

3. Peculiari proprietate, vt *Tarantula*, *Canis* aut *Lupi rabidi* morſus.

III. Foſſilium et metallicorum, quod

1. vel diaereticum, vt *arſenicum*, externe applicatum, quod carnes et cutim horrendum in modum exedit, et corroſiuum, vt idem interne ſumtum, et ☿♎9, vel

2. ſuffocans, obſtruens, et lapidea duritie omnia inducens.

Et haec de venenis etiam ſufficiant, quae hoc pacto ad occultas qualitates, et tota ſubſtantia agentia referre, non amplius opus erit.

§. XVIII.

Venenorum diuerſa natura cognita, an in corpore quoque venenum generari poſſit, aeſtimari poteſt: Nimirum iſtorum, quos deſcripſimus, omnium ſimile quid in nobis nullum vnquam oritur. Vt enim ſingulis, vel plantis, vel animalibus ſuum eſt, a reliquis cunctis diuerſum, ita et homini ſuum foret, ſi eſſet venenatus aliqua parte. Nunc quia non eſt, morbi contagioſi et maligni ex corruptione humorum fieri poſſunt, venena non poſſunt. Neque enim ex eo ſolo meretur veneni nomen, quod celeriter, et intra dies paucos mortem adſciſcit, cum hoc vnum non inpleat eius naturam. Cum autem de nominibus diſputare, indignum philoſopho habeatur, nihil obſtabit, venenum appellare eiusmodi particulas pernicioſas, quae in ſummam corruptionem iuere, quamuis ſumme malignas appellaſſe ſufficiat. Id ſaltim tenendum eſt, mirum quantum hallucinari, qui aliis ſimile hoc venenum praedicare ſolent, et aliud Napellinum, aliud Realgar, aliud alio nomine nuncupare ſolent: quales ſunt, qui ſcabie Paracelſica infecti tam ſcabioſe loqui adſueſcunt. Cum enim, in quo illorum vis ſit poſita, ne quidem ſatis perſpici poſſit, qui audent ſimile in homine quaerere, qui toto genere et natura diuerſus ab his eſt, vt ne quidem per corruptionem in ſimile humores noſtri permutari queant.

CAP. IX.

(h) *Exerc. de Venen.* p. 51.

CAP. IX.

DE CAVSIS MORBORVM CONFORMATIONIS.

§. I.

Hos ſcopulos praeteruecti, intemperiei, malignisque aſpectibus venenorum relictis, tandem etiam ad organicorum morborum, partiumque propria vitia deflectamus ſermonem, et ex ſuis claſſibus cauſas, his occaſionem praebentibus, depromamus. Quorum cum alios conformationis et figurae, alios numeri ratione euenire dictum ſit, illos primo loco producemus. *Magnitudinis* auctae praecipuus affectus *Tumor* eſt. Tumet autem aliquid, quia quid ſubeſt. Subſunt autem vel *humor*, vt *ſanguis* in contuſione, *ſerum* in hydrope, vel *flatus*, vt in tympanitide, vel *pus*, vt in abſceſſu, vel *ſolidum* quid; idque vel *naturale*, totoque genere ſecundum naturam, vt *Os*, ſi aliquod caput ex acetabulo elabitur, *inteſtinae*, in Hernia, vel *praeternaturale*, vt *excresſcentia osſis*; vel *toto genere praeter naturam*, vt calculus, *pultacea materia*, mollior, ſeu melli aemula, vel pulti, vel durior, et glanduloſa, in *ſteatomate*, *atheromate*, *meliceride*; vel denique *ſupernaturale*, vt ſunt artefacta, ligna, acus, globi, ferramenta.

Imminutae vero magnitudinis cauſa ſunt: ſi a pueritia nutrimento pars quaedam priuata fuit: vel eo ſubtracto, vel compresſis vaſis, neruisque, vnde nutritio, non affluente materia, ſuſpenditur. Cuius rei ſinenſes puellae exemplo ſunt, quibus ſtrictura pedes tam redduntur exiles, vt vix progredi liceat. Ex compresſione vero partis cuiusdam arida membra etiam in virili et conſiſtente aetate redduntur, (noſtro idiomate *das Schwinden.*) Idem vero ex amisſione particulae contingit, quocunque infortunio ablatae, vt a vulneribus ſclopetarum, quam ſimul deformitas conſequitur. Hae *quantitatis continuae* vitiorum cauſae. *Diſcretae*, hoc eſt numeri, ſi excedat abundantia materia, dum formabatur embryo: ſaepe tamen et caſu, aut ex imaginatione matris conduplicantur membra, aut duorum ouulorum connexu, vt in monſtris. E contrariis *Defectus* oritur, aut poſt partum integra pars amittitur. Quae manifeſta ſunt. Haec morborum in *quantitate* cauſae accidunt: nunc *Qualitatis* contemplemur.

§. II.

§. II.

Figura vel a *naturalibus* cauſis corrumpitur, idque a *natiuitate*, vt ſi quis claudus, valgus, varus, curuus ex vtero prodiit, vel poſt eam redditur talis *caſu fortuito*. In vtero vnde id accidat, non pertinet ad medicum inquirere: ſaepe vero non latet matres: vt quando grauidae ex percusſione, lapſu, aut contorſione violenta corporis laeduntur, aut truculenti quid vident ac torui, cuius imaginem foetui inprimunt. Poſt natiuitatem obſtetricum culpa multa accidunt, quae vel imperitae ex anguſto vteri orificio foetum inprudentius rapiunt, vel contorquendo membra tenerrima flectunt in transuerſum. Noui, cuius culpa omnes, quos producebat, foetus nares ſimas ac depreſſas nanciſcebantur, quia caput arripiens, pollicem ad radices narium fulciebat. Inſulani Americae, potisſimum Bermudani, omnes plana facie ſunt, quam manibus talem formant; et Calmuki deformes, vt olim Scythae μακροκέφαλοι, de quibus HIPPOCRATES. (a) Poſt natales etiam alia nutricum negligentia committuntur haud leuia peccata: vt ſi mollia infantum et ſemicartilaginea oſſa durius tractant, inepte faſciis inuoluunt, in ſolum decidere aut inpingere ſinunt imprudentius, intempeſtiue inuitant ad greſſum, vt vatii, vari, valgi alioque modo cruribus intortis procedant. Quo pertinet, (quod monendum mihi hic eſt) quod inter faſciandum pedes ita ſibi applicant, vt cum tibiis angulum rectum efficiant, turpi figura, et ad elegantiam greſſus, ſaltationesque inepti plerumque reddantur, vt anſeres, aut ruſticae noſtrae puellae incedentes. Vide plura apud WEDELIVM. (b) Porro pueritiam egresſi, plurimis iniuriis aliis patent; Intorſionibus, vulneribus, luxationibus, quo omnia enarrare vix poſſunt.

§. III.

De internorum, viſcerumque figurae vitiatae cauſis id vnum occurrit, quod moneam, hanc non facile actiones laedere: perinde ergo eſſe, qualis fuerit. *Cauorum* etiam magnitudo potius, quam figura laborat. *Ampla* tamen non obſunt vſui, ac diſtenſione maxime talia redduntur. Vnde potatores laxum amplumque ventriculum nanciſcuntur: at ſi nimium diſtendant, laxatis fibris, inbecillem. *Anguſta* vero nimis

(a) *Lib. de aëre, aquis et locis.* (b) Pathol. p. 360.

nimis vel a natura ſunt, vt ſaepe valuula, quae colo proeſt, aut recti initium. Collabuntur vero et arctiora fiunt, ſi nullus iis eſt vſus. Vnde inedia et abſtinentia diuturna fractis cauendum eſt ſedulo, ne nimia cibi copia ea confertim obruant. Vidi hic loci, cui ventriculus a ſcirrho ingenti ita anguſtatus erat, vt, cum is, quoniam inueteratus, ſanari non poterat, tandem interiret fame, reiectis omnibus, quae erant aſſumta.

§. IV.

Meatuum morbi obſcurius tradi ſolent, quam par eſt. Hinc nos ſupra eosdem paulo aliter expoſuimus, maxime exceſſu, quod dicunt, delinquentium, eliminata ἀναστομώσει et διαπηδήσει, ſolamque διαίρεσιν ſeruauimus. Hanc autem ruptura quidem vix alibi fieri, quam vbi tenuisſima ſunt vaſa, perſpicuum eſt, et quidem in ſolis arteriis, cum in cono, ex anguſto in latum deſinente, id fieri non posſit; talis autem ſit vena. Verum hic admonendi tamen ſunt diſcentes, circa capillaria minimaque vaſcula non multum vel ab inuicem differre vtrumque vaſorum genus, vel etiam conoidem illam figuram in cilindricam mutari: itaque hic etiam diaereſis in venis concedenda erit. Ceterum Diaereſis variis modis cauſisque poteſt contingere: 1) A cauſa diſtendente, quae hic neceſſum eſt, ſit continens; adeoque ipſe ſanguis. Si igitur vaſa quaedam vehementer obſtructa aut compreſſa ſint, vt circuitus eius inpediatur, tum vel media etiam rumpi poteſt arteria: quod tamen itidem non facile contingit, niſi compreſſus ſit paulo maior reducentis venae ramus, tot oſculis vnius vaſis in alios eiusdem ramos apertis, et ſtagnante alicubi ſanguine, reliquo per laterales dimiſſo in alios. Tum vero demum hoc periculum inminet maxime, cum plethora in vniuerſo corpore grauis eſt, vrgetque, et ſibi obſtat per vaſcula minima tranſiens ipſe ſanguis. Tum enim inpedit ſe inuicem copia tranſeuntis, vt fit, hominum multitudine per anguſtam portam confertim properante. Hinc ergo diſtentio fit vaſculi, et ruptura euitari amplius non poteſt. Et haec maxime vniuerſalis et communis rupturae vaſorum cauſa eſt. Quae cum alicubi in viſcere inſuper obſtructio eſt, aut vaſorum teneritudo, eo magis, et tum quidem in illo maxime loco, ruptura accidit. Haec cauſa eſt, quod in ſputo, omnique eruptione ſanguinis, nimioue fluxu eius tam proficua ac ſalutaris, tam neceſſaria eſt Venae inciſio. Haec etiam cauſa menſtrui fluxus; dum enim per menſem integrum repleta iterum vaſa

turgent,

turgent, conſueto more, vteri arteriae, tubuli laterales earum vltra tunicam eius internam hiari ſoliti, tunc vero collapſi, ſe aperiunt, vt poſſit turgeſcens, tum et ſe extollens interno motu ſanguis erumpere: quae, ſi nimis tandem expanſi, facile obediunt, haemorrhagiae et nimius ſanguinis fluxus fiunt.

§. V.

Altera Διαιρέσεως cauſa eſt Eroſio, quae fit ab acri humore, ſiue intra venas cum ſanguine fluente, ſiue extrorſum adfuſo. Illius exemplo ſunt, qui tali acri ſero natura praediti, ad Phthiſin proni, tandemque in eum, ſputo ſanguinis praecedente, incidunt. Huius qui tuſſi ex glandulis bronchialibus acerrimo ſero in pulmones incidente, vt ſaepius fit, eroſionem ſanguinei cuiusdam vaſis patiuntur, mox veſiculas ipſas circa bronchiarum extrema haerentes eroſas habent, indeque pus mixtum ſputo eiiciunt, et, niſi obſiſtat, vlcus pulmonum contrahunt.

§. VI.

Tertia ruptionis cauſa eſt incidens externum et violenter contundens, quo vnitas vaſorum cum vehementia ſoluitur, qualia ſunt pondus graue, illiſio in durum corpus, caſus, ſaltus; imo et flatus fortasſis in colica graui, diaereſin quandam, etſi non vaſorum ſed inteſtinorum ciere poſſunt. Erat olim mihi concredita nobilisſima matrona, ingentibus in inteſtinis torminibus tentari ſolita, de qua, cum et inſolita et toto genere praeter naturam multa variaque per aluum redderet, ſuſpicio erat, magico morbo laborare. Haec in flore aetatis conſtituta, tandem tormentis ingentibus agitari cepit, vt altum exclamaret, quoties lancinantes eam dolores aggrederentur. Tandem, cum mortis diem praedixiſſet, et magna animi conſtantia expectaret, circa meridiem, me praeſente, inſolitus fragor in corpore eius exauditus eſt: quo facto, exclamauit: iam, inquiens, miſeriae meae finis appropinquat, ruptum eſt inteſtinum! quod factum fuiſſe, non dubito, (neque enim inquirere, cultrique aciem adhibere licebat) nam non multo poſt exſtincta eſt.

§. VII.

Poſtrema Διαιρέσεως cauſa ſupereſt, Motus humorum inaequalis: quod ſalis grano condiendum eſt. Cum enim motus per vniuerſum

corpus continuo vnus fiat, intelligi facile non poteſt, qui verſus vnam alteramue partem inpetuoſius ſanguis feratur, niſi in animum reuocet Conſuetudinem naturae, qua, ſemel quod accidit, lubenter ſoleat reuerti: quoniam eo ire ſaepius iam eſt ſolitus. Quod qui fiat, comprehendet, qui diſtendi vaſa dilatata, et ampliari, adeoque promptius et copioſius tum ab iis recipi communis humoris portiones, perpendet. Laxiora igitur oſtia inueniens ex iis promptius elabitur, vrgente cordis pulſu, et ſubſequentem liberalius inuitat.

§. VIII.

Ex altera parte iam, quot modis vaſorum meatuumque deficiat tubulata cauitas, docendum venit. Obſtructio primo ſtatim ſe loco offert: εμφραξιν Graeci vocant, Infarctum. Hanc rariorem eſſe, quam hactenus creditum, Sect. I. monuimus. Si tamen aliquando accidit, cauſae eius ſunt humorum craſſities, et lentor: vti quidem ipſum ſerum ſanguinis lentum ac viſcidum ſaepe eſt, quod ſicubi difficilem inuenit exitum, integra maſſa, elabente ad latus per laterales tubulos ſanguine, ab eo deſtitutum haeret, et εμφραξιν efficit, quam adiuuat naturalis vaſorum meatuumque anguſtia. Hac ſi poros etiam cutis laborare putes, duplicabis eius frequentiam: mihi tamen, an non potius conſtrictio id praeſtet, quam obſtructio, dubium haeret. In aliis, praeter vaſa, meatibus plura comminiſci, quae obſtruunt, poſſunt: Defectus humidi, vnde in iis, qui parum potant, ſaepe alui obſtructio. Alibi calculi obſtruunt, nonnunquam vermes, maxime in vrinae viis, in colica et flatus. Obſtructiones frequentiores non tam in vaſis, vt iam vidimus, quam in viſceribus accidunt. In cerebro, obſtructis obſeſſisque venis, per quas in ſinus confluit ſanguis, et meatibus, per quos e uentriculis ſerum, apoplexia ſequitur: In pulmonibus, obſeſſis bronchiis, aſthma; in corde, polypus; in arteriis, palpitatio; in hepate ac liene, inflammatio; in bilioſis ductibus, icterus, hydrops; in renibus vrinae reſtagnatio, in veſica dysſuria, eiusque oppreſſio.

§. IX.

Quae praeter hanc vaſorum anguſtiam conſtituunt, breuius poſſunt abſolui. Στενοχωρια, *loci Anguſtia* appellatur obſtructio, quae fit ſubſtantia ſolida, nec multum ab altera differt: vt ſi excreſcentia quaedam in meatu fiat. Huius cauſas excutere, ſuperuacaneum: nam et

raris-

rariſſima ea eſt, nec cognoſci, ſi in internis partibus fieret, poſſet. In cole eam notaſſe, ſufficit forte. Polypus tamen, fauces vel nares occupans, tubercula in pulmonum tubulis, calculiue, et vuulae excreſcentia addi poſſunt. Συμφυσις meatuum vias penitus intercludit. Haec fit, quoties eroſum et excoriatum vtrumque latus, vel alterutrum incumbit ſibi: tum enim glutinoſa, quia ſanguinea, coeunt ſtatim, et coaleſcunt, quae tangunt ſe, et quietae relinquintur. Θλιψις *Compreſſio* fit incumbentibus partibus adiacentibus. Ita venae Iliacae in grauidis, tumorem pedum producunt: quia ab vtero comprimuntur, vt ſanguis libere per eas remeare nequeat. Vrinariae veſicae per eundem compreſſio mingere eas cogit ſaepius: ſed hoc ad cauitatem pertinet. Comprimitur arteria aſpera ab inflammatis et tumentibus colli glandulis et vlceratis, et pure tumentibus in angina, vt ſuffocatio inmineat. Curauimus olim quemdam eximium virum, cui talis glandularum tonſillarumque maximus erat tumor. Cum inmineret mors, et nox duceretur inſomnis toti familiae, ego vero emplaſtris et cataplasmatis a FORESTO commendatis pertinax malum fortiter oppugnarem, continuo et inexpectato rumpitur apoſtema, inmani foetore inficiens cubiculum: erumpit pus, abigens omnes, et ex cubiculo expellens, et momento ſubſidentibus omnibus ſymptomatis, aeger mortis faucibus ereptus, metuque omni liberatus eſt. Supereſt vna συνιζησις, *ſubſidentia*, quae ex eo fit, quod, laxatis fibris, tonoque earum prorſus euerſo, ſubſident parietes, et flaccidae redduntur: qualia in paralyſi exempla plurima ſunt, vbi euocatis omnibus ſpiritibus prolabuntur eorum tubuli inertes. Ita poſt inediam ſolent inteſtina collabi, et vterus in vetulis, aut a venere abſtinentibus, vnde prouerbium noſtratibus; ſtupratam poſt ſeptennium virginem iterum haberi poſſe. Haec de figurae vitiatae partium cauſis, quarum genuinum ſenſum enodare, non parui laboris erat.

§. X.

Qui reſtant huius generis morbi qualitates ſenſibiles mutatas concernunt, atque reſpiciunt: quae cum pleraeque ad ſymptomata pertineant, paucae pro morbis habendae, actiones primo laedentes. *Mollities* partium durarum tam raro contingit, vt potius indureſcant molliores: idque aetate fere, vitioque non emendando. Nam calor perpetuo vrgens humida, et fluida expellens, quotidie eas magis firmat, ſolidatque, terreſtribus relictis, at contra naturae leges pugnare,

 vanum

vanum eſt: niſi quod balnea aliquid praeſtent. Aſperum, quod leue eſt, redditum vix meretur morbi nomen, niſi cum oſsis aſperitas quaedam nonnunquam oritur, ex morbo morbus: etenim occaſio naſcitur ab exoſtoſi et corruptione oſſeae partis, quae id patitur ab humoribus acribus et rodentibus. Perſpicuitas in vno oculo requiſita ſi amittitur, id contingit, quoniam cornea tunica contunditur, teritur. Aqueus vero vel vitreus humor, vel criſtallus in medio eorum, ſi conturbantur, permiſtis inpuris turbidisque humoribus, aut ſi occulta de cauſa vritur, et exareſcit: id enim coctura comprobat. Si vero colore alieno repraeſentant ſpeciem rerum, infectos eos eſſe colligere eſt: ſed forte eiusmodi colorati humoris, praeterquam in Regio morbo, nullum exemplum extat

CAP. X.

DE CAVSIS MORBORVM COMPOSITIONIS ET SOLVTAE VNITATIS.

§. I.

Compoſitionis morborum duplex genus commemoratum eſt, durarum, vt oſsium Luxatio, et mollium; Laxatio. Luxationes accidunt omnes violenta quadam contorſione, ſiue ex lapſu ex alto, ſiue ex procidentia in terram, ſiue ex lucta, dum alter alterum deiicit, aut malefica dexteritate ex articulo extorquet caput, vt excidat. Aliquando extremorum vnum, ſimplici flexura tantum e ſua ſede mouetur, ad latus, nec penitus excidit; vnde ſtatim ſummus dolor, et vſus membri peruerſus. Manus extrema aliquando ſic laeditur, ſed frequentius pes, ſi quis vel inprudenter eum deponat, vel per ſalebroſam et difficilem incedens viam, deflectat ad alterutrum latus. Eſſe etiam, cum ſponte extrudatur, os a collecto intus humore, auctores perhibent: ſed eius rei experientia deſtituor.

§. II.

Laxationis fibrarum in procidentiis cauſa duplex eſſe poteſt, ipſius nempe elabentis viſceris pondus, dum trahit deorſum, et fibras membraneas, elongari aptas, laxat, et extruſio ſuperincumbentis. Primum genus

genus adiuuat nonnihil humiditas, qua ſemper imbutae, flacceſcunt, ſi excedat modum. Praecipua tamen herniarum occaſio ex illa, quam diximus, repletione arcta abdominis eſt, qua viſcera ſe comprimunt: quod facile poteſt efficere, vt peritonaei elongetur interior tunica, et vel externam extendat ſecum, ſi vmbilicalis eſt, vel perruptis anulis tendinum in muſculis abdominis, cum inteſtinis pertranſeat in ſcrotum.

In prolapſu vero ani vterique iſta laxitas et prolongatio vinculorum manifeſtior etiam eſt. Rupturam vero quoque peritonaei contingere poſſe, magnum illud et memorabile SENNERTI exemplum docet.

DE CAVSIS SOLVTAE VNITATIS.

§. III.

De *vulneribus* non attinet multa dicere. In medio ſunt inſtrumenta ferrea findentia, quae longa, pungentia, quae anguſta efficiunt, et exilia, ſed eo periculoſiora; lata porro, quae, abſciſſa parte aliqua, cauum vulnus efficiunt, aut, ſi obtuſa, acieque deſtituta, compreſſum. Enſes, gladioli, punctim ferientes acuminati, veteribus militibus ignoti, haſtae, tela, ſagittae, ſclopeta, ſphaerulae. Quibus accedunt ligna, lapides, et quicquid durum et acutum eſt, vt findere cutim et carnes idoneum ſit. Eſt etiam vicisſitudo, vt et illiſa corpora noſtra adilla fortiusque adacta, vulnera inferant. Sic nihil frequentius, quam vulnera capitis ex lapſu, aut contrario modo, fuſtibus facta percusſione, quae eundem effectum edunt.

§. IV.

Ruptura fit ſola tenſione, quod filorum aut linteorum, denique omnium pannorum exemplo cognoſcitur. At haec in corpore tanto vehementior eſſe debet, quanto membraneae fibrae aut carneae linteis, laneis, ſericis magis lentae ſunt, adeoque idoneae extendi citra rupturam. Ventrem praegnantis foeminae intuere! Quantam extendi peritoneum hic patet in amplitudinem! ſed id fit lente admodum, et leniter, ſucceſſu temporum. Eſt autem ſolemne, in homine tenſiones ab intra in cauitatibus fieri, non extra corpus, vt pannorum extra eſt ruptionis conatus. Sunt, quae rupturam hanc intendunt, praecipue flatus. Verum et hi rarisſime plenam cauſantur, cedentibus fibris. Eſt tamen exemplum in WEDELII *Pathologia* (a) caeci inteſtini in Ileo.

Reliquae

(a) p. 413.

Reliquae rupturae etiam omnes tenſione accidunt per violentum motum: equitando, et corpus quocunque modo fortius exercendo. Sed rupturae et ipſae pertinent ad vulnera.

§. V.

Vlcera videamus! Quae non niſi cauſa a vulneribus differunt, erodente fere et intra corpus latente; hoc eſt, humoribus acribus. Altera eſt collectio, vt in furunculis, et apoſtematis; vbi per vulnus ab interori factum tranſit in vlcus, rodente acri pure, ſi tale ſit, aut ſi mitius, nec perrumpere cutim valens, chirurgica manu faciendum, lanceola, aut cathaereticis vulnuſculum eſt. Omne ſane pus acrimoniam contrahit, ſed non tantam omne. Fit etiam vlcus in corpore latente, et viuente animali. Sunt profecto, qui in vermes quoque vlcerum cauſam referunt; nec vane! Apoſtemata ſane, vermibus repleta, a medicis nonnunquam obſeruantur: ſed quantum mihi notare licuit, plerumque in ſcelerum vltionem diuinitus inmiſſi potius, quam naturalibus orti cauſis, aut ex ouulis cum edulibus deuoratis, aut ex aëre per poros inuolantibus, vt ANDRY, cum ſuo LEVVENHÖKIO, aliique ſomniarunt. Videndum etiam, vtrum vermes non potius vt effectus, quam vt cauſa ſe habeant. Vide, quae ſupra de vermibus commentati ſumus.

§. VI.

Soluta vnitas in oſſibus *Fractura* eſt: cuius itidem cauſae manifeſtae ſunt, nec explicatione indigent. Dura omnia obtuſa et ponderoſa confringunt, comminuuntue, quae itidem dura, id eſt oſſa, habentque omnia cum vulneribus communia, illa quoque vt reciproce, et ipſa incidentia in illa, et excipientia eorum ictus, frangantur. Quod ſi leuiora ſunt, et tenuiora, ſimplex fractura fit, et vel finditur, vel per transuerſum frangitur. Si vero grauius onus, ex alto incidens, aut currus onuſti rota ſuper crura incedat, comminuit, et teſtarum nucis in modum diſſilire facit.

§. VII.

Solutionis continuae in oſſe alterum genus, quod caries appellatur, et Spina ventoſa eſt. Vtraque ex acri rodenteque humore prouenit, idque ſponte fere, nulla apparente manifeſta cauſa. Illa tamen intra os, in medulla videtur generari, haec externe incidere. Eſt autem

haec

haec acrimonia occultae prorſus naturae, nec poteſt deſcribi, nec cauſa eius προηγȣμενη indagari induſtria. Itaque non eſt pretium operae, his diu inſiſtere, aut ingenioſis fictisque ſolerter coniecturis in rem illam inquirere, praeſertim cum ad curationem nihil admodum intima iſtius acrimoniae cognitio conferat.

§. VIII.

Porro coalitus eorum, quae diuiſa voluere naturae leges, vt extra meatus rarisſima exempla occurrunt, et ſi qua ſunt, chirurgorum potius inſcitia partes coeunt inter ſe, quam per morboſam vim ac diſpoſitionem, ita non eſt, quod his tempus teramus. Vna omnium iſtorum cauſa, γλισχρον in ſero ac ſanguine, quo facta vulnera, poſtquam mundata ſunt, ſi modo labia ſibi aptentur, ſponte coeunt, uniunturque. Ceterum in natura nihil ſimile occurrit: Quin ſi adſit, findi haec debent, et ſeparati ligari ac ſanari, cuius rei nulla difficultas eſt: Et nunc de morborum cauſis etiam peregimus.

PATHOLOGIAE
SECT. III.
DE
SYMPTOMATIS.

CAP. I.
QVID SIT SYMPTOMA?

§. I.

Tria praeter naturae leges in humano corpore contingere, morbum cauſam et ſymptoma, ſtabilitum eſt: quorum praecipuum quidem morbus, ordine vero medium: primum cauſa, vltimum ſymptoma eſſe, cognoſcitur. Vt enim ſecundum naturam in corpore tria inueniuntur, ſanitas, cauſae ſanitatis, et quae eam conſequuntur, actiones omnes ſtrenue obeundi poteſtas, excernendique promtitudo, et color floridus, ceteraeque qualitates ſenſiles, quae pulchritudinem, elegantiam, et integritatem corporis conſtituunt, ita in corpore afflictae valetudinis haec itidem tria quaerere oportet: Nam contrariorum eadem eſt ratio. Poſtquam ergo morbi, cauſarumque eius hiſtoriam hactenus ſatis ſumus proſecuti, reſtat, vt de ſymptomatis etiam dicamus.

§. II.

Συμπτωμα dicitur a συμπο͂πτειν, ſimul cadere, ſiue incidere: quod ſimul cum morbo ſeſe offerat. Quod tamen naturam eius neutiquam exhaurit. Non enim omnia ſymptomata ſimul cadunt, aut cum morbo oriuntur, ſed pleraque poſt demum ſuperueniunt. Vnde veteres Graeci etiam επιγεννηματα nuncuparunt, hoc eſt ſuperuenientia, adnaſcentia, quoniam quaſi ſupernaſcuntur, et per totum morbi decurſum ſucceſſiue apparent. Noſtra lingua vocantur *Zufälle*, ſignificantius, quam vel Latina vel Graeca id efferri poteſt.

§. III.

§. III.

Quae vt rectius intelligantur, in memoriam reuocandum eſt, morbos ſuis circumſcribi temporibus, et cum per ea decurrentes creſcant, incrementa capiant, ad ſummum perueniant, tandemque remittant, ac penitus vel vincant naturam, vel vicantur cum morbo, ac euaneſcant, facile hinc colligitur, alia ſubinde facie atque alia apparere, et vel grauiora vel mitiora maioris minorisque momenti, prout magis minusue vigeat morbus.

§. IV.

Ex quo ſtatim et illud cognoſcitur, quid ſit ſymptoma: nimirum omne id, quod morbo iam conſtituto porro oritur, eumque conſequitur, ex eo tanquam nouum γέννημα procedens. Eadem fuit mens GALENO (a) ait enim: eſſe *affectus, qui morbis ſuperueniunt, eosque, tanquam vmbra corpus, ſequuntur.* Et alibi (b) omiſſa poſteriori ſimilitudine: *Symptoma eſſe, quicquid morbum ſequitur.* Vbi fruſtra in eo nonnulli diſputant, nodumque in ſcirpo quaerunt, dum aiunt, cum nihil morbum neceſſario proximeque (ſcilicet vt vmbra corpus) ſequatur, quam laeſio actionum, hanc ſolam iſta definitione comprehendi, reliqua vero omnia, vt qualitates corporis minus naturales, et excretorum vitia excludi. Neque enim dixit GALENVS, ea tantum, quae proxime morbum, ſequuntur, eſſe ſymptomata, ſed ſine reſtrictione iſta, quicquid morbum ſequitur, ſymptoma eſſe. Recte ergo SENNERTVS (c) ad haec: *Verum,* inquit, *etſi libenter concedimus, actionum laeſionem eſſe praecipuum ſymptomatum genus, tamen ſolam hanc ſymptoma eſſe definiendam non cenſemus.* Quin et GALENVS ipſe, (d) *quicquid praeter naturam ſeſe habet, exceptis morbis ac cauſis, ſymptoma eſſe,* itidem fatetur. Itaque omnino GALENVS recte ſenſit, ſymptoma eſſe dicens, quicquid morbum ſequitur: dum autem addidit: *vt vmbra corpus*, id voluit, vt ſine corpore vmbra non ſit, eo vero exiſtente, neceſſario et ſimul cum eo protenus exiſtat, ſic etiam ſe habere ſymptomata, morbi ratione.

§. V.

Idem vero, quod GALENVS, etiam SENNERTVS dixit, ſed paulo prolixius, aiens: ſymptoma eſſe *Affectum ſeu accidens praeter naturam,* in

(a) *De differentiis ſymptom.* cap. I. (b) *Meth. med.* 11, 1. (c) *Inſt.* II. 3, 1, 1. (d) *de diff. ſympt.* 2.

in iis, quae extra conſtitutionem partium ad actionem determinate neceſſaria ſunt, aliquid aliud praeter naturam ſequens. Eſt tamen paulo obſcurior haec definitio, ipſa ſua amplitudine oneroſa, nam illud: *extra conſtitutionem partium ad actionem non neceſſarium* quid ſit, obſcurius eſt, quam vt capi queat. Itaque nemo ex hac diſcit, quid ſit ſymptoma. Poſſet autem omnino nobis ſufficere GALENI deſcriptio. Si quis tamen vrgeat definitionem, ad Logices regulas exactam, illi etiam ſatisfieri poteſt, dicendo: *Symptoma eſſe affectionem, in corpore humano poſt morbum apparentem, ex eo ipſo vel eius cauſa procedentem, et aliquid de conſtitutione partium humorum, vel ſpirituum manifeſtantem.*

§. VI.

Quam definitionem, cum et ſummum genus, quod cum morbo, cauſaque commune habet, et ſubiectum, et cauſam efficientem, et finalem complectatur, non dubito, perfectam appellare. Affectio enim corporis eſt omnis res praeter naturam; quae et morbum, et cauſam, et ſymptoma comprehendit, habitum autem ac diſpoſitionem partium humorumue praecipue, quae oculis non patent, ſymptomata produnt, vt effectus cauſam ſuam, in eumque finem deſcribuntur, et tam ſollicite notantur a medicis, adeoque rationem hoc habet cauſae finalis. Concinnius prae SENNERTO, idem licet dicens, WEDELIVS. (e) *Quicquid extra conſtitutionem*, ait, *partium fabricae humanae praeter naturam haeret, et ab alio praeternaturali productum eſt, dicitur ſymptoma:* niſi quod, excretorum ſymptomata, neuter attendiſſe videatur, quae nos innuimus, addendo: *vel ex eo prodeuntibus.*

CAP. II.

DE DIFFERENTIIS SYMPTOMATVM.

§. I.

Cognita natura ſymptomatum, differentias eorum tradi par eſt. Hae vario reſpectu variae percenſeri poſſunt. Ratione morbi alia ſunt ſymptomata propria dicta, hoc eſt, quae ſimul ac morbus apparet, etiam ipſa adſunt, adeoque vere *ſimul cadunt:* illius enim eſſentiae protenus

(e) *Pathol. III. 1.*

protenus adiuncta ſunt, de illaque participant, vt pulſus celer et frequens febrim, pleuritidem ipſa febris, tusſis, ac lateris dolor comitantur. Nonnulli et a cauſa iam in morbum prorumpente efficiuntur. Alia vero poſtea ſuperueniunt, et in augmento, vel ſtatu demum apparent: vt in febribus malignis petechiae, quae ἐπιγεμημάτος potius nomen merentur. Quibus et tertium addi poteſt: eorum, quae poſt morbum iam percuratum vel ſuperueniunt, vel eum ſequuntur, et tanquam reliquiae ab eo remanent ac perſtant: quales ſunt poſt variolas maculae rubrae, vel etiam cicatrices, poſt apoplexiam paralyſis, poſt vulnera cicatrices itidem, claudicatio, vel ſimile his vitium: item poſt diuturnam epilepſiam imbecillitas quaedam ac debilitas ſpirituum, indeque functionum animalium, poſt dyſenteriam teneſmus, et alia eius generis. Haec enim cum ſint res prater naturam, neque omnia ad morbos referri queant, multo minus ad cauſas, reſtat, vt ad ſymptomata.

§. II.

Altera diuiſio eſt *ratione earum rerum*, a quibus producuntur. Hinc aliud ſymptoma dicitur *Cauſae*, aliud *morbi*, aliud *ſymptomatis*, prout vel ab hoc, vel ab iſta, vel ab illo proxime ortum trahit. Sic pulſus mutatus in febribus eſt ſymptoma cauſae, inteſtini ſanguinis motus; rubor faciei, vigiliaeque ſymptoma morbi, ipſius caloris, vel intemperiei calidae; delirium ſymptomatis, nempe vigiliarum: nam vigiliae a calore oriuntur, quo ſpiritus attenuantur vltra modum, vt, turbato motu, aberrent a legibus conſuetis, easque excedant, quibus ſimul exemplis diſcitur, quotnam ſint cauſae ſymptomatum.

§. III.

Tertia ratio diuerſitatis eſt, qua in ſua genera, ſeu ſpecies diuiduntur. Alia enim ſymptomata ſunt Actionis laeſae, alia qualitatum praeternaturalium, ſeu, vt minus accurate ſolent loqui, mutatarum, alia excretorum et retentorum: quae communisſima eſt ſymptomatum diuiſio, eademque praecipua. Quo autem actionis laeſae natura plenius intelligatur, in memoriam reuocandum eſt, quod de morbo ante docuimus, morbum eſſe talem conſtitutionem partium praeternaturalem, qua earum actiones primo laedantur. Vbicunque itaque eſt morbus, ibi ſimul actio quaedam laeſa eſt neceſſario: vt nullus morbus ſine actione laeſa concipi queat, nec actio laeſa, quin adſit morbus, (nam a cau-

ſis non niſi interueniente morbo laedi actiones poſſunt.) Praeter autem primam illam actionem laeſam et aliae ei plurimae adeſſe, tenendum eſt, ſe vel inſequentes, vel aliunde erumpentes, pari modo, quo προηγȣμένας varias ac multiplices eſſe tradidimus, longa ſerie vna ex alia erumpentes, vel et accedentes aliunde ſe adiuuantes. Sic febris laedit ex ſe et proxime non vnam actionem, ſed propemodum omnes: Hinc Appetitum, et ventriculi cocturam, illinc ſpirituum, vt ſomnum, greſſum, vrinae, ſudoris, transſpirationis profluxum, excretiones, quae ſub variis vexillis, vt ſic loquar, militant, omnia tamen ad actiones laeſas referenda.

§. IV.

Symptomata qualitatum mutatarum vocantur omnes qualitates, quae praeter naturae ordinem in corpore apparent: vt rubor aut pallor faciei, flauedo, (vt in ictero,) ad nigredinem inclinans color, (vt in ſphacelo, vel ictero nigro) ea tamen ſemper conditione, vt morbum ſequantur: nam quae recte valentibus accidunt, συμβεβηκότα potius vocantur, ex GALENI inſtituto. (a) Nihil enim ſymptoma habetur, niſi quod conſtituto morbo accidit, etſi aliud ſimul cum eo, aliud poſt demum appareat. Hinc autem τὸ συμβεβηκὸν opponitur, qualis eſt gutta roſacea, quae vulgo inter morbos refertur, cum tamen non laedat actionem, nec morbum ſequatur, itaque huc potius pertinet. Duplex autem illarum genus eſt. I) Earum, quae ſenſibus iudicantur, vt *colores*, quales modo enarrauimus, *odores*, qui in variolis, malignisque febribus peſſimi ſaepe numero obuii, *ſapores*, vt amaror oris in febribus; *ſoni*, vt borborygmi, *tactiles*, vt aſperitas linguae. Quod vero praetereundum non eſt, etiam motus et quies, vt iactatio membrorum in febribus, figura corporis in decubitu, magnitudo ventris a flatibus, hic ſpectanda ſunt, neque enim nullam vtilitatem afferunt. II) Earum, quae remanent poſt morbos, vt pallor faciei poſt magnas haemorrhagias, aut aſperitas cicatricum etc.

§. V.

Committitur autem hic non leuis error ab auctoribus, dum qualitates has mutatas nominant, cum nonnullae ne quidem exiſtant in corpore: vti ſunt omnes ad auditum ſpectantes: flatuum in inteſtinis, murmura et tinnitus aurium: tales igitur naturales mutatae dici non poſſunt,

(a) *De ſympt. diff. c. vlt. Vide* SENNERTVM h. l. c. 11.

poſſunt, ſed qualitates praeternaturales, quales ſunt et reliquae, itaque hoc nomine potius quam altero dignae nobis exiſtimatae ſunt.

§. VI.

Tertium ſymptomatum ratione generis genus eſt *Excretorum eſt retentorum*: vbi itidem eſt auctorum grauis nonnullorum a vero aberatio, dum non diſtinguunt inter excretionem et excretum. Etenim *excretorum* ſymptomata ſunt, quae ſpectantur in iis, quae ex corpore excreta ſunt: vt *color* inteſtinalium excrementorum, aut vrinae; alia ſunt ſymptomata *excretionis:* vt ſi quis diarrhaea laboret, quae phthiſi ſuperuenit. Eſt enim haec ſymptoma actionis laeſae, quia non retinentur, quae retineri debent, et quidem actionis auctae: vt retentorum eſt, actionis inminutae, vt ſi in febribus alui obſtructio eſt. Sunt autem, vt modo innuimus, excretorum ſymptomata ea, quae in ipſis excretis apparent: vt color in vrina, odor foetorque peſſumus in alui fecibus, ſanguine emiſſo, pure, quae omnino a ſymptomatis excretionis probe diſtinguenda ſunt. Manifeſtum hoc probe expendentibus: interim hoc errore nihil frequentius eſt. Quo pertinent etiam alia excretorum momenta, vt *Locus*, dum e. c. ſanguis e naribus profluit: *tempus*, cum menſtrua intempeſtiue erumpunt in febribus, et reliqua iſtiusmodi. Addunt hic quidem vulgo: *Et retentorum*, ſed quaenam poſſunt retentorum qualitates ſe prodere, cum non reddantur?

§. VII.

Antequam haec relinquamus, dicendum etiam verbo eſt de actionibus laeſis per errorem externum, quam vulgarem conſuetudinem ſecutus, SENNERTVS adducit. (b) Quod fieri dicit, *quando, agente ſe recte habente, quacunque de cauſa actio non fit, aut non recte fit, id Medici dicunt fieri ob errorem externum.* Quae diſtinctio quidem et recte habet, et iam tum a Galeno agnita eſt: non tamen accurate ſatis ad ſymptomata refertur. Vt enim criticae excretiones in ſalutem hominis, non perniciem inſtitutae, ad ſymptomata referri non poſſunt: ſic etiam inpedimenta actionum naturalium, dum natura nimis oneratur, nec vltra ſphaeram ſuam agere poteſt, ex eadem cauſa pertrahi huc non poteſt. Accedit, quod nullus hic praecedit morbus. Itaque hoc etiam συμπτωμα id dici nequit, cum vox ipſa manifeſto relationem ad aliquid

(b) *Inſt. II, 3. 1. 3. pag. 2956.*

quid praeter naturam inferat, et ſine morbo, quem, vt vmbra corpus ſequatur, ſymptoma nullum eſſe posſit. Et vero, ſi dicendum quod res eſt, laeſae actiones ob errorem talem externum ad cauſas potiori iure referri poſſunt, et quidem προηγȣμενας remotiores: Laedunt enim viſcera, quibus laeſis, deinde et humores laeduntur, quod malum denique ſequuntur morbi, ſi non ipſa viſcera ex eo in morbos incidant.

§. VIII.

Symptomate ergo erroris externi relicto, ad ſymptomata actionum laeſarum reuertamur. Illarum tria genera enumerantur. Actio enim dicitur vel *aboleri*, vt cum prorſus non fit: exemplo vrinae, omnimode ſubſiſtentis in calculo: vel *imminui*, vt in dysuria, vbi cum difficultate, et parum eius mittitur: vel *deprauari*, vt cum fit quidem, ſed ita, vt fieri aliter debeat: quod in ſtranguria accidit, vbi cum dolore vel ardore redditur, etſi in hac plerumque ſimul et parum eius mittatur. Diuerſis autem in deprauata actione peccatur modis; vel enim aegre et cum multa difficultate illa fit, tardiusque quam par eſt, vt cum alui excrementa magna vi conatuque exprimuntur; vel cum dolore, vt in dicta modo ſtranguria, vel imperfecte, vt vbi concoctio in ventriculo ἐυπεπτον quidem fit, reliquorum non item, adeoque chylus corrumpitur. Attamen plerumque haec omnia concurrunt.

§. IX.

Maior eſt de ſymptomatis actionis auctae dubitatio, quam quidam ſeorſim conſiderant, alii contra ad deprauatam pertinere arbitrantur, alii et hanc, et triſtem ac voluptuoſam adnuunt, vt ARGENTERIVS. (c) Sed voluptas in morbis profecto non multum grauabit, nam quae in pruritu eſt, ipſa initium et ſpecies eſt quaedam doloris, nec percipitur, niſi manu admota, ad diſcutiendum, quod moleſtum eſt, nec morbum ſequitur, niſi in vulnere, cicatricem ducente. Dolor vero manifeſto ad qualitates praeternaturales pertinet: quo et haec referenda foret, ſi vt ſymptoma poſſet conſiderari. Aucta autem plus habet veritatis. Nam et appetitus in bulimo manifeſte auctus eſt, et robur in mania, quod ſi facultas potius quam actio hic aucta videatur, ſcias facultatem cauſam eſſe, non ipſum ſymptoma: Ecquid vero

(c) *Lib. de morbis.*

vero de nimis frequenti alui excretione? ſi enim haec deprauata videtur nominanda, eadem opera et inminuta huc referas, cum contrariorum eadem ſit ratio. Reliqua tam bene dixit SENNERTVS, et exemplis firmauit, vt mirer, poſt ipſum reperiri, qui diſſentiant.

§. X.

Quarta ſymptomatum diſtinctio eſt ratione *finis*, quem medicus in iis cognoſcendis ſibi proponit: neque enim fruſtra, aut dicis cauſa hae tam ſollicite perquiruntur, morborum vel appendices, vel pediſequae: ſed modo ſignorum, vt plerumque, rationem habent, modo et curationem ſibi poſtulant. Signa vero vel *eius, quod praeſens* quidem, at minus obuium, quia intus concluſum (nam morbus ipſe haut raro latet) vel, quod multo frequentius, *eius quod cauſa*. Cum enim omnia ſymptomata vel a morbo, tanquam cauſa ſua, vel a cauſa ipſius producta ſint, effectus autem de cauſa ſua teſtimonia perhibeant, apparet facile, vtrumque horum iis ſignificari poſſe, et quam pauca in cognitione morborum, omnibus ſymptomatis probe perpenſis, nos queant fugere. Neque vero hoc ſolum, ſed et quid futurum ſit, collata prudenter morbi magnitudine cum robore naturae, docte conjecturare licet. Tempora enim id indicant, dum, quantum et quamdiu adhuc duraturum ſit malum, quoque vergat cauſa aut morbus, adeoque quamdiu adhuc ſupereſſe aeger poſſit, aut quando ſuccumbere, docere poſſunt. Semiotices ergo omnis vnica ſunt indicia certa et fundamenta.

§. XI.

Quae autem ſymptomata curationem a medico exigunt, ab his longe diuerſa, *Vrgentia* appellantur, ſeptem fere ſunt: I.) dolor, II.) vigiliae, III.) lipothymia, IV.) excretiones nimiae, V.) calor, VI.) ſitis, VII.) delirium, (etſi V. et VI. minus quam cetera periculoſa ſint.) Reliqua, ſublato morbo, et ipſa tolluntur, et hinc in curatione haut aeque attendi ſolent. At enim iſta, ſi ſinas, ante quam tolli morbus poſſit, hominem interimunt, certe vehementer affligunt, et deficiunt vires, vt verendum ſit, ne non ſufficiat exhauſtus aeger: itaque medicum vrgent, vt relicto tantiſper morbo, naturae potius ſuppetias ferat. Illa enim eſt, quae niſi vigeat, fruſtra laborat, oleum atque operam perdens, quum ea ſine ipſo multa, ille citra eam nihil efficere valeat.

§. XII.

Poſtremo notandum, actionum laeſarum eam eſſe conditionem, vt non repugnet, eas etiam alio reſpectu fieri et haberi poſſe cauſas aliorum morborum: vt cibi digeſtionem laeſam, quam multorum aliorum originem fieri, etiam e longinquo, nemo neſcit, ſic renum actio laeſa, vel diabetem, vel dyſuriam infert, et haec rurſum Hydropem. Praeterea etiam non omnes morbi ſemper et vbique ſunt morbi, ſaepe enim ſymptomatis rationem habent, ſepoſita priori natura. Exemplo ſint febres, quae vulneribus, aliisque morbis ſaepe ſuperueniunt, vt catharrhales. Hae igitur *Febres ſymptomaticae* appellantur, magnique intereſt, talem ſymptomaticam a primitiua diſcernere, quippe curationis inde felicitas, aut interitus aegri non raro pendet.

CAP. III.

DE SYMPTOMATIS SPECIATIM, SINGVLARVMQVE ENARRATIO.

§. I.

Poſteaquam de ſymptomatis in vniuerſum, eorumque natura et differentiis eſt actum, nunc tranſeundum ad ſingula, et quaenam illa ſint, et vbi occurrant, ſtrictim enarrandum: id enim ad morbos cognoſcendos, qui erat praecipuus huius doctrinae finis, erit perutile: omnia enim in diſciplinis ad finem dirigenda. Eſt autem in ſymptomatis recenſendis atque explicandis mira auctorum prolixitas, quod et ea huc referunt haut raro, quae manifeſto morbi ſunt, et in cauſis ac differentiis explicandis multa admiſceant longius petita, et ex ipſa Phyſiologia denuo arcesſita, quae ad pathologiam ſpecialem, quam dicimus, non ad Inſtitutiones pertinent. Liceat itaque nobis in compendium haec contrahere, omisſis illis actionibus, quae primo et inmediate laedunt a morbo, et ad eum pertinent, et illis tantum conſideratis, quae ſecundo loco ſunt laeſae: illae enim neutiquam in hanc claſſem admitti debent, niſi omnia in vnum confundere cupiamus.

§. II.

§. II.

Ita autem in his nos geremus, vt hoc capite ſingula ſymptomata, in tres claſſes modo digeſta, perluſtremus breuiter, nominaque eorum, excluſis, quae huc non conueniunt, recenſeamus, et definitiones, quam maxime fieri poteſt, idoneas tradamus. Tum in ſequentibus, quae in quibus morbis potisſimum ſint obuia, et ex quibus cauſis proueniant, doceamus diligenter: ſic enim omnia, quae ad ea pertinent, patebunt, et ſemioticae parti, quae hanc ſequitur, viam ſternemus. In primo autem genere *actionum laeſarum* non proſequemur ea ſecundum quadruplex genus ſupra conſtitutum: abolitam nempe, inminutam, deprauatam et auctam, ſed naturalem potius ordinem eligentes, ſecundum varias partium corporis functiones procedemus, incipientes ab iis, quae ad nutritionem referri queunt, tranſeuntes hinc ad ſanguinis elaborationem, et vitales actiones, inde ad ea, quae animales ſpiritus ſpectant: poſt haec *qualitatum*, *excretorum*, et denique *vrgentium genera*, in quibus deſinemus. Sic nempe et veterum docendi conſuetudinem non plane deſeremus, et, quos illi commiſerunt, errores euitabimus: id vnum praenotantes, ne cui in hoc videamur inpingere: *non repugnare, eundem affectum, pro ratione ordinis cauſarum, modo ſymptoma, modo morbum, quin et cauſam haberi poſſe*, qua de re et antea monuimus.

§. III.

Ad Chylificationem, et, quod veteri more, nutritionem appellant pertinent, 1) *Appetitus deiectus*, (nam auctus in *bulimia*, et deprauatus in pica, morbi ſunt habendi, niſi pica ſit grauidarum.) 2) *Sitis*, 3) *Nauſea*, 4) *deglutitio laeſa*, in febribus, colli fauciumque tumoribus, etc. quae tamen alias et morbus eſſe poteſt: vt vidimus nobilem feminam, quae citra alium morbum non niſi liquida, minime vero ſolida, in gulam admittebat. 5) *Atrophia*, 6) *Pica et malicia*, dicto ſenſu, 7) *ſingultus* in febribus, aliisque morbis, imo et nimia repletione ventriculi, auidoque infarctu, 8) *Vomitus*, 9) *Coeliaca*. Haec fere ad ventriculum pertinent.

§. IV.

Ad Inteſtina vero 1) *Lienteria*, 2) *Diarrhaea*, quae rurſum aliquando et naturae conatu ſpontaneo oritur, vt expurgetur corpus,

3) *Teneſmus*, 4) *Alui obſtructio.* Ad veſicam refertur, 1. *vrinae difficultas*, aut 2. *omnimoda ſuſpenſio* in calculo, 3. *ſanguinea profuſio* in eodem, 4. *ſtranguria*, et, ſi alium morbum comitetur, 5. *Diabetes*, quae tamen plerumque morbus eſt.

§. V.

Caeterum ad ſymptomata perperam referri arbitror 1. *Atrophiam* alicuius membri, oculi, aut brachii, aut cuiuscumque, aut totius, ex nulla cauſa manifeſta, aut infantum, non ex eſſedonibus: item Marasmum ſenilem, niſi quis appellari velit ſymptoma aetatis ſenilis, quae tamen inproprie dicitur ipſa morbus. Ἀνορεξία ſymptoma quidem eſt in febribus, aliisque morbis, et in ventriculi inbecillitate: ſi autem per ſe, citra morbum ſubſit, cenſeri tale non poteſt. *Retentio laeſa* in vomitu continuo, niſi in grauida, ſymptoma non eſt, ſed morbus: Ἀπεψία et βραδυπεψία ad imbecillitatem ventriculi referuntur, eiusque ſunt genera. *Cholera* manifeſte morbus eſt, *Dyſenteria* morbus grauisſimus, nequaquam ſymptoma. *Ileus*, Εἰλεος, totus morbus, obſtructio nempe inteſtini ilei. Sed etiam *auctio* nimia *totius corporis* fruſtra ad ſymptomata accenſetur, quae ex naturae bonitate eſt, et affluentia nutrimenti, ac diaeta nimis exquiſita prouenit: partis vero alicuius, vt *naſi*, morbus potius in magnitudine.

§. VI.

Sanguinis generationem laeſam nulla ſymptomata, ſed morbi ſequuntur: eſt enim illa eorum cauſa. At cordis, cuius paucisſimi morbi, officium diſtributio eſt, quod vbi ſufflaminatur, varia in corpore accidunt, quae ſymptomata videri poſſunt. In his eſt 1) *Palpitatio cordis*, ſed de cuius morbo, quem ſequitur, prius diſpiciendum. Eſt autem ille obſtructio, vel ex quacunque ratione inpeditus motus cordis vel arteriae; interim rectius ad morbos refertur, obſtructio et inpeditus motus ad cauſam, vt deinceps patebit. 2) *Anxietas eiusdem*, ſeu *Cardialgia*, quae tamen ſaepe ad ventriculum pertinet: ad quod probe attendendum, ne decipiare. 3) *Pulſus quocunque modo mutatus, acutus, inminutus, deprauatus*, 4) *Lipothymia, et ἀσφυξία.* His proxima ſunt, quae pulmonibus contingunt. 5) *Reſpiratio difficilis* (Aſthma tamen morbus eſt, notat enim radicatum et multiplex malum) *laeſa, magna,*

magna, *parua*, *celeris*, *frequens*, 6) *Tuſſis*, 7) *ſternutatio*, 8) *punctura laterum et muſculorum intercoſtalium*, *dolor grauatiuus*, ex tuſſi.

§. VII.

Quae ſequntur, ad ſpiritus pertinent. 1) *Vigilia*, et huic oppoſitus, 2) *Sopor*, 3) *Phrenitis*, 4) *Oſcitatio*, 5) *Horror* et *rigor*, 6) *Laeſio auditus*, 7) *Tinnitus aurium*, 8) *Guſtus deprauatus*, 9) *Idem abolitus*, 10) *Olfactus perditus*, 11) *Laſſitudo*, 12) *Conuulſio*, 13) *Vertigo*, 14) *Sudor ſyncopticus* primum, tum et *alius*, 15) *Capillorum defluuium*, quod externum tamen eſt, et horum appendix.

Quibus omnibus accedit *Dolor*, qui aliquando morbus, vt cardialgia, dolor capitis, colicus inteſtinorum: plerumque ſymptoma, ſed qui ad qualitates praeternaturales, non ad actiones laeſas referendus eſt, etſi omnes auctores his eum adnumerent.

§. VIII.

Haec fere ſunt ſymptomata actionum laeſarum: ſequuntur ea, quae dicunt, Qualitatum mutatarum, nos autem *qualitatum praeternaturalium* appellauimus, et quas eſſe qualitates ſenſibiles, ab ARISTOTELICIS in L. de Praedicamentis patibiles appellari ſolitas, patet. Diuiduntur in proprias et communes: Proprias autem eſſe, quae vno tantum ſenſu comprehenduntur, communes, quae pluribus, dictum eſt ſupra. Tot autem ſunt qualitatum ſenſibilium genera, quot ſenſus externi. Nam de internis hic non eſt dicendi locus, cum illorum laeſiones, vtpote quibus actiones primi ordinis, maximique momenti primo loco peruertuntur, inter morbos recenſentur. Externos itaque nunc potiſſimum percurremus.

§. IX.

Viſum reſpiciunt *Colores*, qui, cum internae lateant partes, *in ſuperficie corporis*, et vultu maxime, tum et oculis, linguaue ſpectantur; *In facie* pallor, flauedo et plumbeus quidam aut aeruginoſus liuor, aut e contrario purpura pulcherrima ſuauitate eſfloreſcens in genis, ab ignea rubedine multum diuerſa. *In cutis ſuperficie puſtulae*, aut *maculae*, *rubrae*, *fuſcae*, *liuidae*, *coeruleae*, *nigrae*; *in oculis* etiam *ſplendor igneus*, aut contra, *euaneſcens claritas*, et *hebetudo*: *in lingua flauedo* eſt, *albedo*, *nigrities*.

§. X.

Ad auditum pertinent ſoni, *ſiue interni*, in auribus, vt *Tinnitus*, et quaedam veluti *fluctuum* aut vndulationis repraeſentatio, item *tonitrus* aut exploſae bombardae ſonitus: *ſiue externi* ad aures allabentes, ex corporis cauitatibus: vt in infimo ventre *borborygmi*, *murmurationes*, *eiulatus*, *ſtrepitus*, et inde prodeuntes *crepitus* et *bombi*: ex collo vero *raucus* vocis *ſonus*.

§. XI.

Odores p. n. plurimi ſunt, vel ex toto corpore, vel ex pulmonibus, vel ex ore, vel naribus prodeuntes, plerique tetri et ingrati, qui omnes qualitates mutatae dici non poſſunt, non magis quam ſoni, cum nullos adeſſe oporteat. *Ex toto corpore ſpirant* nidoroſi, et putres ſub alis haerentes, et ſimilibus locis, moleſte admodum ſpiritus afficientes, in febribus malignis: in peſte vero dulcis odor nonnunquam, aliquando cadaueroſus praetereuntes vel adſtantes afflat. *Ex pulmonibus* puris foetidi; *Ex naribus* peſſime olentes, alius tamen generis: vti et ex ore, dentibusque cauis, corrupti cibi. Grauis etiam *ex pure* non bono. Scorbutus etiam oris foetorem comitem habet. Sub alis, ex inguinibus et pedibus naturalis eſt, nec ad hoc genus pertinet. Bonus autem odor nusquam ab homine prodit, ne viuum et ſpirans cadauer nos eſſe obliuiſcamur: niſi quis halitum optime valentium ſuauiter ſentire exiſtimet: Vt amaſii puellarum ſuarum cinamomeum, balſamicum, paradyſiacum praedicant. Quamuis ALEXANDRI MAGNI ſudorem muſcum redoluiſſe, fama ſit: quae tamen et ipſa vilis adulatoris potius quam veritatis vox eſſe videtur.

§. XII.

Sapores quum non quales ſint, ſed quales a lingua percipiantur, iudicari ſoleant, nec actiones laeſae, nec qualitates alienae haberi poſſunt. Neque enim in corporis partibus quicquam praeditum ſapore eſt; in excretis autem, qui occurrit, ſuo loco relinquendus. Ex quibus vnica ſaliua in os effluit nonnunquam amara aliquantulum, nonnunquam ſalſa; verum et haec excretis annumerari potius debet.

§. XIII.

Supereſt tactus. Vbi primum ſtatim occurrunt, quae primae dicuntur. *Calor nimius*, aut *remiſſior*, ſeu frigus, *humiditas* vel *ariditas*, tam

tam in externis quam internis partibus, et maxime cute, quae vtique, ſi quis ad ſudorem ſe componat, vda eſſe ſolet, at nonnunquam, etiam medicamentis aſſumtis ſollicitata, nihil tamen eiusmodi oſtendit. Talis etiam *in lingua* praeter naturam eſt, quae in ſaliuali humore natare ſolet: item in interioribus colli. Dum haec ſcribo, nobilisſima quaedam matrona, ſeptuageſimum annum agens, poſt grauem tusſim, et ingentem copiam pituitae, e pulmonibus per integrum menſem redditam, de ſiccitate oris et narium, a meridie potisſimum redeunte, conqueritur, ita vt vix exſerere linguam posſit. Sequuntur has *Mollities* et *Durities*, ſed quae in morbis non attendantur admodum, niſi quod poſt illam flacciditas muſculorum obſeruetur a ſanguinis defectu, qui replere amplius fibras, vt turgeant, non poteſt. *Aſperitas* et *Lenitas* quoque non facile occurrant, niſi in lingua, quae et rimas agit in calidisſimis morbis, quod memorabile eſt, et altiori indagine dignum. Lenitas autem nuſpiam, quod meminerim, Naturae contraria occurrit. Praecipuum autem omnium qualitatum tactilium praeternaturalium eſt *Dolor*, qui omnibus prorſus corporis partibus contingere poteſt, et plurium morborum pedisequus eſt: imo vix aliquis eſt morbus, qui eum ſibi non comitem arceſſat: vix enim fieri poteſt, vt non aliqua humorum in curſu fiat mora, aut confuſio, non incraſſatio aut inpuritas adſit, vel acrimonia, aut flatus alicubi generentur, quae omnia dolorem facile inferunt, vt deinceps dicetur. Porro eſt differentia doloris, quod alius ſit pungens, alius rodens, alius findens, tenſiuus alius, tundens denique, lancinans aut terebrans. cet.

§. XIV.

Communes qualitates ſenſiles ſunt, vt dictum, quae pluribus vno ſenſibus cognoſcuntur, vt in *Situ* dilapſus membrorum ad lecti extremum, aut pedum directa praeter morem extenſio, aut ſi vitiatur poſt vulnera; vel luxationes, non recte ſanata, aut perperam repoſita oſſa. In *Magnitudine* exilitas et inminutio partis cuiusdam, vt collapſus alterius oculi, tumor pedum manuumue, et ventris, aut eius contra contractio. *Figura* mutata in facie HIPPOCRATICA, in auribus, item in conuulſionibus. *Motus* in iactatione membrorum. *Quietis* in anxietate, et reliqua.

§. XV.

§. XV.

Haec ſunt qualitatum praeternaturalium ſymptomata: quibus enarratis ad excretorum vitia tranſeundum eſt. De iis vero notandum, ſymtomata haec non eſſe nouum quid, quod ſuperueniat morbis, ſed valde καταχρηστικῶς ita dici. Sunt enim potius excretorum conditiones quaedam, probeque cauendum, ne excretionis actionem laeſam, cum excretis confundamus: Horum quinque in conſiderationem veniunt. 1) Subſtantia, 2) quantitas, 3) qualitates, 4) locus, 5) modus prodeundi. Haec ordine ſpectabimus.

§. XVI.

Ratione ſubſtantiae excernuntur vel ea, quae ex naturae legibus in ea ſunt, de quibus nihil eſt, quod moneamus. Vel quae bene habentibus nunquam inſunt, hoc eſt toto genere praeter naturam. Mihi tamen et haec diſcernenda videntur: vt quaedam toto genere ſint *praeter naturam*, quaedam toto genere *contra naturam.* Illa ſunt, quae naturalia quidem ſunt, et in corpore naſci poſſunt, ſunt tamen in eo non ſecundum humanam naturam: vt *calculi*, *arenulae*, *vermes*, *pus.* Toto autem genere contra naturam, vel, ſi mauis, ſupra naturam appello, qnae non tantum extra naturam humanam, ſed extra naturam vniuerſam haberi debent: duplicis rurſum generis, 1) ea, quae naturalia quidem ſunt, ſed plane in corpore humano naſci non poſſunt, vt *os humanum*, idque perfectum, in muſculis tibiae, aut femoris, *fruſtum metalli*, *lapidis:* vti et *animalia perfecta*, et alias nota, vt pediculi. Alterum genus eorum eſt, quae plane in natura rerum nuſpiam viſuntur, ſed hominum manibus fabricantur: vt fila conglobata, ferramenta, acus, claui, et iſtiusmodi. Haec appellari merentur toto genere contra naturam vniuerſam, quia repugnat prorſus, ſecundum naturae leges, etiam vniuerſae in corpore progenerari, aut naſci, ſed extra omnem naturae ordinem, vi quadam externa oportet eſſe intruſa, vel quocunque modo inmiſſa.

§. XVII.

Alia vero excernuntur, quae natura quidem corpori inſunt, ſed excerni debebant nunquam: vt ex fluidis ſanguis, aut ſerum, quod in vulneribus accidit grauibus, vbi glareoſa materia, quam ſynouiam, veteres

teres

teres autem τὸ ἰχῶρ (a) vocant, prope articulorum flexuras effluit: ex ſolidis autem pulmonis, renum, osſium, membranarum particulae, quae omnia naturalia quidem ſunt, ſed retineri in corpore, non excerni, par erat.

§. XVIII.

Deinde et quantitate peccant excreta; *Vrina*, in defectu ſaepe, in exceſſu rarius, et bono omine, κρίσει quadam. *Sudor* in exceſſu vno praecipuo morbo, hectica, vt dicetur capite proximo; deficit vero, quoties tranſpiratio laeſa eſt, conſtrictis poris: *excreta per aluum* quantitate peccant, quoties *vna vice inſolita copia eiiciuntur:* quod itidem ſaluti eſt, ſi criſi quadam, et vrgente natura euenit; *minori copia vero* non niſi ventriculo non faciente officium, et ex inopia profluunt, nam obſtructio alui morboſa ad actiones laeſas adſciſcenda. Mulieribus *menſtrua ſanguinis* purgatio et abundanter effunditur, et minuitur: verum et hoc morboſum eſt; Viris idem accidit circa *haemorrhoides*, ſed extra morbum, quorum deinde potius cauſa exiſtit, retenta materia vel abundante vel praua.

§. XIX.

Spectatur in iis et qualitas: vt eſt pro ſenſuum ratione varia, neque in iis tantum attenditur, quae quotidie excernuntur, ſed in his quoque, quae vi naturae illata eliciuntur ex venis. *Sanguis* enim inde emiſſus multis peccare modis poteſt, *craſſitie*, et nigredine, quae duo fere coniuncta ſunt, aliquando tamen et *viſcedine* ſeri, et *cruſta quaſi* lactea obductus eſt, ſed haec ad ſymptomata non pertinent, misſio enim ſanguinis artis eſt opus, non laborantis naturae. Neque potiori iure *menſtruus* huc trahitur, itidem naturae opus. Itaque ad ſigna quidem pertinet, non autem pertinet ad ſymptomata, niſi in morbis fluant tempore inſolito. Tum plerumque pallidus aquoſus et multa coloris varietate terret. *Sputum* crasſius et tenacius obſeruatur et ſpumoſum aliquando. Maxime vero inſpici *Vrina* ſolet, quae colore vel intenſo vel remiſſo eſt, ab aquea et limpidisſima per pallorem, flauedinem, rubedinem, ſpadiceo et fuſco, ad nigredinem vsque: de qua

(a) *De Ichoribus* doctisſimum ſcripſit exiguum libellum CASP. HOFFMANN, qui conferatur cum G. FABR. HILDANI libro ampliori de *Ichore et Meliceria.*

qua re in ſemioticis accuratisſime docebitur. Sed et *admiſtis alienis* recedit a naturali colore: ſanguine, pure, lentore quodam pituitoſo et albicante, bilis etiam aliquando admiſta flauedine iudicatur. Eademque et *crasſitiem* eius augent, quod conſiſtentiam dicimus, quae etiam alia eſt, ſi oleoſo lentore remittit a fluiditate.

§. XX.

Eadem ratione et reliqua excreta mutantur, vel crasſiora vel tenuiora prodeuntia, etiam *ſemen*, et *lac*: *Faeces alui liquidae* nimis vel durae ſunt, *ſpumoſae* itidem, verum et *albidae*, et omnis coloris expertes, vel *flauae* nimis obſeruantur, et hoc in infantibus potisſimum, in quibus et *virides*; *Nigrae* quoque, vel *varii coloris*, vel *ſanguinem* admiſtum habentes.

§. XXI.

Odor quoque excretorum obſeruandus eſt. *Sanguis* nonnunquam foetet, menſtruus maxime: quandoque et vena emiſſus. *Pituita* in naribus, *pus* in vlceribus, *ſputum* quoque, quod cum tusſi reiicitur, *ſudor*, *vrina*, quae et bene quandoque olet, ſed ab aſſumtis, idque adeo caſu quodam, alias nunquam non fracidum odorem ſeruans: niſi cum cito perfluens vias ſuas, mox a potu redditur, vrgente ſubſequo ſero. Sed aliquando praeter naturalem *foetorem* peiorem et inſuetum aſſumit, maximeque ingratum. Idem iudicium de *excrementis* eſto, quae itidem foetent natura, ſed in morbis ſaepe vltra modum et pesſime.

§. XXII.

Eadem excreta et ſapore variant, ſed quod explorare morum honeſtas et naturalis abominatio vetat: Solent tamen chirurgi *pus* nonnunquam linguae admouere, an ſalſum ſit, exploraturi. *Saliua* ſponte ſe prodit.

§. XXIII.

Denique tactiles etiam qualitates praeter naturam mutantur, primae praeſertim. *Pituita frigida* redditur cum ex palato tum naribus, ſi frigidus aër eam tangit: etiam per aluum vere prodire talem, Galeni obſeruatio eſt. *Calent* etiam nimis in calidis morbis ſanguis, praeſertim maniacorum, vrina, faeces, ita vt perurere videantur. *Frigidus*

dus ſudor erumpit in extremis conſtitutis et ſyncopticis. Ad tactum etiam *conſiſtentia* referri poteſt, ſed craſſior fere.

§. XXIV.

Praeter iſthaec alia excretorum praeternaturalis conditio eſt, ſi non ſuo loco prodeunt: vt ſi ſanguis ex naribus, oculis, pulmone, ventriculo, vel corporis, quod vidimus, poris. Guelferbuti cuidam, menſae cum ſodalibus aſſidenti poſt prandium, ad digiti auricularis radicem, nullo apparente vulnere, per porum quendam *ſanguis* ad vlnae altitudinem exſiliens per momenta aliquot inſtar fontis ſalientis proſiliit. Huc referas ſi *pus*, ſi *pituita* ex veſica per renes cum vrina prodit, ſi *vrina* per vmbilicum, per poros cum *ſudore*, ſi foeces per os, aut vulnus abdominis, ſi ex fiſtulis ſerum, aut per antiqua vlcera tenuis ichor, aut ex vulneribus commemorata.

§. XXV.

Poſtremo et tempore eſt, vbi peccant excreta, nimirum menſtrua vel anticipant, vel tardius, quam par eſt, mouentur; et his excretorum ſymptomata etiam enarrata ſunt.

CAP. IV.

IN QVIBVS MORBIS SINGVLA SYMPTOMATA OCCVRRANT, EORVMQVE CAVSAE,

ET QVIDEM PRIMO
DE ACTIONIBVS LAESIS PRIMAE REGIONIS

§. I.

Perſpectis iis, quae ad ſymptomata in vniuerſum pertinent, ad ſingula accedemus, eorum, ſi ex ſe non ſatis nota ſint, primum naturam atque definitionem daturi: deinde, in quibus morbis potiſſimum occurrant, ſubiungemus: tum cauſas eodem ordine exponentes, quo nomina eorum enarrauimus. Prima ergo claſſis rurſum

 continebit,

continebit, quae ad eos morbos pertinent, quibus chyli praeparatio laeditur.

§. II.

Appetitus deiectus quid ſit, nemo ignorat: cauſas dicamus. Ante vero quam id fiat, de cauſis ſymptomatum in vniuerſum denuo notandum videtur, quantumuis omnes actiones laeſae inſtrumenti ſui morbos ſequantur, non tamen hos ſolos eos perpetuo efficere, ſed cum non pauca etiam concomitantia ſint, parique, vt ſic dicam, ambulent paſſu, ſaepe et cauſam communem ſequi, ſaepe etiam ſymptomata alia: itaque, tametſi morbum cauſam agnoſcant vt plurimum, poſſunt tamen et laedi influentibus, non bene habentibus, vel etiam prohibitis, cum ſanguine ſcilicet, tum ſpiritibus. In his omnibus ergo cauſae eorum quaerendae ſunt, et hoc vbi fit, a remotis id cauſis fieri exiſtimandum, vbi illud, a proximis.

§. III.

Deiicitur ergo appetitus 1) *a fermenti in ſtomacho defectu, inertia*, vel vbi deſit, vel vbi obruitur, et tum ſaepe ad morbos refertur. 2) *Spirituum culpa*, qui vel diuertuntur, vt in magnis doloribus; vel deficiunt, vt in morbis grauibus, et diuturnis. *Nauſea* etiam ab iis ſolis producitur, occulto modo affectis. *Occurrit* hoc ſymptoma *in febribus* cuiusuis generis, et ab his inſeparabile fere eſt, disſipatis iis, vel nimio motu aliorſum euocatis: poſt illas, in omnibus *doloribus*, eadem de cauſa: et hinc in *calculo*, *podagra*, *etc.* porro in *animi affectibus*, perpetua certaque lege: tum autem ſymptoma non eſt: denique in qualibet magna *inbecillitate*, vbi eorum paucitas in cauſa eſt. In virginibus, menſibus ſubſiſtentibus, et grauidis a ſpirituum male affectorum conditione eſt.

§. IV.

Sitis ex ardore nimio prouenit, quia exſiccat. Eſt enim ſitis deficientis humidi deſiderium; omnes igitur *morbi calidi* hunc comitem habent, tum, quae fauces aridas reddunt, vt aëris reciprocatio, frequenti reſpiratione, qua ſaliua vel diſpellitur, vel retinetur intra ductus, eorum oſculis obſtrictis. *Inbecillitas* ſitim quoque facit, quia ſpiritus disſipati, citam reſtaurationem poſtulant, quod ſentiens natura, experientia et conſuetudine monita, potum poſtulat; citius enim potus eam

praeſtat

praeſtat prae cibo, ſpirituoſus praeſertim. Hinc *ſalina* et *ſalita* nominanda ſunt, ſtimulant enim membranam oeſophagi, incenduntque exſiccatam: ſal enim exſiccat. Eadem ratio eſt *venenorum*, *Hydrophobiae* maxime, vbi vehementer incaleſcunt partes et ardent, vnde et anhelant. Nouisſime et *euacuationes* largae eam ſequacem habent, cuius rei cauſa in aperto eſt.

§. V.

Appetitus laeſi conſequens aliud ſymptoma eſt *Atrophia*, et *macies*; quae tamen et alias cauſas habet: nutrimenti tamen quicunque defectus et abſtinentia praecipua eſt, et communis. *Igitur* et grauidae, vomitu asſidue reiicientes cibum, emaciantur, et qui naturaliter pauca comedunt, foetu partem abſumente. Licet vero alimenti ingeratur ſatis, *chylus* tamen *interceptus*, vel a vermibus in inteſtinis, vel glandulis meſenterii, ſcirrho affectis, idem poteſt, et ſi chylus *lienteria* extra corpus profluit: quod et in vlceribus antiquis fiſtulisque obſeruatur ſub iuris ſpecie aut ſaniei eo elabente. *Diarrhoea* diuturna idem minatur, tum eadem cauſa, tum et ſero asſidue eiecto.

§. VI.

Atrophia vero *partis* cuiusdam aut membri, eſt ſymptoma luxati, nec in integrum reſtituti articuli, compresſionis arteriae magnae, ſuccum vitalem aduehentis, per quam ſanguis influit, aut nerui, per quem ſpiritus. Tum ſaepe et morbus eſt.

§. VII.

Pica et malacia ſymptomata *inpraegnationis* appellari queunt, ſi tamen hoc nomen merentur, quae non ex morbo, vere dicto, ſed quaſi tali contingunt. Eſt tamen, vbi et puellis accidit, ſed raro, tum vero morbus potius. *Eſt autem pica appetentia abſurdorum*, *malacia naturalium, ſed nimia.* Cauſa vtriusque in occulto fere eſt; quidam ſpiritus accuſant, alii humorem in plicis ventriculi inhaerentem: vtrum vero ſimilis ſit rei, quam appetunt, an contrariis, digladiantur medici; nemo vero eorum rationes affert, quae exſatiant lectorem. Idem de *canino appetitu et bulimo* affirmaueris.

§. VIII.

Deglutitio laeditur in colli tumoribus et inflammationibus faucium, frequentiſſime vero glandulis animellis et proximis tumentibus, vti et muſculis oſſis hyoidis, oeſophagi, aut laryngis, tum enim contrahere ſe illi, et pharyngem attollere promte et ſine dolore nequeunt. Eſt etiam, vbi ſpirituum animalium in colli neruis ſtupor in cauſa eſt, vt in paralyſi: hinc animam agentibus refluit ex ore, quod medicamentorum infunditur. *Tumor glandularum oris et linguae* etiam inpedit deglutitionem, vias obſtruens, quod in aperto eſt. *Angina* eam nunquam non comitem habet.

§. IX.

Singultus duplicis generis eſt: quidam ventriculo, quidam diaphragmate ſtimulato accidit. Ille voracitatem, repletionemque nimiam; hic inanitionem (ſpirituum defectum) agnoſcit cauſam: ex inanitione eſt, qui malignis morbis ſuperuenit, aliisque lethalibus, quo veterum dogmati ſatisfit. Vidimus chirurgum, qui tertiana continua laborabat, in qua depellenda negligentius ſe gerebat, tandem ſingultu ſuperueniente, et per vices repetente, eo interiit. Alter ex ventriculo, et ex nimia guloſitate, infantibus mammis nimium frequenter admotis per eſt frequens, ac ſaepe vomitu ſuperueniente ceſſat. Eſt autem ſingultus nil niſi conuulſio fibrarum vel ventriculi, ſimul trahentis diaphragma, vel diaphragmatis, trahentis ventriculum: cauſa irritatio ſpirituum, vt in aliis conuulſionibus, inflammatio etiam, ſed raro. Fit autem in oeſophagi fine, ſeu orificio ſuperiori, vbi tanta neruorum apparet copia. *Ructus* ad qualitates mutatas pertinet.

§. X.

Vomitus in ventriculo primum, tum et inteſtinorum quibusdam morbis per conſenſum excitatur. Quocunque *ſtomachi tumore*, inflammatione, inpletione nimia, et quicquid irritare eum poſſit; itaque in arſenico venenoque acri omni, quod moleſtum eſt, excutere tentat. *In Ileo* alterius exemplum eſt, praecluſa fecibus via, et inuerſo motu periſtaltico, Multo vero longius *per conſenſum* extenditur vomitionis inperium: In omnibus *capitis vulneribus* grauioribus, cum fractura cranii, in *hemicrania* menſtrua (qua vidimus virginem in Gallia quouis inſultu vomitibus per duodecim horas afflictam) *contuſione oculorum*,

rum, *vertigine*. In *calculi paroryſmo* initio frequens eſt: in *tertianis* et *quartanis* febribus, in *pasſione hyſterica*, et *hypochondriaca*, denique *inflammatione* viſcerum. *Cauſa* vomitus irritatio mediae membranae ventriculi, quae tota nervea eſt, aut fibrillarum, in intimam deſinentium, quae illico externam carneam in conſenſum rapiunt, ſiue ab acri id fiat deglutito, ſiue a conſenſu neruoſi generis inter ſe, ſiue abſceſſu, aut tumore ventriculi, ſiue a ſpiritibus irritatis.

§. XI.

Haec ventriculi ſunt: ſequuntur ſymptomata inteſtinorum. 1) *Diarrhaea* (nam Coeliaca et Lienteria morbi ſunt.) Haec *alui fluxus* eſt, *et excretio frequens, quatenuis materia, ſero bileque miſta, cum paucis excrementis excernitur*. *Cauſa* eſt acrimonia irritans inteſtinorum tunicam, in motum periſtalticum nimium. Saepe fit beneficio naturae, ſi venter nimia ciborum copia gnauatus eſt: vel *potu cereuiſiae faeculentae* ac flatulentae fermentatio oritur, aut fructuum horaeorum nimio uſu. Naturae hoc opus, nec metuendum hinc quicquam mali eſt. Ex morbis autem, quibus ſuperuenit, praecipuus eſt *Phthiſis deſperata*, *variolae*, *morbilli*, *maligni febres*, et tum fere colliquatiua vocari haberique ſolet: putarunt enim antiqui, colliquari amplius ſanguinem et amittere conſiſtentiam ſuam. Infantibus familiaris eſt, praeſertim *dentitione* laborantibus, *vermibus* quoque, denique *colliquatiuis venenis*, ſi modo ſint talia. *Cauſa* diarrhoeae remotior plerumque fermentatio eſt, in ſanguine exiſtens, aliquando in inteſtinis, ſed tum ſaepe morbus eſt, vel naturae conatus ſalutaris, diſtinguenda ſollicite ab altera, ne is inpediatur vllo modo, non enim hoc fieri poteſt citra magnum periculum.

§. XII.

Teneſmus ſequitur, qui eſt moleſtus in ano ſenſus, ac irritatio, vt quis aluum laxare cupiat, ſed fruſtraneo conatu. Hic in inteſtini recti *tumoribus*, item poſt *dyſenteriam*, ſphincterem ſollicitantibus, acris humoris reliquiis fere obſeruatur.

§. XIII.

Symptoma etiam eſt alui obſtructio, ita vocata, non quod anus vere obſtructus ſit, ſed quod feces periſtaltico inteſtinorum motu non protrudantur, cuius rei variae ſunt cauſae: quibus percognitis, ſimul

in

in quibus morbis obuia ſit, diſci poteſt. Eſt autem vel inteſtinis, vel fecibus, vel externis rebus inputanda. Primum *ſenſus inteſtinorum imminuitur*, vel plane etiam *aboletur* in paralyſi. Videmus et ſenes ſegnius egerere a ſpirituum animalium debilitate, vel penuria. *Fecibus* ipſis inputatur, quoties non ſentiuntur a fibris internae tunicae, aut mediae potius, quod fit, quoties non multae adſunt, ſiue eſurire cogamur, ſiue non reſpondeat appetitus. Hinc multorum haut leuis error, dum in febribus, aliisque morbis, niſi quotidie ſit aluus aperta, continuo cliſteribus eam ſollicitant, ſtimulant et vel laxantibus ſunt moleſti, neque conſiderant, parum admodum tunc aſſumi, itaque egeri multum non poſſe.

§. XIV.

Secunda ratio eſt, ſi *exſiccentur*: quod rurſum in febribus accidit, et omnibus diuturnis morbis: illic a calore interno; hic externo lecti, et a quiete: quibus omnibus humido aliorſum ablato, arctius comprimi poſſunt, neque ſentitur earum noxia acris materia, bilis, inteſtina alias admonens. Quod vbi contingit, mirum non eſt, parum vel nihil excludi. Exſiccantur porro, quia parum liquidi aſſumitur, vnde cetera recte valentibus, puellis praeſertim, magnae de obſtructione et frequentes querelae ſunt. Exſiccat etiam calidiorum potus, vt vina Gallica, Hiſpanica, Graeca, et antiqua. Rhenanum mitius, plerumque aluum laxat, niſi nimis ſit calidum. Poſtremo *externis rebus* inpeditur aluus, ſi motus ceſſet. Segniores etiam in ea deponenda ſunt omnes, qui vitam amant ſedentariam. Eſt et huc pertinens *compresſio inteſtinorum*, quae praegnantibus accidit, a tumente et incumbente vtero. Quandoque et intra inteſtina externi quid haeret, vt in malo Iliaco. Sic ſcybala duriora, eorum anguſtias occupantia, aut calculi in plicis eorum; ſed hic morbus eſt, non ſymptoma.

§. XV.

Vt autem excrementis alui, ſic etiam *Vrinae* via obſtruitur, vnde *Dyſuria* h. e. difficultas eius, et *iſchuria*, ſeu eius plenaria oppresſio, et *ſtranguria*, ſiue ſtillicidium eius. Omnia iſthaec fere in calculo adſunt, ſiue iam peluis in renibus calculis ſit oppleta, vel vreteres obſtructi ſint, vel ipſa veſica maioribus calculis ſit obſeſſa. Neque tamen horum quid fieri, ſemper neceſſarium eſt. Plerumque enim *ſpaſmum*

in

in culpa eſſe, credibile eſt: ſiue tubulorum renalium, ſeu vreterum, maxime in dolore, qui ex acri ſenſu tranſeuntis, vel vrinae, vel ipſius calculi oritur. Quod in ſtranguria patet, vbi non raro calculus nullus vrget, tamen ea affligit. Nam ſaepe ex ſola acri, et non ſatis percocta cereuiſia inducitur. Nonnunquam et in febribus vrina ſupprimitur, aliorſum rapta: quod in hydrope etiam frequens, ex eo, quoniam omnia ſero preſſa atque adſtricta ſunt, plenitudine aquarum ventrem occupante, ſpasmo tamen nonnunquam concurrente: et tum vnicum et praeſentaneum remedium eſt Paracentheſis, qua adminiſtrata, ſtatim incipit fluere. *In hypochondriacis* porro, modo nimium vrinae redditur, modo nihil eius. *Stranguria* autem in *Lue venerea* familiaris, et fere ſignum eſt rodentis in pene puris ex vlcere, et *gonorrhoeae*.

§. XVI.

Superſunt genitalium partium morbi, quae habeant ſymptomata, indicare: quae, cum his ſeorſim competant, ad ea in vniuerſum non pertinet de iis agere: recenſebimus ea tamen. Praecipua vero ſunt Luis Venereae *Gonorrhaea virulenta*, exulceratis proſtatis aut veſiculis genitalibus generata: vlcuscula penis ad glandis terminum, ſub praeputio: virulenti bubones, qui ſi recedunt, ſequitur Lues conſummata: tum ſuperueniunt *dolores artium*, exulcerationes, et tubercula. Omnia vero iſta ex fermento maligno ſanguini infuſo propullulant: ſuperuenit *laſſitudo* et *dolor artuum*, *capitisque* perpetuus, mox *tubercula* cruſtam ducentia conſequuntur, per corpus totum ſparſa: *vlcera oris*, *palati*, *viſcerum*, *raucedo*, *oſſium*, *cartilaginumque eroſio*, *conſumtio*, *tabes*, *exoſtoſes*, *vlcera ſinuoſa*, *fiſtulae*, quas lento pede inſequitur mors. Tot imo plurima ſymptomata hic morbus vnus habet.

CAP. V.

DE ACTIONIBVS LAESIS, QVAE AD MEDII VENTRIS VISCERA PERTINENT.

§. I.

Ex his praecipua, quae morbos patiuntur, cor et pulmones eſſe, notum eſt. Horum ſymptomata, in morbis obuia, ſequentia ſunt Cordis quidem eſt *palpitatio*, quae eſt *Pulſus ſupra modum vehemens et*

concitatus, in tantum nonnunquam excreſcens, vt praetereuntibus in platea exaudiatur, manumue admotam thoraci repellat. Haec, ſi nihil aliud praecedat, manifeſto morbus eſt: in *hypochondriaco vero malo* ſymptoma, item hyſterico, et *menſium obſtructionibus* frequens. Prouenit, vel a craſſitie, vel coagulatione ſubitanea ſanguinis, vel ab Aortae, vel pulmonalis arteriae obſtructione prope cor, vt in Polypo, vel iisdem oſſeis aut cartilagineis redditis, quod Ceruis accidit: inde enim os de corde cerui, quo fit, vt propelli influens ſanguis non poſſit, negata contractione arteriae.

§. II.

Huic opponitur *pulſus oppreſſus* et *ſuſpenſus*, imo plane nonnunquam ceſſans, vt in *Lipothymia*, quae *eſt* (vt vox Graeca ſonat) *deliquium animi*, *ceſſantibus* ſenſibus et perceptione ac motu. Haec prouenire creditur a ſanguinis influxu ſublato, idque ex veterum doctrina, qua motus cordis a ſpiritu vitali fieri credebatur. Nunc vbi is ſpiritus exſpirauit, animalis ſpiritus in eius locum ſucceſſit. Dubitari vero poteſt, deficiatne pulſus, quia is non influit, an ille non influat, quia non pulſet cor. Tam arcte enim haec ſibi innexa ſunt, vt aeque difficile ſit dictu, atque illud olim credebatur: ouum prius an Gallina fuerit? nec minus friuola eſt quaeſtio. Non magni enim refert, quicquid eligas, ſed inanis eſt concertatio, ad curationem nec quicquam faciens. Si quis tamen vrgeat philoſophum, ad hominis primordium recurrere iuuabit, vbi cor principium vitae et motus omnis eſſe conſtabit: quod, antequam ſpiritus illi animalis fabricetur, et dum cerebrum adhuc liquidum eſt, moueri cernitur, ſola vitali, quam in ſinu ſuo fouet cum ſanguine, anima mouente. Neque enim prius quam ſanguis, materia vnde ſeparatur, ſubminiſtretur, fieri poteſt: id vero fit per pulſum. Sed hoc relicto, redeamus in viam. *Superuenit* Lipothymia, 1. *magnis vulneribus*, aliisque *ſanguinis profuſionibus*, indicio certo, defectu materiae id fieri, vnde ſpiritus fabricentur. 2. *Febribus malignis* et *peſti*. 3. *Summae debilitati virium*, cum alibi, tum *hyſtericis paſſionibus*, vbi maxima, et ſaepe triduana obſeruata eſt. Denique in magnis animi commotionibus, vbi diſiici ac diſſipari videntur: ſed id huc vix pertinet. Vulgo tres eius memorantur gradus: I.) λειποθυμια, vel λευποψυχια, quae et, vbi leuis eſt, εκλυσις dicitur. II. Συγκοπὴ, III. Ασφυξια, quae eſt cum omnimoda ceſſatione pulſus:

ſus: cum in ceteris cor leniter pulſat, et debilius tantum. Addit AETIVS: (a) In ſyncope inſuper *ſudorem frigidum* erumpere, in Lipothymia non item: qui inde *Syncopticus* appelletur. Quae vt recte habent, ita quod SENNERTVS de cauſa tradit, ſpiritus vitales a corde cerebro non ſubmitti, commode explicatum, noſtram aſſertionem firmat.

§. IV.

Eſt et *Tremulus pulſus*, qui tremorem cordis cauſam habet, et a palpitatione cordis diuerſus eſt: de quo GALENVS. (b) Aliud certe eſt contremiſcere, aliud palpitare cor, hoc eſt ſupra modum contrahi et moueri. *Occurrit* in malignis morbis fere, et moribundis, neç alibi facile.

§. V.

Sed cum pulſus ſit actio cordis propria, et ſimul vitalis in corpore vnica, qua ceſſante, ceſſant et reliquae, vt vita ipſa erepta videatur, paulo curatius pulſatio meretur excuti. Factum vero id a nobis iam dudum eſt, *diſſert. ad* WEDELIVM de Pulſu: quo poſſumus remittere lectorem. Vt vero per compendium ea tradamus: *quatuor* differentiae praecipue attendi poſſunt. *1.) Magnitudo*, qua ſpatium, per quod arteria, dum attollitur, ſe extollit, *2.) vehementia*, qua robur cordis aeſtimatur, *3.) frequentia*, *4.) celeritas*. In ſingulis iſtis quatuor illa actionis laeſae genera occurrunt: eſt enim in iis exceſſus et defectus itemque abolitio ac deprauatio. Quo octo genera pulſuum praeternaturalium occurrunt, qui ad leges naturae in his omnibus mediocriter habent. Horum autem quatuor exacte menſurari nihil poteſt, praeter frequentiam. Compertum autem, eum pro varia aetate varium deprehendi: in optima vero conſtitutione, aetate optima, minuto quolibet, hoc eſt ſexageſima horae parte circiter ſeptuagies eum recurrere. Haec ergo norma, et mediocritas, ad quam exigere eum, in morbis fas eſt. Varius tamen adhuc, pro idioſyncraſia ſingulorum, ad quam, ſi reſpicere, vt par eſt, velis, exploratum ante habeas, qualis ſiet. Quamdiu enim huic reſpondet natura, bene ſe habet, vbi ab hac norma recedit, frequens aut rarus naſcitur, plus minusue pro cauſae ratione. At in reliquis, magnitudine, robore, celeritate difficile eſt; Imo vix licet exactam mediocritatem conſtituere:

(a) *Tetrabibl. II. 1, 3.* (b) *Lib. de Palpit et tremore.*

Neque enim arteriae dilatatio et conſtrictio vlla menſura agitari poteſt, adeoque nec exceſſus eorum aut defectio terminari, ſed id omne medici iudicio relinquendum, vſuque ac conſuetudine addiſcendum eſt. Robur vero iudicatur ex magnitudine et celeritate, quibus vehemens pulſus conflatus eſt, vt in *Diſſ. de pulſu* antea allegata, oſtendimus.

§. VI.

Hinc iam naſcuntur octo illae pulſuum conditiones, vt magnus et paruus, celer et tardus, frequens et rarus, robuſtus ac debilis celebretur: quorum omnium tactus eſt iudex, pulpa trium digitorum admota: raro (vt in palpitatione cordis) etiam viſus et auditus, idque per accidens, quod cor, vltra modum commotum, vicinas partes attingens, nimio exceſſu commouet, ac percellit. Non autem niſi vſu et exercitatione diuturna differentiae iſtae exacte cognoſci queunt, priore excepta: Menſuram eius exactius inire conatus eſt non ita pridem nobilis quidam Anglus, IOHANN FLOYER, lingua vernacula conſcripto libro, vbi ad horologii exactitudinem exigit pulſationum numerum, qui liber transferri in noſtrum idioma prae multis aliis meretur, etſi in multis etiam inpingat auctor. (c) Verum iſta diligentius examinare, vel tradere omnia, hic non eſt locus: praeſertim cum de pulſu pluribus nobis, iterum ſit deinceps agendum in ſemioticis. Interim, quo referre velint pulſum auctum, qui actionem auctam negant, et an ille etiam a deprauato hic diſcernendus non ſit, cuperem ab iis diſcere. Nam actionem laeſam hic eſſe, nemo eorum non agnoſcet.

§. VII.

Superſunt autem adhuc abolitus, et deprauatus. Sed *aboleri* pulſum in lipothymia demum, antea diximus, vbi illa extreme eſt fortis: Interim alio etiam modo deficit, vbi non plane deeſt, ſed alternis vicibus pulſat, et delinquit, ita, vt vnus et alter tantum omittatur, reliquis rite conſequentibus: quem *intermittentem* vocant. *Deprauatus* vero ab auctoribus in *inaequalitate* ponitur, eaque duplici, imo *triplici*, quadruplici pro quatuor generibus, ſupra enumeratis, vt ſit *inaequalis*, vel ratione magnitudinis, vel celeritatis, vel frequentiae, denique et debilitatis,

(c) Titulus eſt: *The Phyſiccians pulswatch, or an aſſay to explain the oldart of feeling the pulſe, and to improue it by the help of a pulswatch.*

debilitatis, vbi magnitudo forte plane deſiit. Haec de generibus pulſuum p. n. erant dicenda. Nunc cauſas eorum ſubiungamus.

§. VIII.

Magni ergo *cauſa duplex praecipue* eſt: *Cordis robur et copia ſanguinis;* accedit tamen tertia, rarefactio. Cum enim ſanguis elaſtica vi polleat, calore expanditur vehementer, et frigore concidit. Vbi ergo magnus calor eſt, ibi et rarefit, et magis inplet arterias, easque propulſus altius attolit. *Parui* contra cauſae erunt *cordis debilitas*, quae a ſpirituum vel defectu, vel debilitate vel oppreſſione prouenit, *et ſanguinis defectus*, vel *in ſe receſſus ac collapſus*, fieri enim non poteſt, vt debilius inpulſus fortiter agat in arteriam, nec vt parum eius totam inpleat, adeoque propellat in pulpam digitorum.

Frequentis pulſus cauſa eſt vel concitatio cordis vehemens, ſiue a motu ſpirituum, ſiue acri calore, ſiue ex paſſione ſpirituum, ab affectibus animi prouocatorum, ſeu denique ab extrema inbecillitate eorum, et ſanguinis defectu, tum enim ſaepiſſime incurrunt, et mouent parum, vnde celerrime reiicitur ſanguis, ſed tum ſimul exilis eſſe ſolet. *Rarus* huic oppoſitus ab oppoſitis cauſis fieri oportere videtur: Eſt autem is in ſanis quidem frigidae intemperiei, in morboſis autem languoris ſpirituum, aut oppreſſionis eorum indicium. *Celeritas* denique ex ſanguinis paucitate, et incitatione ſpirituum, quae cor parum fortiter mouet, coniuncta naſcitur; *Tarditas* vero ex inbecillitate ac languore ſpirituum, indeque cordis. Raritati iſta ſaepe coniuncta eſt. *Robur* denique pulſus a cordis robore, *debilitas* ab eius debilitate totus pendet. De his omnibus accurate et abundanter egimus in diſſertatione de pulſu.

§. IX.

Pulſus vehemens, cum ſit ex magno celerique compoſitus, vt ſatis ibi quoque demonſtratum eſt, duplici ex cauſa naſcitur, cordis robore, et eiusdem irritatione. Nam ſanguinis copia eum quidem non parum adiuuat, augetque, attamen tam neceſſaria non eſt, vt non poſſit abeſſe plenitudo venarum: compenſat enim eius defectum celeritas, qua contrahitur ſiniſter thalamus, et dum celerrime proficit ſanguinem in tunicam arteriae, eam altius attolit, quam prius. Haec omnia ex palpitatione cordis cognoſcuntur, vbi et noua vehementiae cauſa

 patefit.

pateſit. Obſeruationes enim nos docuere, eam plerumque in palpitatione fieri ex eo, quod polypus cordis et cogulatio ſubſit, vel calculus in corde, vel arteriae cartilaginea durities, aut quicquid tandem influxum in arteriam inpedire queat. Tum enim cor, affluentibus copioſe ſpiritibus, ac ſi ſenſum obnitentiae haberet, fortius inſurgit, et expellere, quod moleſtum eſt, laborat. Merito ergo recentiorum quidam craſſiorem ſanguinem magnitudinem et frequentiam pulſus augere, et in febribus genuinam eius cauſam eſſe, ſuſpicati ſunt. Verum tamen hoc nondum compertum eſt experientia, ſed vlterius inquirendum.

§. X.

Deprauatus autem pulſus qualis et vnde ſit, etiam dicendum. Eſt ille plerumque in rythmo peruerſo, quod quid ſit, prius dicendum, quam reliqua intelligi posſint. Eſt autem vox ex muſices praeceptis petita, qui rythmum appellant concentuum inter ſe proportionem, qua menſura temporum varia, quibus toni proferendi ſunt, obſeruatur. Huius rythmi menſuram manus vel baculi aequali ſemper motu metiuntur praefecti ac dirigunt, qui in tanta cantus varietate perquam varius eſt et multiplex. At in pulſu ſemper idem eſt, tempus exacte ſeruans, tam in arteriae per ſanguinem elatione, quae *magnitudinem* pulſus efficit, quam *celeritate*, ſeu ſpatio, quo decurrit a cylindri ſublationis initio ad finem, et interualli, quod inter vnum atque alterum pulſum intercedit, quod *frequentiam* terminat. Quamdiu itaque naturalis et vna eademque proportio eſt pulſuum, ευρυθμως pulſus vocatur: ſimul autem vel in vno vel altero, vel tertio ab aequalitate deflectit, inaequalis et ἀρυθμος appellatur, et eſt is, quem quaerimus. Quadruplex ergo et hic genus pulſus inaequalis deprehenditur, pro quatuor conſiderandi iſtis modis. Et haec inaequalitas ſimplex eſt: Quas autem SENNERTVS ex GALENI doctrina recenſet, compoſitas, praeteriri hic tuto queunt, partim enim falſae, partim inutiles, partim et incomprehenſibiles ſunt: Vt enim GALENVS tanquam Aſiaticae prolixitati innutritus ad amplitudinem ſermonis et floridam eloquentiam admodum inclinat, plusque ſaepe ingenio, quod vberrimum erat nactus, indulget, quam erat opus, ita et pulſuum doctrinam, quatuordecim libris diſtinctis prolixe tradidit, quos, ſi quis iis ſatiari cupiat, ipſe legat oportet: aut *Mercatum de pulſibus*, qui ea miſit in compendium, mox iterum laudandus. Nobis compendii ſtudioſis ea non placet vl-

tra

tra modum extendere: iniquum enim exiſtimamus, memoriam dicentium tot inaniter quaeſitis, et vnde nulla vtilitas in arte facienda ad eos perueniat, dogmatis onerare. Quae nos *diſſertatione de pulſibus* tradidimus, ſufficere poſſunt, conferri tamen etiam cum his poteſt *Bellini liber de pulſibus*, ſed ex noſtris corrigendus eſt: multa enim et illa nimia ingenii ſubtilitate inutilia conquiſiuit. Denique et *Floyerus* conſuli poteſt, qui ſatisfacere abunde poſſunt.

§. XI.

Obſeruantur autem hae pulſus varietates non in omnibus morbis omnes, ſed maxime omnium in morbis acutis, et febribus tam continuis, quam intermittentibus. Eſt enim pulſus frequens febrium omnium iſtarum proprius fere, ſine quo nulla febris eſſe poteſt. Sed et magnus, in omnium principiis debilis, et paruus in fine, vbi morbus vincit, celer et frequens in medio fere. Et ille quidem etiam perpetuo febribus adeſt, modo magno et vehementi, modo paruo et frequenti adiunctus. Maior frequens et celer *inflammationibus* adeſt quoque, qui ſi celeritate magna incurrit in digitos, et eadem repellitur, *Durus* vocatur, et eſt etiam ſcyrrhi, et obſtructionis rami arteriae, ac conuulſiuae tenſionis: cognitu difficilis hic eſt. At pulſus *deprauatus*, et *rythmo peccans* et *inaequalis* praecipue in morbis malignis regnat. Longum foret omnia perſequi, quod fiet in ſemioticis, mox tradendis, quo et pertinent haec. Peculiari libro id fecit vbertim LVDOVICVS MERCATVS, (d) plane ad Galeni mentem, qui omnium accuratisſime, et ſupra modum per minutisſima ſe diffundens, perque omnes morbos eundo id praeſtitit. Neque SENNERTVS non abundanter in his verſatus eſt.

§. XII.

Quae reſtat *Anxietas* ab oppresſione cordis euenit. Ea autem duplicem cauſam habet: Cum ſanguini per pulmonem tranſitus denegatur, et difficilis redditur, et cum coagulatur atque incraſſatur. Primum fit *in quauis reſpiratione difficili*, quia, dum non inflatur et attollitur pulmo, incumbit vaſis vtriusque generis, illaque deprimit, liberumque ſanguinis tranſitum prohibet, ſtagnat ergo, et in cor regurgitans, illud in ſanguinem eiiciendi conatu inpedit ac moratur?

(d) *Libro de pulſibus inſcripto.*

ratur? vnde dolor naſcitur compresſiuus. Idem accidit, dum craſſus et coagulatus ſanguis ſe ipſum impedit, eiusque pulſui reſiſtens, iniicit moram. Sed etiam ipſe ſanguis, naturali conſtitutus modo, nimia copia iniectus, pulmones replet, dum pulſus frequentior celeriter ſe conſequitur, plus per amplum arteriae os iniiciens, quam per anguſta foraminula effluere tam cito posſit. Haec cauſa eſt, quod *in omnibus benignis febribus* leuis quaedam doloris et anxietatis ſenſus eſt, ob pulmonis inpletionem: *in malignis* vero, ob ſanguinis coagulationem, multo maior percipitur. *In aſthmate* quoque obſeruatur a tuberculis aut lapillis, aſperae arteriae ramulos obſiſtentibus. *In hyſtericis pasſionibus* nimis ſane frequens, et *in hypochondriacis* ex coagulatione. Ex eo etiam eſt, quod graui ac difficili morte, multa cum anxietate, quibus pulmo repletus pituita viſcida vitam eripit, moriantur.

§. XIII.

Poſt ſymptomata, quae cordis accidunt vitio, ſequuntur ea, quae ad Reſpirationem pertinent. Eius tantus eſt cum pulſu connexus, tanta conſpiratio, vt huius et magnitudini et frequentiae plerumque exacte reſpondeat. Aboletur ergo *in lipothymia*, nam corde non pulſante protenus etiam pulmo quieſcit; inminuitur, labante vitali ſpirituum robore, cietur, vrgente corde, et nimio ſanguine inpletis vaſis pulmonalibus, quod vel curſu celeriori inſtituto, diſcere cuilibet licet: tum autem vicisſim cor pulſat fortius, quia nimis irruente aëre veſiculae et bronchiae pulmonales nimis repletae vaſa, circa ſe ludentia, tenuisſima comprimunt, vt ſanguis tranſire non queat: itaque et anxietas illico coniuncta his eſt, cordeque eodem modo vrgente ſtagnantem quodammodo ſanguinem, quo antea dictum eſt. Eadem ratione, in extremis conſtituti magno anhelitu et reſpiratione frequentisſime iterata aërem appetunt arceſſuntue. Deficiunt autem ſub tanto labore tandem animales ſpiritus, et tunc tam alte attolluntur coſtae, vt etiam ſcapulae ab iis ſimul ſurſum eleuentur, quia aër deficere tunc incipit, quod fere vltimi flatus inſtantis ſignum eſt. Ex his cognoſci poteſt, *in quibus morbis* difficilis reſpiratio eſt: omnibus ſcilicet, vbi cor pulſat, plus quam par eſt, vbi vel aër, vel ſanguis ſtagnat. Tum praeſto eſt anxietas, in febribus. *In aſthmate*, quia fiſtulae aëreae calculis, tuberculis, aliisue obturantur, aër difficulter admittitur. Eſt etiam

difficilis

difficilis et breuis reſpiratio omnibus gibboſis, quoniam pectus non poteſt, quantum ſat eſt, dilatari.

§. XIV.

Vt vero in his Inſpiratio inminuitur, ita in tusſi exſpiratio laborat, non tam morbo tamen, quam natura ſibi auxilio veniente. Eſt enim tusſis iterata et frequens exſpiratio, occluſa rimula laryngis, et ſubito aperta, preſſura diaphragmatis ac thoracis inſtituta, ab irritatione in bronchiis pulmonis ad excutiendum, quod moleſtum eſt. Ad *auctam ergo exſpirationem*, vt difficilis reſpiratio ad inminutam inſpirationem referenda eſt. Ceterum eſt etiam conuulſiua tusſis, ex neruorum irritatione, aut ſpirituum animalium, quoties ad eos vsque acrimonia ſeri, quae tusſis praecipua cauſa eſt, penetrat. Eſt et *Aſthma conuulſiuum*, ſed quod morbis accenſendum: quo, dum muſculi intercoſtales aut diaphragma conuelluntur, attolli ab illis coſtae non poſſunt: Nam hoc accidit, ſiue illae, ſiue hoc ſtringantur: etſi de intercoſtalibus notandum, conuulſis verſus principium exſpirationem, non inſpirationem cohiberi.

§. XV.

Eſt autem tusſis modo morbus, ſi ſola ſit, vt frequentisſime, modo ſymptoma, ſi aliis ſe morbis adiungit: quod fit *in phthiſi*, *peripneumonia*, *pleuritide*, *Aſthmate* nonnunquam. Nonnullis *virginibus*, *dum menſes inſtant*, tusſicula familiaris eſt, eaque ſicca, quia ex conſenſu fit, nulla materia in pulmonibus obuia, quam excutiant: vnde, iis fluentibus, confeſtim deſinit. Etiam *pueris*, *vermibus laborantibus*, per occultum quendam neruorum ſenſum adeſt, itidem arida: vermes enim rodentes plusquam capillares neruorum inteſtinalium fibras, efficiunt, vt fibrae pulmonum etiam irritentur, per plexum renalem, qui cum plexu thoracico communicat.

§. XVI.

Hic SENNERTVS ἄπνοιαν, hoc eſt, abolitam penitus reſpirationem negat dari, eam enim, etſi ad ſenſum nulla fiat, aliquam tamen fieri. Neque enim pulſum, nec reſpirationem vnquam penitus ceſſare, dum viuit homo. Sed nihil obſtare videtur, conſeruari vitam etiam vtroque ceſſante. Nam compertum eſt vſu, tam ſuſpendio enecatos,

enecatos, quam aquae immerſos poſt horam vnam alteramue in vſtam reuocatos, de qua peculiare ſchediasma, germanica lingua ſcritum extat. (e) Notum etiam, auiculas multas, angues, aliaque animalia, vt demortua brumales menſes latitare, quae ſine reſpiratione et pulſu tum eſſe, credibile eſt, mox a calore, non ſecus ac in primordio vitae, reſuſcitari: ne dicam de vita ſub vndis exacta a ciue Holmenſi, quod miraculum incomparabilis PECHLINVS memoriae mandauit. (f)

§. XVII.

Sternutatio tusſi proxima: vt enim haec in pulmone factam irritationis cauſam excutit, ſic iſta in naribus. Haec ſymptomatis cauſae rationem nunquam non habet, nec raro ſine omni morbo eſt, vt ſi coryzam praecedit, morbi vero, vbi ſequitur. Συμβεβηκοτος vero nomen ſortitur, quoties extra omnem morbum, vel ſubſequentem, vel praecedentem, irritatis naribus, in pituitaria membrana haerens acre ſerum eam efficit. Fit autem et haec per conſenſum neruorum, in auxilium venientibus pectoris muſculis et diaphragmate eodem tempore affectis, et clauſa larynge, mox recluſa, incurrente aëre, modo largius hauſto, nec a tusſi diuerſa haec eſt, niſi in eo, quod libero meatu per tracheas in vento laxata via, incurrit in nares, et comprimendo glandulas in ea pituitarias, ſuccum exprimit.

§. XVIII.

Ad pectus pertinet etiam *punctura laterum*, quae percipitur, dum acris humor arrodit, vel inflammatio conſtrictam pleurae membranam extendi, laxamque ſequi intercoſtalium fibrarum contractionem, non ſinit, dolore prohibente. Haec in *pleuritide* obuia, unde internam pectoris membranam pleuram affici intelligitur; ſi vero cito tranſit, aliquot puncturae iterationibus contenta, externam. Vulgo huius cauſam flatus eſſe proditur: ego, neſcio, qua ingenii hebetudine, non aſſequor, an cum ſanguine tales per arterias diſtribui posſint, et hic pungere: potius particulas acres huic miſtas eſſe, dixerim, ſed tam alte irradicata eſt flatuum practicis noſtris opinio, vt verear, ne iis eripere et exſtirpare fruſtra laborem. His abſoluuntur actiones laeſae partium medii ventris. Sequuntur.

CAP. VI.

(e) SEBAST. ALBINI, *kurzer Handgrif, wie man erſoffene retten ſoll,* 1675.
(f) *De aëris et alim. defectu, et vita ſub aquis.*

CAP. VI.

SYMPTOMATA ACTIONIS LAESAE PARTIVM CAPITIS.

§. I.

In hoc primo loco eſt cerebrum, in quo ſpiritus reſident, et per illud mouentur, effunduntur que ex eo in medullam ſpinalem nervosque, motusque et ſenſus principium partibus, in quas influunt, omnibus impertiunt: Qui autem motu inmanenti in cerebro ipſo mouentur, internis ſenſibus maxime praeſunt, et intellectui. Sed tanta non valemus ingenii vi, vt diſtinctim haec perſpicere atque exiſtimare queamus, vel vbi iſthaec, vel quomodo eueniant. Contenti eſſe iubemur, agnoſcere ipſam rem, modo ignorato. Interim quo vsque progredi liceat, tentanda eſt via.

§. II.

Motui obſtat *Vertigo*, ſaepius morbus, quam ſymptoma, cauſa tamen, quoties praecedit: quam longe quidem Apoplexiam praeire ſolet, inbecillitatem ſpirituum arguens, ſed qui, ſi reficiatur corpus, aut omittantur diaetae errores, inſtaurari, corrigique poſſunt, vt malum inminens tranſeat, et homo ſeruetur.

§. III.

Oſcitatio et pandiculatio ad hanc claſſem referenda videntur, etſi prope voluntaria ſint, praeſertim poſterius. At enim, quia non omnes ad ea inuitantur, nec omni tempore, vel συμβεβηκόσοις adſcribenda videntur, quae ex cauſa morboſa ſanis accidunt. Symptomata tamen habenda in febribus, quas praecedere aſſolent, et paroxyſmum praenunciare. Idem *in hyſtericis obſeruauimus;* quibus, vbi in proximo eſt corripi, oſcitatio multa, vt circa finem ructus prodromi ſunt, et venientem ac recedentem paroxyſmum praecurrunt. In cauſa eſt, quod muſculorum capitibus moleſtiam creat influa cum ſpiritibus materia, quae ad contractionem perfectam producendam inſufficiens, inchoamentum tamen eius eſt, et naturam ſollicitat, quo excutiatur ex fibris: Dum enim ſpiritus eam percipiunt, haut aliter atque laſſati, ſomnum

 appeten-

appetentes, vincere eam et eiicere cupiunt. Quae res vlteriori perquiſitione igna eſt.

§. IV.

Lasſitudinem, quae in febribus poſt paroxyſmos, et poſt exantlatos morbos omnes, item *poſt epilepticos, hyſtericos*, aliósque cunctos inſultus remanet, a ſpirituum penuria, et fibrarum muſcularium tenſione nimia fieri, facile intelligitur. Praecedit etiam magnos morbos, quoniam grauantur fibrae, prauis humoribus incumbentibus, et ſero intra eas coagulato, atque incraſſato: quod manifeſtum eſt ex defluxionibus, ſeu rheumatiſmis, vbi totum corpus plerumque talis lasſitudo occupat.

§. V.

Horror et rigor ad motum deprauatum quoque pertinet, ſolis *febribus* febre familiaris et domeſticus, *in principio cum vniuerſae, in continuis, tum paroxyſmorum, in intermittentibus.* Hic tantus nonnunquam, vt lecti ſponda contremiſcat, adeo quaſſentur membra, totumque aegri corpus. Non eſt autem dubitandum, fieri id ab oppresſione ſpirituum, quibus materia febrilis ſeſe applicat, et cum iis influit in principia muſculorum. Quoniam vero neque haec ad conuulſionem perfectam ſufficit, inperfecta fit, et conuelluntur quidem muſculi, mox tamen remittunt, et redeunt ad ſtatum priſtinum. Qualis autem ſit iſta materia, non liquet, auram tamen eſſe oportet, et forte auſteriuſculam, ex eo coniectura eſt, quod et frigus ab eiusmodi particulis commodisſime deduci queat, et conuulſiones in anatomicis ſectionibus cultri acie ad neruos applicata, acidisque ſpiritibus affuſis inducitur. Extra febres in calculi paroxyſmo ſaepe hoc ſymptoma obuium, quod a conuulſiuis inſultibus, quibus renum interna membrana tentatur.

§. VI.

Alia ratio *Tremoris* eſt, qui lasſitudinem ſequitur: is enim ex eo, quod ſpiritibus deficientibus, attollere quidem membra, ac mouere conantur muſculi, ſed robore deſtituti, mox remittunt, iterumque attollunt, per vicisſitudines. Hinc ex motu tonico et pondere membri reſiſtentis eum componi motum, SENNERTVS non inepte tradit. Tremor ſymptoma eſt etiam parturientium, dum foetus in vtero exſpirat. Haec cum ad motum muſculorum pertineant, quae nunc ſequuntur, reſpiciunt

reſpiciunt ſenſus internos, ab ipſorummet ſpirituum motu vel inminuto, vel aucto prouenientia. *Vigiliae* primum locum occupant: quas ab illo eſſe nimio, vel intempeſtiuo, dubitari non poteſt, vel affectuum animi indicit, quibus correpti, vehementioribus maxime, ſtatim ſomnum ſibi ereptum ſentiunt. Haec συμβεβηκότα ſunt. *In febribus* ingentes eſſe ſolent, praeſertim ardentibus, et tum συμπτώματα ſunt, ſanguine in cerebrum cum impetu profuſo excitati, itaque etiam ſpiritus animales inpelluntur fortiter, vt quieſcere nequeant. Adſunt et *illis morbis, qui cum doloribus ſunt*, iisque exquiſitis, capitis, podagricis, variolis etiam, aliisque omnibus morbis, qui cum inflammatione ſanguinis ſunt: Maniaci nunquam dormiunt, ſanguine e vena extracto fumante et ſpumante.

§. VII.

Hiſce oppoſitus *Sopor* ac *torpor, percuſſo capite*, cum fractura et effuſione ſanguinis, et apoplexia ſpiritibus perculſis accidit. Non vnam cauſam habet. Prima eſt, ſed extra hos morbos, *inbecillitas ſpirituum* atque conſumtio, verum hic naturalis eſt, non morboſus; *Altera* tenax *pituita*, vias per cerebrum obſidens et inplens, vt in lethargo, aliisque ſudoriferis affectibus. *Tertia* earundem inpletio a ſanguine, ex perculſo, vt dictum eſt, cranio erumpens, *Alia* et *ſubſidentia cerebri*, quam eodem modo oriri, credibile eſt. Sed forte etiam *in aliis grauioribus capitis percusſionibus citra* fracturam, ſpiritibus veluti attonitis, vel aufugientibus quaſi, aut disſilientibus id euenit, non facile recuperandis.

§. VIII.

Phrenitis in ſola *continua febre* obſeruatur, et cum illa. Mirum itaque inter morbos recenſeri. Eſt ſymptoma, qua ſpiritus a calore nimio velut accenſi tumultuantur, atque huc illuc per cerebrum, turbato motu, feruntur inpotentes, ipſum turbant animum, et intellectum. Sed et leuia deliria, παραφροσυναι dicta Graecis, non aliam cauſam agnoſcunt, quam talem deprauatum motum. Reperiuntur *in febribus intermittentibus*, in magnis *animi commotionibus*, et *dolore inmani*, nec niſi gradu a phrenitide diuerſa ſunt.

§. IX.

Vt phrenitis auctum, ſic *Conuulſiones* deprauatum ſpirituum motum cauſam agnoſcunt, ſeu eorum ἀταξιαν, quae ſaepe ab animi com-

motionibus ortum ducit, vt *libro de Affectibus* pluribus docuimus: ſaepe etiam *ab acri*, ipſis adiuncto, quo tendines muſculorum irritantur, incipiunt. Conuulſiui motus ſubſequuntur *dentitionem infantum, vermes*, per conſenſum; *in variolis*, cum initio, tum vbi retrocedunt; *in febribus*, tam continuis, vbi victa natura in conflictu ſuccumbit, quam malignis, nullo non tempore metuendae. *Vulneribus* quoque ſuperueniunt, vbi tendines tanguntur. Haec magis eueniunt, ſi inbecillitas ſpirituum eſt, vel naturalis vel acquiſita: vt in *hyſtericis paſſionibus* apparet, quae magnam partem inde excitantur, aliisque etiam recurrentibus morbis, vbi quaelibet vel leuis occaſio, vel animi commotio eam inducit. Differunt autem conuulſio et motus conuulſiui. *Conuulſio, σπασμος.*

§. X.

Celſo neruorum diſtenſio *eſt motus deprauatus, quo muſculi verſus originem ſuam violenter retracti membrum ſeu partem, cui inſeruntur, ſimul ſecum trahunt, nec remittunt. Conuulſiui autem motus ſunt motus reciproci muſculorum*, qui continuo conuelluntur et relaxantur, quales ſunt epileptici. Conuulſiones porro propriae dictae et reſtrictiori ſignificatu in triplici differentia ſunt. Si enim totum corpus antrorſum inflectitur, ἐμπροσθότονος eſt, ſi in poſteriora, ὀπισθότονος, ſi totum rigidum ſtet, vt inflecti non poſſit, τέτανος vocatur. Exempla vide apud SCHENCKIVM. (a) Praeter hos ſpasmos vniuerſales etiam particulares ſunt varii. Vidimus, ſpina ventoſa laboranti in dextro pede, cum ſinus, profundius abiens, ſpecillo tentaretur paulo inprudentius, totum pedem ad nates retractum eſſe per horae fere quadrantem, ſummo cum dolore. Talis eſt *ſpasmus cynicus*, qui diſtinguendus ab illo motu, quo, reſoluto antagoniſta muſculo, alter naturali ſe contrahendo conatu recurrit in ſe, et os diſtorquet: is enim ſpasmus non eſt. Ceterum illa exempla mirabilia valde, quae SENNERTVS (b) retulit, non ad ſpasmum, ſed motus conuulſiuos pertinent. Huc autem et ille colli motus, quem in Academiae Helmſtadienſis Secretario vidimus, quo *poſt paralyſin* collum ad latus retrorſum trahebatur et remittebat perpetuo cum ſingultiente hinc et quaſi glocitante voce, vt vix poſſet intelligi loquens, reliqua ſaluus et recte ſe habens.

(a) Obſeru. Lib. de aff. cap. hum. (b) Inſt. II. 3, 78.

§. XI.

§. XI.

Symptomatum *ſenſuum internorum* nunc fiat mentio oportet; memoriae et phantaſiae. *Memoriae* poſt magnos morbos nonnunquam laeſio relinquitur, plane ea abolita, aliquando inminuta: idque propter extinctionem idearum in ſpiritibus, a vehementi quadam vel conquasſatione cerebri, vel agitatione, modo nobis incognito. *Phantaſia* laedi non ſolet, niſi in ſopore, vbi vna cum memoria, ſenſibusque omnibus aboletur prorſus. Neque enim laeſa dici poteſt, ſi falſas imagines ſibi vel formet, vel ſequatur: cum iudicium tunc potius laboret, cuius eſt, verum a falſo diſcernere: ipſa enim tales componit, quales vult, laboraretque potius, ſi id facere, et etiam falſa combinare non poſſet. Quodſi quis vero non agnoſcat praeſentes cognatos, amicos, familiares, memoriae id potius eſt, aut, ſi plane non ſciat adeſſe, ſenſus, qui communis dicitur, hoc eſt perceptionis. Haec omnia fiunt a ſpirituum irrequieto, velociorique motu, aut eorum *extrema debilitate*, aut quando ſe iis adiungit praui quid, et a natura eorum alieni: vt videmus vino etiam, eiusque vaporibus obnebulari, turbari, ſopore obrui, nam in crapula omnia iſta occurrunt, quae modo ſumus contemplati.

§. XII.

Externi ſenſus, cum et ipſi ſpiritibus, quibus percipiuntur obiecta, indigeant, etiam hi *in ſoporoſis affectibus* vna omnes laborant, et in *lipothymia*, quin et moribundis, deficiunt. Illic ab obrutis, ſopitis; hic a deficientibus et in nihilum ſenſim abeuntibus. *In malignis* quoque *febribus et peſte* ſaepe, venenatis particulis ſe iis applicantibus, deficiunt obruti. Imo *in cauſo*, quae benigna eſt febris, ſi non ſitiunt aegri, ſi non ſatis vident, audiunt, (quod indicium eſſe, HIPPOCRATES ait, delirare,) omnes ſenſus capiuntur. Tot itaque modis ſenſus externi in communi laborant. Nunc et ſingulorum actiones laeſas enarrabimus.

§. XIII.

Viſus laeditur in *vertigine*, vbi omnia in gyrum circumire videntur. Cuius rei cauſa, ſpirituum ipſorum circa axin ſuum volutio, an vero aliud, non aeque patet. Haec deprauatio eſt, plane aboletur in *ſcototomia*, quae huius eſt gradus ſupremus, et huic proxima *lipothymia*. *Caecitas*, quae morbus, nonnunquam ſuperuenit aliis grauibus morbis,

morbis, per μεταςασιν. Nouimus ex conatu parturiendi ſubito obortam. Deprauatur viſus in *Ictero*, quando omnia flaua apparent, ex bile in aqueum humorem effuſa, qua radii, eum tranſeuntes, inficiuntur flauo colore.

§. XIV.

Auditus nunquam fere, niſi forte in febribus continuis laedi ſolet, vbi βαρηκοια, in ſtatu aut proxime ab illo aliquando obſeruatur, idque bono eſt ſigno, vt in ſemioticis dicetur. *Cauſa* eius rei, niſi itidem ſit per μεταςασιν, omnino latet. In occulta quadam prauitate ſpirituum exiſtere, Mortono animaduerſum eſt, quae ad organa illa ſeponitur. *Tinnitus* aurium vulgo ad actionem deprauatam referri ſolet, ſed ad qualitates praeternaturales potius pertinet.

§. XV.

Odor aboletur in *Coryza*, et defluxionibus ad nares, neque alius occurrit morbus, vbi locum inueniat. In cauſa eſt, quod odor habitat in ſicco, omneque humidum illi inimicum eſt. Nam aquae odoriferae nihil obſtant huic aſſerto, ſpargitur enim ab eo, quod intus eſt, ſalis volatilis oleoſi, id vero ſiccum eſt: hinc etiam videmus, plantas odoriferas tum demum odorem laete ſpargere, cum ſudum eſt, pluuia madentes ceſſare, redeunte vero ſole ſuauius fragrant, exhalantibus cum humido particulis. Inſulae etiam orientales, et in his mazime Zeilan per miliaria aliquot ſentiuntur in mari. *Ozaena* ſymptoma eſt qualitatum.

§. XVI.

Sapor vna cum odore deficit *in coryza*, eadem de cauſa, nam et ſapores plerique in odoriferis particulis habitant, et ſaporis principium itidem in ſicco eſt, etſi humido ſoluendum. Sed *in febribus* etiam cum appetitu proſtrato hic ſenſus afficitur, idque per conſenſum diſſipatis ſpiritibus. Nonnunquam et deprauatur in iisdem, cum videntur omnia amara, quae offeruntur. Eſt autem id a ſaliua, quae bile regnante, et in ductus ſaliuales effuſa infecta eſt.

§. XVII.

Tactus non raro plane ſtupet: id quod ex compreſſione neruorum eſt. Nos vocamus *das einſchlafen der Glieder*: quaſi membra obdor-

obdormiſcerent. Id ſaepe per ſomnum a compresſione neruorum fit, eſtque merum accidens: neque huc pertinet. Vbi frigore rigeſcunt digiti, ſemper ſenſus ceſſat, quod eſt a recedente calore. Symptoma eſt, quoties *luxationem membrorum* ſequitur, item in *apoplexia.* Alii morbi, vbi tactus aboletur, nulli occurrunt. Nec *pruritus* tactus deprauatus eſt, nec dolor: ſentitur enim, quod moleſtum eſt, nec fallitur aeger: ſed inchoamentum doloris. Vtrumque horum ad qualitates mutatas pertinet, ad quas exponendas nunc accingimur.

§. XVIII.

Spasmus quoque tangendus. Eſt is motus deprauatus muſculorum, ab influente violenter ſpiritu. *Cauſa* eſt quaelibet neruearum fibrarum ingens irritatio. *Occurrit* in vulneribus et in Hyſtericis vehementisſimis pasſionibus. De quibus WILLISIVS (c) prolixe et ſolide egit, et nos ſupra.

CAP. VI.

DE SYMPTOMATIBVS QVALITATVM PRAETERNATVRAM, ET EXCRETORVM.

§. I.

Has, iterum monendum eſt, ab actionibus laeſis diſcernendas eſſe, ne confundantur inter ſe: Quicquid circa actiones contingit praui, ad has refertur. Symptomata autem excretorum ſunt qualitates, ſeu modi ſubſtantiae, quae in ipſis excretis, iam extra corporis ambitum exiſtentibus, apparent ſenſibus manifeſtae, de internis corporis teſtimonium exhibentes. At illae, quae in ipſo corpore noſtro ſe offerunt, ſenſuales affectiones, in bene ſanis non apparentes, ſunt ex qualitatum praeternaturalium genere, neque recte dicuntnr mutatae, ſed, quoniam naturali ex lege abeſſe debebant, *praternaturales.* Has ergo, quibus in morbis, quibus de cauſis appareant, pari diligentia, qua actiones laeſas, exponamus, poſtquam de qualitatibus praeternaturalibus vniuerſim monuerimus, vt ſymptomata actionum laeſarum partium

(c) Pathologia cerebri.

tium laeſionem, ſic qualitates ſenſiles humores, quales ſint, indicare. Has ergo nunc ordine luſtremus.

§. II.

Color, in vniuerſi corporis ſuperficie, non niſi in ſingularibus quibusdam ſpectatur, quod neque decorum hoc, neque neceſſarium eſt, neque in his vero etiam, niſi res poſtulet, permutatur. Multa enim facies ipſa indicat, omnibus conſpicua. In Ictero itaque *flauus* apparet, vt cap. priori diximus, quia bilis vel illi ſimilis humor ſanguini permiſta, eumque totum inficiens, cum ipſo in extremam cutim influit, eamque totam perfundit. Eſt et alia flauedo, lurida et ad nigredinem inclinans, ex corrupto valde vitali fluido proueniens, ſed quae extra morbum apparet. *Pallidus* adeſt illis, qui pituita abundant, aut parum habent ſanguinis: vt in *cachexia* accidit, quia pituita alba, craſſa, multa eum faedat. Hinc pallent virgines, quibus menſes ſubſiſtunt, et qui diu intermittentibus febribus laborarunt, ſaepe ex inopia ſanguinis, quam ex albida illa pituita, quamuis plerumque illa coniuncta ſint. Particulatim *Rubedo Eryſipelatem* comitatur, quod ſtagnans, et hinc igne naturali accenſus nimium ſanguis, purpuram extantiorem inducit, vnde maior eius colligitur in ea parte copia, quae per cutim tranſparet: Hinc in aliis quoque *inflammationibus vulnera*, aliaque eiusmodi conſequi ſolitis, rubor apparet. *Luridus* color *quartanam* ſequitur, et ſi cum flauedine eſt, icterum nigrum et cachexiam. Si autem totus niger eſt, *ſphacelum*, in eo enim et carnes et ſucci corrupta, nigredinem hanc adſciſcunt. Agit de coloribus diligenter, ſed ad veterum mentem ARNOLDVS *de villa noua*, *Speculo Medicinae cap. XI.* Neque tamen ſpernenda habet; conſuli itaque poteſt.

§. III.

Sonos internos et externos fecimus: Et illos quidem *Tinnitum* et *clangorem* in auribus ipſis, qui extra morbum ſaepe diu admodum affligunt, non tamen ſine cauſa praeternaturali. Noui hominem, qui per plurimos iam annos continuo tinitu afficitur, nondum quidem morbo laborantem; ſed non ſine metu latentis mali. Et vulgo quidem in cerebro id fieri arbitrantur: *Eſt autem vaporis fere, per anguſta aurium foramina tranſeuntis, ſibilus:* quod vel fiſtulae ſonorae exemplum docet. Neque *clangor* alio modo producitur, aut *fluctuum* maris ſonitus,

tus, niſi quód gradu haec differant, per ampliores meatus aut cauitates transmeante aëre aut flatu. Exploſae autem bombardae aut tonitrus incluſi partem, ſubita eius ex clauſtris eruptio eſt. De *borborygmis* et murmurationibus ventris variis, morbis hypochondriorum et hyſtericis familiaribus, res in plano eſt. In his ſunt, qui non tam a flatibus, ex cibis progenitis, quam ex neruis emanant, vbi ſpirituum animalium conuerſione in tales videntur effici. Viuit hic viciniae virgo quaedam, miſere cum his ſubinde confligens, vbi non murmura, ſed mugitus eſſe dicas, animalium viuentium compresſis leniter ileis exaudiendos.

§. IV.

Raucedinis noua ratio eſt, deprauatus enim ea eſt vocis ſonus, in larynge, ex aſperitate, aut intumeſcentia arytaenoidearum cartilaginum, item nimia laxitate earum, aut aſperitate oriens. Obſeruatur *in defluxionibus ad fauces*, quae et ipſae tum intumeſcunt, et viam voci praecludendi metum inferunt. Porro et obuia eſt *raucedo in Phthiſi conſummata*, idque ex ariditate rimulae, aut nimio hiatu, dum enim in hoc morbo conſumuntur omnia, etiam haec, tumentibus in ſanis lateribus, concidit, et in rugas collapſis carunculis exaſperatur, aut nimio hiatu ſtridorem vocis amittit. In *variolis* et *morbillis* etiam tumens aut vlceribus obſeſſa vitiatur, illis praeſertim, ſi cruſtis obſidetur, iisque dilapſis, cicatrices relinquuntur, vnde et ſuperato morbo, raucedo remanet. Sic et lue Gallica laborantes, exeſis his partibus, de lubidine praua, ſermone corrupto teſtantur. Helmeſtadii virgo erat nobilis, cui in itinere morbilli erumpebant. Illa disſimulat morbum, domum rediens, cum morbilli omnes euaneſcerent, aegre ſeruata eſt. At morbo liberata, raucedo remanſit, ſex menſium ſpatio vix ceſſans.

§. V.

Ad ſonos praeternaturales pertinet et *ructus*, qui digerendi virtutis inbecillitatem teſtantur: non diu tamen poſt paſtum nihil mali habent, ſed ex humidi, in flatus ſoluti, inter coquendum attenuatione proueniunt, nec huius loci ſunt. In *hyſtericis pasſionibus*, paroxysmo ceſſante, erumpunt plures, ſigno ſpiritus affici. Tum et in *hypochondiaco malo* regnant. Sunt autem vbique a flatibus, qui per os exeunt, et tunc ceſſat nonnihil malum.

§. VI.

Singultus qui huc pertinet itidem fit cum ſonitu, niſi os cohibeas; fit celerrime refugiente et retracto diaphragmate, vnde, euacuato pectore, cum ſonitu aër in pulmones erumpit. Hoc ſymptoma occurrit poſt quamcunque irritationem ventriculo, vt nimium eo repleto, vel vtcunque affecto.

§. VII.

Tetri odores naturales quibusdam, vt virginibus, ſi hircum olent. Hos non ſectamur nunc. Tamen aliquid de iis dicam. *Sub axillis* maxime, et locis arcte ſibi adiacentibus eorum ſedes eſt: E cohibita itaque transſpiratione, coactis ibi emanantibus effluuiis, prauus odor eſt. Procedunt autem iſta ex ſero, naturali quadam putrilaginoſa diſpoſitione infecto. At qui ex morbis ſunt graues odores, aliam rationem habent: vt in *Ozoena*, ex vlcere vbi eſt, in anima foetida, e *pulmonibus* prodeunte, aut latente ibi vlcere. *Febres malignae* quem ſpirant, ex ſero corrupto eum dimittunt per poros. Aliquando tamen *ex viſceribus* inflammatis, ſphaceloque corruptis, effunditur, ſed hoc rarius. *In peſte* dulcis odor, malignae index aurae, cuius indoles minus percognita eſt: *Cadaueroſus* autem corrupti rurſum ſeri indoles. *Gallici morbi* vlcerum, et *variolarum* praegrauis: cuncta vero iſta ex putredine eorum ſunt. E qua et *ex dente carioſo* et cauo exhalans foetor eſt, cibis in eo corruptis. In *ſcorbuto* halitus inficitur transſpirante e pulmonibus ſeri putrore.

§. VIII.

Saporem corporis partibus nullum eſſe, ſupra dictum, niſi quod ſaliua nonnunquam amara, ſalſaue ſit: quod ab admiſtis eſſe, ex ſe perſpicuum eſt.

§. IX.

Supereſt *tactus*. Vbi primum locum merentur primae qualitates, *calor* et *frigus*. Vtrumque horum origo ex ſanguine, qui caloris eſt fons: qualis in illo, talis in toto corpore calor. Auctus ergo in omni febre, vbi in vigore ea eſt. Inter initia vero *frigus* et *horror:* non extincto, ſed oppreſſo calore. Quod per inmutationem quandam ſanguinis fieri, *coeruleus toto corpore color*, unguibus maxime, et extremis corporis

corporis apparens indicium facit. Exiſtimari poſſet, acidum ei affundi liquorem, ex eo enim nigreſcere ſolet, qualis tum eſſe, vtique videtur. Sed ſecus eſt, et fallacia haec eſt non cauſae vt cauſae logicorum: eſſe enim potius a compresſione ſanguinis, ex qua itidem nigreſcit, vt expanſus floridus eſt, aëreis vel aethereis globulis interpoſitis, credendum. Comprimitur autem tam ſanguis, ſpasmo correptis fibris, ac cute. Quin ipſum etiam acidum ſtringendo, adeoque aërem exprimendo videtur nigredinem hanc inducere. Frigus autem eundem effectum, indicio eſt, quod etiam hyberno tempore ſanguis nigricat in venis. Quod in moribundis frigus regnat paulo ante, quam mors occupat, extinctionem caloris natiui cauſam habet. Hoc de frigore: *Calor* autem nimius a motu eſt, tam externo, quam interno. Quod cum ſit obuium, et proinde vulgo notum, de ea re non opus eſt pluribus.

§. X.

Proximum ſymptoma his eſt *ariditas* et *ſiccitas* cutis. Haec tam ab humidi defectu prouenire poteſt, quam occluſione pororum: quare *in febribus*, continuis praeſertim, non eſt infrequens: in his tamen a confuſis quoque, arcteque inter ſe miſtis humoribus eſſe poteſt, quae tanta nonnunquam, vt ſerum nimis incoctum ſanguini ab eo ſe expedire, et prorumpere e poris haut posſit. Verum *in Lingua* quoque ſpectatur, vbi eſt ab exſiccatione reciprocantis per fauces aëris, qui inde rediens per viam publicam, ab aeſtuante ſanguine calidior eſt, ſaliualem humorem conſumit, et tandem adurit linguam, exſiccat, albore, tandemque nigredine obducit.

§. XI.

A quo et *mollities et durities* deriuanda. Quod enim humectat, emollit, quod ſiccum, durius eſt et aſperum. Neque tamen e cauſis mollitiei excludendum et pingue eſt, et vnctuoſum. *Vlcerum* vero *humiditas nimia*, ab affluxu ſeri eſt, ac nimia profuſione ex tubulis eius.

§. XII.

Tactus ſymptoma etiam eſt *dolor*, qui eſt a ſolutione continui, non peracta, ſed quae adhuc fit. Quae res multis fuit offendiculo. Id vero perpetuo ſic contingit, quicquid hic nonnulli dicant nouatores, inaequalem intemperiem qui ſubſtituunt. Ecquid enim inaequa-

 litas

litas illa intemperiei ad ſenſum? qui vt ſemper idem eſt eius organon, ſic intemperiem illam non aliter, quam dolorem percipit, inaequalitas vero illa quomodo dolorem inferat, dici non poteſt. Siue enim organon contempleris, ſiue cauſam doloris, nihil inuenias eiusmodi, vt ſatisfaciat ſciſcitanti. Neque enim nerueae fibrae percipiunt, ſed quod percipiant, afferunt tantum, ſed omnes pariter corporis partes ſentiunt dolorem, exceptis forte oſſibus et cartilaginibus: hoc eſt omne, quod duritiem non habet, vt penetrare obiectum intus poſſit. Cauſa autem efficiens, vt externa ſunt acutie pollentia, ſic interna ſunt omnes acres particulae pungentes, rodentesue, ſiue ſint in humore natantes, ſiue flatus ſpecie affligant: quod ex mechanica demonſtrari poteſt, et facile intelligitur: ſecus vero multo ſe res habet, cum inaequali intemperie, cuius ſubtilitatem non capit mens, vtcunque explicare doctrinam iſtam labores. Sed praeter acria ſunt et aliae cauſae doloris, in vulneribus, vlceribus, inflammationibus obuiae: Et in his quidem *igneae ſpiculae* manifeſtisſime agunt, vt in eryſipelate punctio tenuisſimarum eius partium manifeſto ſentiantur. At in *Tenſionibus*, vt cum flatus extendunt cauitates, incumbente onere, alio modo percipiuntur dolores. Hinc eorum differentiae, vt *Rodentes dolores*, pungentes, tenſiui, grauatiui, appellentur; ex ipſo ſenſu petitis nominibus: Noſtra lingua vocantur *1) ſchneidend*, *2) ſtechend*, *3) ausdehnend*, *4) drückkend*, etc. Verum is, qui in conuulſionibus fit, vix verbis exprimi poteſt, vt ſit prope intolerabilis. Sed et lasſitudo non ſine dolore quodam eſt, quia neruoſarum partium tenſio eſt quaſi ruptio quaedam, adeoque ſolutio continui intenta, non tamen perfecta, ſed inchoata, et quaſi conamen ad eam. In quibus morbis dolor adſit, non opus monere: notum eſt nimis.

§. XIII.

Quae pluribus ſenſibus patent qualitates, vt vitientur, dictum etiam eſt: nunc cauſas ſubiungam. *Proiectus totius corporis* ad lecti fundum et pedes, inde eſt, quod nullam amplius ſui curam gerat aeger, parum compos mentis. Nam hic collapſus a muſculorum naturali ad ſe contrahendum propenſione eſt. *Situs membrorum partiumque prauus* poſt vulnera atque vlcera, et luxationes, chirurgorum peccatis fiunt. *Magnitudo* excedens eſt a ſubtus latente fluido vel ſolido, in apoſtematis, luxatione, hydrope, viſu tactuque percipitur. *Iactatur*

corpus

corpus inquies anxietate et expectatione mali futuri; nec animi tantum angore, verum et corporis dolore turbatur.

§. XIV.

CAVSAE ſymptomatum excretorum in iis morbis tantum poſſunt obſeruari, in quibus illa prorumpunt. De iis, quae materia ipſa ſeu ſubſtantia peccant, nihil attinet multa proferre. Dicuntur cauſae eorum, quae *prater naturam* ſunt, in morborum ſingulorum hiſtoria. Quae autem *ſupra naturae vires*, aut *extra leges eius ſunt*, eorum cauſas medicus fruſtra inquirit: ſufficit iis poſſe mederi. Quod non vltra vires eſſe, Ill. CONRINGIVS in morborum per incantamenta ortorum diſſertatione declarauit. Neque de iis multum erimus ſolliciti, quae naturalia, ſed retinenda erant: vtpote quorum et cauſae manifeſtae, et naturae conuenientia ſint. De illis vero vnum hoc ſilentio inuoluendum non eſt: quicquid hodierni, qui ſe ingenia ac ſpiritus fortes ipſi dicunt, et quo nihil credunt rerum abſtruſarum. (Quo nihil aliud intendunt, niſi vt prius omnium mirandorum, tum quos iſta auctores habent, ſpiritum, Daemonum prius, deinde et Dei memoriam deleant ex hominum memoria.) Cum iſta omnia naturae vires ſuperent, et extra illam ſint, per naturae leges explicari etiam non poſſet, ſed relinquitur, vt a potentiis, quae extra naturam prorſus poſitae ſint, perpetrentur ac fiant. Riſum mihi mouet profecto, ſi quis cum NICOLAO ANDRIO Gallo (a) etiam pediculos in vlceribus naturae lege ex ſemine generari atque ouulis eo translatis produci velit contendere. Tales ſane aſſertiones non ſimplici aut probabili aſſertione mera ſibi conſtant, ſed firmisſimis, et apodicticis argumentis indigent, vt posſint credi. Longe vero dignisſimis fide exemplis euictum eſt dudum, non niſi nequisſimis animis talia, a Deo ſcelerum vindice immitti vnquam, prout exquiſitisſimas eiusmodi hiſtorias non vnas nouimus, nullas prorſus contrarium euincentes. Reliqua vero etiam ſupra naturae modum ac conſuetudinem edita, vel a Diuina manu, vel a malo daemone perpetrata atque inmiſſa, vel mille euincunt experimenta. Id quod vel maxime de iis clarisſimum eſt, quae non naturae opera, ſed arte elaborata eſſe, certisſime conſtat, ſi poſtea in corpore reperiantur, vt iam ante quoque monuimus.

§. XV.

(a) *Libr. de Gener. vermium.*

§. XV.

Quae porro natura inſunt, excerni autem non debebant, eorum cauſae manifeſtae ſunt. *Humorum*, vulnera, vlcera; *ſolidorum* vero eroſiones, vt cum partium particulae, pulmonis, renum, inteſtinorum ramenta, veſicae furfuraceae prodeunt, vel cerebri particulas per nares, ſphaenoide aut cribriformi oſſe perfractis excerni viſae ſunt, e pulmone, ex ano, vtero, aliis locis non ſine violentis commotionibus cauſisque, excernatur, aut *per poros* non ſerum, ſed *ſanguineae guttae*, aut Ichoroſae ex altero Ichoris genere, (b) loturae carnium ſimili, ſudoris nomine extrudantur: Quod ex colliquatione veteres fieri putabant. Verum haec ad ſymptomata non merentur referri. (c)

§. XVI.

Quantitatis exceſſu peccantis *ſanguinis* cauſae ſunt vel turgeſcentia, vel plethora, vel acrimonia. *Menſtruorum* et *haemorrhoidum* hoc vitium eſt, quae ſi *defectu* delinquant, craſſities plerumque inpedimento eſt, vel penuria, exhauſto eodem quocunque modo. *Excrementa* largiter nimis effluunt in *diarrhaea*, *Diaebetes vrinam* liberalius fundit: *Pori ſudorem* in *moribundis*, *Phthiſicis*, *Febrium paroxyſmis* finientibus, critice; Illic ex colliquatione fieri dicunt: nubibus ſe inuoluentes.

§. XVII.

Qualitate vitioſus ſanguis menſtruus pene ſolus iudicatur, dum nimis craſſus, dum pallidus, coloris varii, aquoſus, ac tenuis etiam non raro, id quod cachecticis et chloroſi laborantibus puellis accidit. Idem et tempore quam maxime alieno fluit, in morbis quidem, quoties turgens, qua data porta, intempeſtiue extruditur. Extra morbos, dum vel anticipat vel poſtponit menſtruum ſpatium. *Sputum craſſeſcit* aliquando, exhalantibus tenuibus particulis, vel incoctis calore. *Spumoſum* redditur, aëre admiſto. Si ex citrino vel aurorum pomorum colore vergit ad *rubedinem*, calorem nimium cauſam habet, qui partes terreſtres innatantes adurit, ſalemque adauget. Si ad pallorem, defectu caloris id euenit, et quo magis alterutrum, eo magis is deficere vel abundare intelligitur.

§. XVIII.

(b) Vid. CASP. HOFFMANNVM, *L. cit. de Ichor.* (c) Vide tria exempla ap. SENNERT. Inſtit. p. 341.

§. XVIII.

In vrina et conſiſtentia ſpectatur ſeu craſſities. Haec ſi craſſa rubet, cruda dicitur, idque a particulis terreis, et incoctis aduſtisque habet, quae illam denſiorem reddunt. Nigricat haec etiam quandoque a ſanguine aduſto, vt in calculo aliquando, quod vidimus non ſemel. Tenuis autem apparet, quoties hae terreae particulae aliorſum abripiuntur: quod in delirio accidit, aut, ſi in corpore reſtent, vt in calculo: et tum maxime laboratur.

§. XIX.

Foeces alui vt naturalem colorem a bile habent, adultis fuſcum, pueris ad flauum vergentem, ita et praeternaturalis omnis a bile eſt, cuius colorem et naturam indicat: conſiſtentia vero foecum a calore eſt: calor enim exſiccat. Nimis vero liquidae in morbis id indicant, quod veteres *colliquationem* humorum, recentes *fundi* humores appellitant, nonnunquam vero hoc ſi non a fermentatione, tamen cum fermentatione eſt: quandoque et a retenta vrina eſt, vel ſudore, ſero ad inteſtina verſo.

§. XX.

Foetet Sanguis, quando corruptio omnimoda. *Pus* in vlcere mali moris, idque itidem a corruptione ichoroſa ſeri. Quod ex pulmonibus venit ſputum, ex vlcere quoque corruptum prodit. *Sudor* foetens corruptum et putrilaginem concipiens ſerum prodit, et in malignis morbis eſt frequens. *Vrina* foetida ſanguinis eundem prodit ſtatum. Olet tamen eadem a quibusdam aſſumtis, vt raphano, caepaque, vt bene olet a Terebinthina et nuce moſchata.

§. XXI.

Sapor amarus a bile eſt. Calet ſanguis ab innato igne, qui quo maior, magisque eſt vigens, eo ipſe calidior eſt. In maniacis fumat ſingulari experimento. Neque in his pulſus admodum eſt frequens, nec fermentatio, ſeu motus inteſtinus eſt; tamen tam ingens calor: vt habeant, quo ſe torqueant, qui vel a ſola fermentatione, vel a ſolo motu calorem ſanguinis deducunt. Maior tantum pulſus eſt: magnitudo vero non a calore eſt, ſed robore cordis, et ſanguinis copia, vt ſupra oſtendimus.

§. XXII.

Frigidus *ſanguis* nunquam eſt, niſi a frigore externo. At *Pituita* eſt frigida, idque natura ſua. Mirum ergo non eſt, nonnunquam ex ore talem eiici, praeſertim cum aër frigidus per haec loca feratur. At ſi ex aluo frigida deponatur, mirum eſt, et noſtram de eius natura aſſertionem firmat. Etenim caloris aegre ſuſceptiua eſt, et calet adſcititio. Pari de cauſa *vrina* quoque calet: etenim ſerum in ſe frigidum eſt. Nec aliter calent *alui feces*. Vnde ſi frigidae deiiciuntur, caloris natiui ſignum eſt. Idem de *ſudore* ſentiendum.

§. XXIII.

Si non ſuo loco prodeunt *excreta*, ideo id fieri exiſtimandum, quod viae obſtructae ſint, per quas ſoleant prodire, aut quod aliorſum ducantur. Vt ſi *alui faeces* ex vulnere exeunt, aut in Ileo per os excernuntur. *Sanguis* autem erumpit ex duplici potisſimum cauſa: plethora, et nimia tenuitate atque acredine, nam haec duo coniungi ſolent. Haec tamen in ſputo ſanguinis praedominatur, ſed tum cauſa eſt; illa in haemorrhagia narium, ita tamen, vt vtrique cauſae in vtroque ſit locus. *Vrina*, *menſtruusque ſanguis* non aliunde effunditur, niſi obſtructis viis: et illa quidem non niſi per poros, calculo vreteres obſidente; hic ex naribus, oculis, ore, mammis, pulmonibus; *Sanguis* ſi locum eius occupat, et ex pene prodit, ſpectandum excernendi tempus et ordo. Si enim vrinam praecedit, ex renibus eum eſſe, ſuſpicio eſt: ſi ſequitur, ex pene. De Ichore, quem *ſinouiam* vocant, in vulneribus articulorum, vnde proueniat, magna diſceptatio medicorum eſt. Dicam quid viderim, in theatro anatomico, et priuatis ſaepe ſectionibus canum viuentium. Cum, vt ſolebam ſaepe, in muſculis ad genu adiacentibus, tendineque magno eſſem occupatus, praeſentibus ſpectatoribus plurimis erupit ſubito ſecantibus ingens glutinoſi, et criſtallini humoris copia, vt manus et ſuppoſita lintea tota maderent. Hic ergo quaſi fonticulum eſſe quendam, ſuſpicabar et vaſa non pauca, vel ſaltim non parua, e quibus prodirent haec. Num me fefellerit coniectura, ignoro. Forte id frequens experientia et poſterior aetas deteget. Idem vero circa reliquos articulos quoque deprehendi, aut exiſtere ſaltem, quid vetat?

AD PATHOLOGIAE PARTEM I.

BREVIS APPENDICVLA.

PROBLEMA:

SINGVLOS MORBOS TRIBVS VERBIS ACCVRATE DEFINIRE, ITA VT EX DEFINITIONE ISTA TOTA CVRATIONIS RATIO DEDVCI, ET DEPROMI POSSIT.

§. I.

Quam ſit vtilis ad diſciplinas, imo neceſſaria veram cuiusque rei definitionem noſſe, agnouit omnis vetuſtas; medium aeuum adeo anxie eam quaeſiuit, vt excederet modum: ſolum hoc noſtrum ſpreuit et habuit inſuper. Cuius rei ratio in aperto eſt. Illa enim, ARISTOTELE praeeunte, veram ſapientiae omnis viam ingreſſa facile perſpexit, niſi certis rerum inquirendarum terminis conſtitutis, in incerto ſemper et tenebris palpari, nec aduerſarium, ſubinde diuerticulas quaerentem, poſſe conſtringi. Iſtud in verborum, vel confingendorum, vel mutandorum cura nimis ſcrupuloſe et inaniter occupatum, rebus ipſis poſthabitis, taedium mouit diſcentibus, et longius in illis proceſſit, vt ad ipſam rem non potuerint multum attingere. Noſtrates, rerum experimentis toti addicti, nec exinde vniuerſalia, quod decebat, colligere curantes, pereunte penitus veteri philoſophandi ſolido et recto inſtituto, iſtud artificium penitus amiſere, inutile rati, quia eius vſum ignorare cogebantur. Non autem erat neglectim prorſus habendum, quod tot ſapientioribus viris placuerat, ſed nec in eo omnis diſciplinarum ſalus collocanda erat. Reducamus ergo paulisper, et, quantum nobis opus eſt, Definiendi ſcientiam et ex orco reſuſcitemus, morborum exemplo vtilitatem eius oſtenſuri.

§. II.

Neminem eſſe in tanta, quae nos circumfulget, hodie luce tam ſtupidum arbitror, vt demonſtrandi artificium, ſi non in omnibus aſſe-

qui liceat, tamen expetendum ſciat. Quare olim permotus, de Demonſtratione Medica ad ſaturam conſcribere librum, animum induxeram, qui nunc ſenio, laboribus, maxime vero temporum, fortunaeque in me iniuriis detritus, et confectus, ſtupet, vt vix ſuſcipere poſthac tantum opus aut ſuſtinere poſſe videar. Dabo ergo illius rei ſpecimen hic quoddam, et in quo ſit cardo rei ſitus, ſaltim de definitionibus, paucis indicabo.

§. III.

Omnium rerum certum eſt principium, vnde velut e carceribus ad metam decurrat quaeuis meditatio, vt ſapienter GALENVS initio Libri de *Diff. morb.* de morbis acturus, *ſumendum ab omnibus approbatum principium putauerit, ex quo incipiat diſputatio.* Demonſtrationis vero principia pari ratione duo eſſe *Meth. Med. L. 1. cap. 5.* contendit. *Principia demonſtrationis eſſe ea omnia, quae tum ſenſui tum intellectui manifeſta ſunt.* Scilicet, ex eo procedere demonſtrationem oportet, quae ex ſe manifeſta, negari non poſſunt, ne in infinitum dubitatio extendatur. Sunt autem haec duo potiſſimum, quorum vnum ſenſum reſpicit, alterum intellectum. Haec *axiomata* ſunt, aeternae veritatis et omnibus, vbi ſaltem proferri audias, protenus aperta, atque obuia, adeoque ommuni gentium conſenſu recepta, vti eſt illud ipſum, quod ibi GALENVS affert: *quod omnes homines tunc ſe ſanos exiſtiment, cum partium corporis miniſterio ad omnes, quae in vita neceſſaria ſunt, actiones ſine aliquo vitio posſint perfungi.* Quantumuis enim ex primis omnium illud non ſit, tamen in arte medica prius nullum eſt, nec a quoquam poteſt negari. Alterum principiorum genus, quod ſenſus reſpicit, ab ARISTOTELE ſub *Inductionum* nomine traditum eſt. Quod enim ſenſibus ſemper et vbique eſt apertum, id inductio eſt. Et huc pertinent omnia experimenta, hodie tanta auiditate expetita, ac tanto numero conſignata. Qualia autem eſſe oporteat, non ſimplicia nempe tantum, ſed toties repetita, vt indubitata ſint, *Inductionis* verbum docet. Quae hic duplex: vna ſaepius repetitorum, altera plurimorum, vnum demonſtrantium. De hoc vide ARISTOT. *Metaph. cap. 1.* His autem tertium adiicere fas eſt, quod ex hoc potisſimum naſcitur, et prodit, iſtisque eſt proximum; *Definitio:* ex ea enim initia ſunt eius ſcientiae, quae ex ratione procedit; id quod Mathematici optime norunt,

runt, et vbique obſeruant: ad quorum normam omnis Phyſiça et Medica demonſtratio inſtituenda eſt.

§. IV.

Duplex autem eſſe definitionis genus, ex philoſophiae rationalis doctrina notum eſt: vnum illarum rerum, quas ſubſtantias vocant, alterum eorum, quae in illis tanquam in ſubiectis inhaerere dicuntur: hodiernis *attributa*, *proprietates*, vel ſimili modo veteribus *Accidentia* nominata. Illorum definitiones ſtruuntur ex genere, ſub quo collocatae ſubſtantiae ſunt, et differentia, qua ſpecies terminatur, quae plerumque ex principio motus petitur, ſiue illud ſit primum mouens, adeoque actiuum, vt in viuentibus, ſiue aptitudinem ad motum conſtituens partium fabrica, e qua actionis ratio prouenit. Qua de re alibi pluribus agendum eſt. At vero eorum, quae ſubſtantiis inhaerent, accidentium definitio perfecta tria complectitur: *Genus*, ad quod pertinent, *cauſam* et *ſubiectum*, cui inſunt. Cum enim eiusmodi inhaerentia omnia ſint in Relatorum numero, atque alicuius rei ſint, utpote cui inſint, non exiguam partem eſſentiae earum illud conſtituit. Haec ſunt praecepta rationalis diſciplinae, ex ipſa natura rerum longa obſeruatione et inductione prognata, adeoque certa, vt perpetuae ſint veritatis, nec posſint vlla inpugnatione labefactari: Efficitur autem ex his, nihil eſſe horum omnium, quod *vno occurſu intellectui ſe non exhibet, et controuerſum eſt*, vt loquitur GALENVS, (a) *quod demonſtratione non indigeat.* Quicquid vero demonſtrari poteſt, hoc eſt, quicquid ſenſui aut intellectui protenus manifeſtum eſt, id etiam poteſt definiri. Eſt enim definitio demonſtratio, collatis aliter terminis propoſita. Neque obſtat, eiusdem eam eſſe principium, et finem. Duplex ea enim: nominalis et realis eſſe conſtat, nominalem principium, realem vero finem. Quod etſi pauci recte intelligant, verisſimum tamen, et ſcientiarum omnium fundamentum, quae praemitti debebant, ne videamur temere in opere hoc verſari, et inponere lectoribus.

§. V.

His ergo ex intima rationalis artis penu repetitis, vbi clarisſime docentur, porro ſciendum eſt, et ex noſtra adducendum, Morbos omnes

(a) *Meth. Med.* L. I. c. 4.

omnes in ea rerum claſſe collocari, quam ſecundam memorauimus, Accidentium. Quodſi quis igitur in his rationalis artis legibus, modo adductis, verſatus, et exercitatus ſit, illi in facili erit, morbi cuiuslibet definitionem proferre; nullus enim morbus eſt, qui non habeat locum ſub genere, aut cauſas ſuas habeat, aut non ſit in parte aliqua, tanquam in ſubiecto: quae ſi ordine collocentur, promte naſcetur definitio. Hoc ergo vt fiat.

1) Quaeratur in tabula, *Lib. I. part. I.* exhibita, ad quod genus morborum pertinet, qui ſub manibus eſt: vt *febris* eſt *morbus intemperiei calidae*, et quidem *vniuerſalis.*

2) Iam ergo patet *ſubiectum*, quod eſt totum corpus. Nam morbos in vniuerſales et partiales etiam diuiſimus. Hic ergo quum non vnam partem teneat, ſed per totum corpus ſe diffundat, non vnum, aut ſingulum id nanciſcitur, ſed omnes partes peruadit, quod hoc verbo indicatur. Supereſt.

3) *Cauſa*, quae porro inquirenda eſt, et tertio loco ponenda, vt definitio compleatur. Haec, ſi phaenomena et ſymptomata accuratius expenduntur, deprehendetur ex illis (nam hinc vnice cauſa innoteſcit, niſi manifeſta ſit, occurratque in ſenſus,) eſſe inteſtinum ſanguinis motum turbatum, et peruerſum: ſiue iam cum WILLISIO fermentatiuum appellare lubeat, (aliquando enim talem ſe manifeſtat apertisſime,) ſiue ſimpliciter cum SYDENHAMIO inteſtinum, nihil determinando, (nam ſaepe numero fermentatiuus tam aperte non deprehenditur) ſiue qualemcunque ſtatuas, quod vlteriori perquiſitione permittatur. Ponantur iam ordine tria iſthaec, et erit iuſta febrium definitio:

Febris eſt morbus intemperiei calidae vniuerſalis abs motu inteſtino liquoris vitalis peruerſo ortum trahens.

Cum itaque nullus ſit morbus, qui partibus definitionis careat, nullus erit, qui non posſit definiri. Q. E. D.

§. VI.

§. VI.

Numquam vero id perficient illi, qui partes humores et ſpiritus pariter morbis obnoxios eſſe perſuaſi ſunt, adeoque miſcent omnia; in veris enim cauſis asſignandis haut leuem committent errorem, et genus, ſubiectum cauſae, ſubiectumque morbi in incerto habebunt. Vt enim tam humores plerumque, quam non raro et ſpiritus vitium capiant, non tamen prius aegrotare homo dicendus eſt, quam iis affectae partes officium negent praeſtare integrum: aut naſcentur morbi in morbis, vt pro vno ſis duplicatos, imo plures numeraturus: quod haut exigua eſt in diſciplinis tradendis hallucinatio, e qua non modo in illis addiſcendis turbatur animus, verum et poſtea in arte medendi naſcitur ingens confuſio, omniaque inter ſe miſcentur et turbantur. Merito ergo vitandum hoc docendi genus.

§. VII.

Porro autem, cum Cauſarum morboſarum magna ſit diuerſitas et conſecutio, non eſt opus, vt vel ſingulae ponantur, et integra earum ſeries exhibeatur in definitionibus, vel perinde eſt, quamcunque afferat, et ex medio earum deligat, ſed ſufficit proximam morbo, quam alii inmediatam vocant, protuliſſe, quae, quoties interna eſt, ipſam rei eſſentiam ingreditur, et, vt loquuntur Philoſophi, influit in effectum, ita vt plerumque, ea poſita, vel ſublata ponatur tollaturue et ipſe morbus. Reliquae vero ſaepe praecedunt longe, aliisque illatis mutationibus abeunt et euaneſcunt, nec ad cognitionem aut notitiam rei conferunt quicquam. Itaque in febris definitione nec prauam alimentorum confectionem, nec motum externum vehementiorem, nec calidorum potus vel cibi generum, vel aliud horum arcesſiuimus.

§. VIII.

Ne quis autem obiiciat nobis, febrem eſſe facilius definire, alios vero eſſe difficiles, nec recipere normam praeſcriptam, age! alio exemplo doceamus eandem rem. Sit *Hydrops*, morbus intricatus, et cuius cauſa aegre eruitur. Hic autem, cum hydropis non ſit vnum genus, ſed triplex, primum quis ille ſit, qui definiendus eſt, omnino conſtare debet:

debet: deinde cum et cauſa ſit multiplex, et ſubiectum diuerſum, ea prius enodanda. Triplex ergo definitio forte naſcetur, pro triplici hydropis ſpecie: alia enim *Aſcitis*, alia *anaſarca*, alia *tympanitis*.

1) *Hydrops aſcitis eſt maximus ventris inferioris* (aliquando poſtea et medii) *tumor, ab effuſi extra vaſa ſeri ingenti copia ſublati.*

2) *Anaſarca eſt tumor vniuerſalis*, (ſiue totius corporis) *a ſero inter carnium fibras effuſo, ex eius per venas refluxu inpedito ortus.* (Vide experimento demonſtratam hanc cauſam apud LOWERVM de corde.)

3) *Tympanitis eſt tumor ventris inſtar tympani inflati ab admiſtis ſero flatibus proueniens.*

Et ſic in ceteris omnibus morbis procedere oportet, nec erit (modo ſatis ſit tibi perſpectus,) qui non accurate definiri ex his praeceptis queat.

§. IX.

Sed ne quis dicis cauſa haec proponi, et ingenii ſolum exercendi lubidine definitionum artificium a me tradi exiſtimet: agedum vtilitatem in curatione morborum maximam oſtendamus. Neque enim fruſtra diximus principium demonſtrationis eſſe definitiones: curationes vero per demonſtrationes inſtituere, quantum poteſt fieri, medicum decet, et Methodum medendi quam certisſimam ſequi. Si quis ergo morbus occurrit, eius definitionem quaerere primum omnium oportet. Qua reperta, et quod genus morborum ſit, et in qua parte haereat, et ex qua cauſa ſit ortus, ſcies. Inquirere vero ea per ſigna ſua, quae in ſemiotica parte ſunt tradita oportet: eum enim in finem illa ibidem exhibita ſunt. His itaque deprehenſis, ex his praeceptis facile erit definitionem conficere. Hac ergo conſtructa, quaere in methodo medendi, capite de indicatis, quod eſt Sect. II, 4. 5. 6. vbi reperies problema: *Indicata cuiusque morbi eruere:* vbi hoc artificium denuo traditur, et Sect. III. vbi reperies demonſtratiuam curandi methodum inchoatam, deinceps vlterius excolendam.

§. X.

§. X.

Hoc quo fiat manifeſtius, per eadem, quae in medium producta exempla ſunt, rem declarabimus:

Prima regula in methodo medendi eſt: *contraria contrariis curantur*. Vide ergo ibidem, et perpende, quae ſint contraria indicanti, morbo nempe, cauſaeue. Tum quid indicet locus affectus, et habebis paratam curandi rationem: qua reperta, tuum iam erit recurrere ad Lib. IV. de Auxiliis morborum, indeque eligere, quid ſit praeſtantisſimum. V. g.

Febris eſt intemperies calida: calidis morbis contraria ſunt *Refrigerantia* (non enim patitur natura humana, quae in calore exiſtit, actu frigida) igniculo animali ferociori aquea. Itaque multus potus refrigerans morbo opponendus eſt. Secundo loco *cauſa* expendenda: eſt enim ſecunda regula in Methodo medendi: *Sublata cauſa tollitur effectus*. Cauſa autem febris eſt motus inteſtinus. Quaere ergo porro, quae motum inteſtinum hunc producant, et reperies particulas heterogeneas, quae illum peruertant. Hae autem cum non ſatis perſpectae ſint, quaecunque tandem eiiciendae erunt ex ſanguine? Quaerendum ergo porro, quo pacto id fiat commodisſime. Hic ſubit mentem. *Subiectum* quod ſit *vniuerſalis intemperies*: ſubiectum ergo totum corpus, cui opponitur *Remedium vniuerſale*. Ex his in principio ſtatim, quod proſit, eligendum, poſtea quieſcendum, monitu HIPPOCRATIS *Aph. L. 1.* Eſt autem commodisſimum, ſi cauſa in ventriculo, vomitorium, ſi in ſanguine, ſudoriferum, vtpote quod particulas tenuisſimas, quales ſunt, quae febrim excitant, per poros eiicere vndique, et disſipare poteſt.

Hydrops Aſcitis eſt tumor. Huic contrarium eſt iuſta *ſubſidentia*, ea continget, ſi detrahas, quod ſubeſt, *ſerum*. Id, ſi ſimplex eſt tumor, nec viſcera corrupta ſint, ſufficit. *Locus* affectus eſt infimus venter. Is admittit Paracentheſin. Interim ab intra et Diaereſis, diaphoreſis, purgatio exhiberi poteſt, quae omnia tollunt ſerum. Nihil ſupereſt, quam roborantia et confortantia, ſed illa ad morbum non pertinent.

Hoc pacto et in *Anaſarca* procedendum, et educendum ſerum per vniuerſum corpus, externaque membra transfuſum, morbum tollit: *Cauſam* vero corroborantia tonum viſcerum, et impeditum per viam conſuetam humorum recurſum expedientia, vndecunque ſint, vt in praegnantibus tumor pedum, a faetu edito ceſſans.

Tympanitis quoque, ſublata cauſa, ne recrudeſcat illa, prohibita, curatur, ſicque in omnibus morbis procedere in arbitrio eſt: quae magis patebunt, et vlterius exponentur in medendi methodo.

ARTIS MEDENDI VNIVERSAE

LIB. II.

SEV

PATHOLOGIAE

PARS ALTERA.

ΣΗΜΕΙΩΤΙΚΗ

SECT. I. CAP. I.

DE MORBIS COGNOSCENDIS.

§. I.

Subiectum medicinae quale ſit, et quomodo per omnem ambitum ſuum ſeſe offerat, ex proxima, quam tradidimus, doctrina perſpectum eſt. Ex qua, et Phyſiologia, quam praemiſimus, nunc ſciri poteſt, duplici ratione hoc noſtrum ab aliarum diſciplinarum artiumque ſubiectis diuerſum eſſe. 1) Quod non ſit mere paſſiuum, ſed cum agente artifice partiatur operam, et agendi vices, dum inſtrumenta ab eo adhibita dirigat, agitetue; vtpote interno actiuo principio inſtructum.

§. II.

Alterum illud eſt, quod non omnis eius natura pateat oculis, ſed pars magna ſenſibus ſubducta, ſub integumentis abſcondetur. Nam et

et viſcera omnia et humores ac ſpiritus cognoſci plenius non poſſunt, vt quid noceat, non ſatis compertum ſit, vt lateat ratio multorum morborum. Quod ex pathologia perſpicuum eſt, vbi alios morbos eſſe externos, et in aperto, alios internos atque abditos, dictum eſt. Cum autem Medico curationem aggredi, morbo nondum perſpecto, ſit nefas, cum finem introducere in ſubiectum non ſatis cognitum, aut reſtituere collapſum, cum neſciat, quo loco modoque vitiatum ſit, non liceat: hinc viam reperire neceſſum eſt, per quam ad notitiam abditi perueniat. Eleganter HIPPOCRATES (a) ὁ μὲν γὰρ, inquit, ἐπεὶ οὐκ ἦν αὐτῷ ὄψει ἰδεῖν τὸ μοχθέον οὐδ᾽ ἀκοῇ πυθέσθαι λογισμῷ μεδῆει. *Medicus, cum non posſit malum viſu aſſequi, neque auditu,* (ex aliorum narrationibus) *ratiocinatione perſequitur.* Inuenta ergo eſt ratio, haec per certa quaedam ſigna, quae nunquam vel rariſſime fallant, cognoſcendi: quibus non opus habent aliae artes, praeter vnam diſciplinam Ciuilem, quae de animo hominis, pariter ac Medicus de corpore coniecturat.

§. III.

Eſt autem *Semiotica* pathologiae *pars altera, artificioſam de morbis, eorumque cauſis, ſede, ſtatu, et euentu coniecturam facere inſtituens, quo felicius curationem aggrediaris.* Siue eſt *habitus de morbo, eiusque natura, ac viribus aegri recte et prudenter coniectandi.* (b) Prima definitio diſciplinam dicit, qua traditur illa coniectandi ars, altera rem ipſam, quae in animo medici, poſtquam didicit eam, inhaeret. Nobis cum animus ſit eam tradere, prior nobis ſequenda, et paulo plenius exponenda erit.

§. IV.

Dixi itaque eſſe Pathologiae partem alteram, itidem enim circa res praeter naturam, et praecipue morbum occupata eſt, etſi diuerſo modo. Illa enim, prior pars Synthetica methodo vtens, a cauſarum cognitione ad morbum, et ab hoc ad ſymptomata pergit, eaque ſic componit: Semiotica vero analyticam ſequitur, a ſymptomatibus, et iis, quae manifeſta ſunt, pergens ad morbum cauſasque latentes, eumque reſoluit, vt in intimam eius cognitionem perueniat.

§. V.

(a) *Lib. de arte.* (b) ROLFINCKIVS *Meth. comment.* CONRINGII eſt: *Doctrina ſemiotica rationem docet, qua quis inſtructus, plenam morborum notitiam inueſtigare poteſt.*

§. V.

Et hoc illud eſt, quod veros, et doctos, et genuinos medicos a medicaſtris et imperitis, ſophiſtisque diſtinguit: qui dum hoc artificio deſtituuntur, nunquam de ſanatione morbi, eo non cognito, poſſunt eſſe ſecuri, ſed palpant in tenebris, et ſi quid praeſtant eximii, id caſu potius, quam conſilio feciſſe intelliguntur. Morbi enim non ſatis cogniti non eſt vera curatio.

§. VI.

Dictum porro: Coniecturam *de morbis, eorumque cauſis inſtitui, ſede, ſtatu et euentu.* Non enim leuis, ſed accuratisſima eius notitia acquirenda: quae quo eſt accuratior, eo felicius poteſt curari. Hic autem, vbi de vita hominis lis agitur, pariter ac in cauſis iudicialibus, vel minima circumſtantia, vt aiunt, variat rem, eaque neglecta, tota non raro peruertitur. Omnia ergo, quae ad morbum vtcunque attinent, ſollicite expendenda: morbus ipſe quis ſit, et qualis, quibus cauſis ſit natus, vbi lateat, et quae natura partis affectae, tempus morbi, eius magnitudo, et cauſae, anque ea continens, num προηγȣμενη adhuc ſubſiſtens, vbi et ipſa haereat, quamque ſit magna. Omnia, inquam, iſta perſpecta medico eſſe decet, antequam curationem aggrediatur.

§. VII.

Hic enim eſt, vbi Medicus Philoſophus eſſe deſinit, et medicinae Practicae, vt vocat, initium capit. Nam Philoſophia morborum naturam et cauſas ſcrutatur, cum ille ſit *affectio corporis* animalis, vt Phyſici loquuntur, ſed hic iam terminum ſuum aſſecuta, deſinit. At medicus tum vltro pergit, et quomodo reſtitui posſit collapſum, vlterius quaerit, ex contemplatiua ratione in actiuam progreſſus, et Philoſophi nomen mutat in artificis: ante tamen, quam aggrediatur opus, veluti per propediam notitiam iſtam inſtituit, vt tutius finem ſuum introducat, morbumque expellat: Iam non amplius in vniuerſo, ſed indiuiduo, vt vocant, occupatus. (c) Hac de re plura poſſunt videri.

§. VIII.

Non autem praeſentia tantum, ſed et quid futurum ſit de morbo, et quae interim expectanda ſint ſymptomata, ſcire, et per hanc diſciplinam

(c) In ROLFINKII Meth. Comment. II. 1. 3.

plinam cognoſcere oportet, idque non vna de cauſa: Primum, vt iis proſpiciat; ſi euitari non poſſint, naturam aduerſus ea muniat, vt, ſi cum periculo coniungantur, reſiſtere queat, ſimul et aegrum vel adſtantes de iis commonefaciat, quod ad auctoritatem eius plurimum confert. Cautio etiam erit, ne medicamenta praeſtantiſſima, ſi obſiſti non poſſit, temere proſtituat. Extat locus apud SENNERTVM, (*) ex HIPPOCRATE, (d) qui huc maxime pertinet, et meretur hic quoque legi. Talis eſt: *προγινώσκων, καὶ προλεγων παρα τοισι νοσεουσι τα τε παρεοντα, καὶ τα προγεγονοτα, καὶ τα μελλοντα ἔσεσται, ὁκοσα τε παραλειπουσι οἱ ἀσθενεοντες ἐπιδιηγουμενος πιστευοντ᾽ αν μαλλων γινοσκειν τα των νοσεοντων πρηγματα, ὡστε ταλμᾷν επιτρεπειν τους ανθρωπους σφεας ἑωυτους τῷ ἰητρῳ.* Non pigebit interpretari: *Medicus qui praecognoſcit praeſentia, praeterita, et quae futura ſunt; tum et quae aeger forte omiſerit, ediſſerens, maiorem inueniet fidem, de rebus aegri,* et eas magis agnoſcere *credetur: itaque homines ſe illi maiori fiducia committent.*

§. IX.

Denique dicitur: coniectura artificioſa id aſſequi medicum. Etenim in ſola hac parte medicina coniecturalis eſt. (e) Omnia reliqua certa ſunt, et eruditum ac prudentem medicum fallere non poſſunt, poſtquam tam pulchre medicina exculta eſt. Nam partium ſtructura et vſus, (quantum ad curationem attinet) medicamentorum virtutes et operatio, eorumque tum praeparandi, tum applicandi modus, ſibi conſtant: ſola cognitio morbi latentis coniectura tentatur, acquiriturue, idque propterea, quod hic verſamur in ſingularibus, quorum non eſt demonſtratio, quum infinitis modis varient, ſuaque habeant propria et domeſtica. Indiuiduis enim et ſingularis eſt cum aeger tum morbus, prout haec facile intelliget, qui non eſt hoſpes in vera arte ratiocinandi, et doctrinam de demonſtratione recte perceperit.

§. X.

Vt autem haec vera ſint, non tamen hinc, tanquam incertam, et fallacem, artem medicam intueri oportet. Neque enim ſimplici coniectura vtitur, ſed docta, et artificioſa (*τεχνικον στοχασμον* GALENVS appellat.)

(*) Cap. I. Semoiotices. (d) Init. Prognoſt. (e) V. LAVREMBERGII Port. Aeſculap.

appellat. (f) Quod vt appareat, quae ſit talis, exponendum. Notanda ergo ſequentia: I.) *Coniectura* eſt triplex; qua de praeſenti, ſed occulto, vel de futuro vel de praeterito, ex quacunque tandem cauſa aliquid colligitur. II.) Haec vel eſt docta, vel indocta, ſiue artificioſa vel fortuita. III.) Indocta eſt, quae ex quacunque cauſa, incerta etiam, vel falſa vel inepta procedit. Vt ſi quis colligat tredecim conuiuas accumbere, ergo hoc anno vnúm eorum moriturum. IV.) Docta vero et artificioſa, ſi quis ex vero vel probabili cauſa aut per experientiam comperta, aliquid coniiciat. V.) Veram cauſam eſſe, quae vel ex certa ratione, vel experientia procedat, vel ex vtraque. Ex his vltima *certiſſima* eſt, et vix vnquam fallax: *ſecundo* loco habenda, quae ex ratione; *tertio* quae experimentis conſtituitur. Nam ex ratione quod eſt, apodicticum eſt, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερή. Neque obſtat, quod GALENVS ait, (g) τὸ τῆς τέχνης στοχαστικὸν ἐν τῷ διαθέσεων διαγνοστικῷ μάλιστα εἶναι. *Quod in arte de diſpoſitione cognoſcitur, plerumque eſſe coniecturale.* Idem enim mox: Εὑρισκόμενα αὐταί, ait, τὴν θεραπείαν οὐ στοχαστικῶς, ἀλλ' ἐπιστημονικῶς ἐκδείκνυσθαι. *Inuenta ſigna non per coniecturam, ſed ſcientifice curationes oſtendere.* Si ergo non στοχαστικῶς, neceſſum eſt, etiam morbos demonſtratiue cognoſcere. Vnum quippe ſine altero fieri nequit.

§. XI.

Ex his ergo Medicina vtitur non niſi optimis, et quidem plerumque veris cauſis, aliquando tamen coniecturis, ſiue ex ratione, ſiue experientia, ſiue vtraque. Hoc autem eſt, non raro plane apodicticis, et fallere neſciis, aliquando vero, vbi illa deficiunt, etiam probabilibus. His autem, cum poſſint fallere, raro vnis, ſaepiſſime pluribus in vnum conſpirantibus, quae deinde parum abſunt ab ἀποδείξει. Rariſſime vſu venit, et non niſi in abſtruſiſſimis, quod HIPPOCRATES Lib. *de Flatibus* ait, vt de illis *opinio magis, quam ars iudicet*, et in his tamen verum eſt, quod additur: *Plurimum imperitiae peritiam praeſtare.* Id GALENVS vocat ſententiam inter ignorantiam et ſcientiam mediam. Idem alio loco ait: *In Pleuritide et dyſenteria* ἐπιστημονικὴν εἶναι, ὡρισμένοις σημείοις γνωριζομένην. *Scientificam eſſe, ex determinatis ſignis cognitam:* in

(f) *De Comp. Med.* K. 7. cap. I. (g) *II. Comp. Med.* K. 7. cap. I. et III. *de loc. affect.* cap. 3.

in aliis vero coniecturalem, ſolis iis inueniri idoneam, qui exacte cuiusque morbi curationem (mallem naturam et hiſtoriam) *nouerint*. His tamen omnibus ſi nihilominus Medicus fallitur, ideo id euenire exiſtimandum eſt, quod vel non ſatis expendit haec, vel non dextre ſatis ſua dogmata praeſentibus applicat, (homines enim ſumus, omnes falli poſſumus) vel aeger non ſatis ſeſe aperit, (vt ſolent, qui foedis morbis laborant) aut ſeruientes vel adſtantes non ſatis bona fide enarrant omnia, (δεῖ γὰρ οὐ μόνον ἑωυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιέοντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρεόντας,) vel morbo ſubeſt aliquid inſoliti, idque ex conditione partium, humorum, ſpirituum, quo a communi ratione recedunt.

§. XII.

Omnia autem iſta fiunt, quo certiorem curationem inſtituas: Hic ſcopus eſt, in quem omnis dirigitur ſciſcitatio. Eſt enim ὁ ἄριστα γνοὺς, ἄριστα θεραπεύσει. Quo magis certus quis eſt de eo, quod remouendum, aut corrigendum, eo facilius illud ſemouebit. Hinc et HIPPOCRATES *de arte:* (h) *Medicum, ſi quidem ſuffecerit ad cognoſcendum, ad ſanandum etiam ſufficere* ait, et IVLIVS CAESAR. CLAVDINVS, (i) *is qui ſolus curat, nec qui cum aliis de curando aegro conſultat, bene vnquam ſuo munere defungi poterit, niſi ab aegro et aſſidentibus bene inſtructus.* Verum apertiora haec ſunt, quam vt pluribus illuſtrari deſiderent: itaque ad alia transferamus ſermonem.

CAP. II.

DE SIGNIS, ET EORVM DIFFERENTIIS.

§. I.

Vt cap. I. dictum eſt de obiecto, quod vocant, huius diſciplinae: ita nunc de inſtrumentis, quibus ad obtinendum finem vtitur, cognoſcendum eſt. Sunt autem *Signa*, quae in occultarum rerum notitiam nos perducunt. Omne, quod cognoſcendum eſt, vel per imaginem ſui cognoſcitur, quae ſenſus afficit, vel per aliud quid, quod non per eandem ſpeciem repraeſentat animo praeſentiam rei, ſed memoriam antea obſeruatorum excitat. Vtrumque experientiam ſuppo-

ponit,

(h) T. 20. (i) De Ingreſſ. ad infirm. c. I.

ponit, quae vel primo ſtatim motu rei imaginem offert, quales ſunt ſenſus externi, vel poſtea ex multa atque iterata obſeruatione compertum exhibent, quo de praeſentia rei conſtet, eamque adeſſe, vel futuram eſſe, colligitur, cuius eſt ſignum. Quae autem per ſenſus conſtant, quaedam iis ſtatim obuia ſunt, eaque vel *oculis* ſe ingerunt: vt Colores, maculae, vulnera, geſtus; vel *auribus*, vt quae ab adſtantibus, vel aegro narrantur, vt quid ille ſenſerit, vel nunc ſentiat; vel naribus, vt odores; vel tactui, vt mollities, durities, aſperitas (in eryſipelate) tumores, etc. Quaedam vero, iis plane occultata manifeſtant, itidemque ſenſibus cognoſcuntur, ſed praeter ea, quae iis offerunt, aliud quid ſignificant, quod eos latet. Omne enim ſignum ſenſibus percipitur, et habet connexionem cum eo, quod indicare debet. Senſus autem ſimulacris rerum, ea vero quae his non ſunt obuia, non imaginibus, ſed ſignis manifeſtantur: vt ignis per fumum. Docuit hoc HIPPOCRATES: (a) ὁσα γὰρ, aiens, την των ὀμμάτων, ὀψιν εκφευγει, ταυτα τῇ τῆς γνωμης οψει κεκρακηται. *Quae oculorum viſum effugiunt, ea mentis acies comprehendit.*

§. II.

Haec ergo, quia aliquid ſignificant, ſigna medicis appellantur: de quibus, etſi ſatis quid ſint, notum omnibus videatur, tamen exquiri ſolet definitio, et a variis varia tradi. Optima videtur, quam *Auctor Def. Med.* GALENI *operibus* inſertus habet, vbi ſignum ait eſſe τὸ τῦ ἀδήλυ δηλωτικόν. Quod latine eadem facilitate exprimi haut poteſt. Haec certe et breuis eſt, et emphatice rem omnem exponit: Non enim omnium expetuntur ſigna, ſed eorum, quae in occulto ſunt, hoc eſt, externis ſenſibus non patent. Trademus tamen mox aliam vtiliorem definitionem.

§. III.

Signa porro in maxima varietate ſunt: vnde in claſſes disponuntur. Vulgo dicunt: *alia eſſe ſalubria, alia inſalubria, alia neutra.* Qua re et verbis peccant, et ſententia. Verbis, quia abſurdum eſt, ſigna ipſa ſalubria vel inſalubria appellare, cum ſint ſalubrium, vel inſalubrium, partium nempe; vt SALVSTIVS ſalubre corpus dixit: Sententia vero,

(a) *Libr. de arte.*

vero, quia cum ſalubria corpora non pertineant ad medicum, eam cognoſci per ſigna, opus non habent: neque alia occurrunt, quam actionum integritas. Taceo de neutris, quae nulla ſunt, ſimul ac enim actio laeditur, morbus adeſſe, intelligitur, quamdiu non laeditur ſanitas. Verum de ſtatu neutri ſatis iam antea actum eſt.

§. IV.

Rectius igitur ſigna diuiduntur in Diagnoſtica, et prognoſtica, quorum illa praeſentem, haec futurum ſtatum manifeſtant. Quibus addunt quidam *ἀναμνηστικα, rememoratiua*, quae praeteritorum memoriam conſeruent, ſed praeter necesſitatem. Etiamſi enim res ſit non de nihilo, tamen cum praeterita non niſi praeſentis morbi cauſa cognoſcantur, ſub diagnoſticis comprehendi poſſunt.

§. V.

Diagnoſtica enim varia manifeſtant: quaedam ipſum morbum, quaedam locum affectum, alia praeſentem morbi ſtatum, et tempus: Nonnulla cauſas, aliqua etiam naturae robur, aut imbecillitatem. Quae omnia merentur attendi: nam ex his prognoſtica etiam formantur, dum conferuntur morbi magnitudo, ſtatus, tempus, etc. et naturae vires.

§. VI.

Eorum autem, quae morbum indicant, diuerſa eſt ratio, et ſignificandi poteſtas, quae a variis auctoribus varie diſtinguitur: Nonnulli in *παθογνομονικα, συνεδρευοντα, ἐπιγινομενα*, et *ἐπιφαινομενα* ea diuidunt. Quae diuiſio obſcura et difficilis eſt, et non magni vſus, et videri poteſt apud SENNERTVM. Itaque eam ſuis auctoribus relinquendam puto: legendam tamen ibi, ne prorſus ignoretur. Paulo melior eſt, quae eam ibidem praecedit, Galeni: in propria, et communia, illorum vero rurſum in ſeparabilia et inſeparabilia ac propria, et quae vtrumque hoc ſimul ſunt. Verum nec iſta adhuc ſatis perſpicua videtur.

§. VII.

Nos ergo talem tradimus. I. Quaedam communia ſunt multis morbis, quaedam propria vni ſoli. II. Ex propriis autem quaedam vni quidem ſoli, ſed non ſemper adſunt, alia vero et vni ſoli et ſem-

per.

per. III. Communia vero vel alicui omni competunt, ſed non ſoli, vel nec vni ſoli, nec omni: Vt hinc ſint quatuor ſignorum ordines, duo communium, duo propriorum. Quaedam enim multis morbis communia ſunt, ita vt et huic, et illi, et iſti, ſed neque ſemper in iſtis morbis apparent, et in aliis etiam ſe dent obuia.

Quaedam vero omni quidem illi morbo competunt, et vbicumque ille eſt, ibi ſimul et ſigna iſta ſunt, verum et aliis quoque adſunt; Quaedam iterum ſoli cuidam morbo, ſed non omni conueniunt: verum aliquando adſunt quidem, aliquando abſunt, ſed nullos alios comitantur. Denique ſunt, quae nunquam a morbo ſeparantur, et non niſi vni cuidam adſcribi poſſunt, et praeterea omni adſunt. Veruntamen et haec duplicis generis ſunt. Nam quaedam iterum omni tempore morbum comitantur, quaedam vero, vel initio tantum, vel in ſtatu, certisque aliis temporibus obſeruantur. Vt dici per compendium poſſit:

Quaedam ſigna competere multis morbis, quae communia appellauimus. Eaque rurſum, vt

1. { 1. Neque ſoli illi, cuius ſunt, neque omni.
2. Omni, ſed non ſoli. }

Quaedam autem vni tantum, illaque vel

2. { 3. Soli ſed non omni.
4. Soli et omni. Haecque rurſum,
vel ſemper illi adeſſe,
vel non ſemper, ſed certo tempore. }

§. VIII.

Haec ſane diuiſio et accurata eſt, et vſum habet maximum. Nam ſignis talibus omnibus percognitis, certi eſſe poſſumus de morbi, cauſaeque et ceterorum praeſentia atque abſentia, vt hoc nos fallere nullo modo poſſit. Sed opus foret diligentisſimo aliquo viro, qui per morbos ſingulos omnia iſta nobis ſigna deſcriberet, et notaret. Hac ergo parte mutila adhuc medicina eſt, et imperfecta. Non eſt huius loci id praeſtare nunc: Summam autem rerum indicabimus.

§. IX.

Signum itaque, quod neque ſoli, neque omni competit, nihil habet certitudinis. Si enim adſit, cum non ſoli competat, inferri hinc non poteſt, adeſſe morbum, quia et aliis commune eſt; neque ſi non appareat, abeſſe morbum, in quo apparere ſolet, tuto pronunciaueris, quia non omnibus praeſto eſt. Niſi tamen et reliqua, quae eſſe ſolent praeſentiae eius teſtimonia, ſimul compareant, aut omnes morbos, quibus adeſſe ſolent, in expromta memoria habeas: tunc enim per remotionem omnium ceterorum, ad vnum tandem, qui ſolus reſtat, animum applicare liceat.

§. X.

Quod autem omni, ſed non ſoli aduenit, ſi appareat, adeſſe quidem morbum, certo affirmare non licet. Quia enim et competit, fieri quoque poteſt, vt ille non ſit, ſed aliorum aliquis: Niſi tamen rurſum, remotis omnibus, in hoc ſolo cogaris acquieſcere. At vero, ſi non appareat, abeſſe, infertur merito. Nam ſi id non fieret, non omni competeret.

§. XI.

Sed quod ſoli competit ſignum, ſed non omni, morbum, cui eſt proprium, adeſſe certo oſtendit. Si enim non oſtendet, et non ſoli competeret, ſed etiam aliis. Attamen contra inferre non licet, ſi abſit, etiam morbum abeſſe, quia enim non omni competit, fieri poteſt, vt adſit morbus, ſignum autem deſideraretur.

§. XII.

Quod autem et ſoli et omni praeſto eſt, illud ſi abeſt, morbum etiam abeſſe, non eſt dubitandum. Verum ex altera parte, ſi adſit, et quaeras, an etiam adeſſe morbum, poſſimus eſſe ſecuri, antequam reſpondeas, vlterius inquirendum eſt, an etiam ſemper adſit. Quodſi ita eſſe deprehenditur, etiam id certo dixeris, adeſſe morbum, ſi vero abeſt, eum etiam abeſſe, non tuto affirmes, nam fieri poteſt, vt tempus illud, in quo apparet, nondum venerit. Et haec, quae vni ſoli, et ſemper conpetunt, illa ſunt, quae GALENO inſeparabilia, aliis vero παθογνωμονικα appellantur.

§. XIII.

§. XIII.

Neque haec de iis valent ſolis, quae morbum indicant, ſed eadem eſt reliquorum ratio, quae cauſam, vel proximam, vel remotam prod▪unt, ſiue illa iam dudum praeterierit, ſiue adhuc ſubſiſtat integra; ſiue προηγȣμενη fuerit, ſiue procatarctica. Cauſis autem vnice conueniunt, quae αναμνηςικα quibusdam memorantur. Quae autem *morbi ſeaem* et *ſtatum praeſentem* nobis produnt, ad hanc ſignorum diuiſionem non pertinent, ſed ſemper adſint, et vni ſoli competant neceſſum eſt: niſi quod illa, quae locum affectum indicent, ſaepe numero ſint magis dubia, etenim multa viſcera in vno loco ſita ſunt, quae per illum, qui locum potisſimum indicat, dolorem, diſcerni ſemper nequeunt. *Tempora* autem morborum, principium, incrementum, ſtatus, declinatio per illa ſigna, quae omni, ſolique, ſed non ſemper adſunt, iudicari ſolent.

§. XIV.

Non eſt autem ſilentio inuoluendum, haec omnia fluxiſſe ex riuis ſapientisſimi ARISTOTELIS, qui ſignorum in vniuerſum omnium naturam indicauit ſolus. (b) Ait autem, *ſignum eſſe vel propoſitionem demonſtratiuam, aut neceſſariam, aut probabilem, accipique, aut in prima figura, aut in ſecunda, aut in tertia.* Vbi ſignum primi modi appellat, quod ſoli, omni, et ſemper competit. Talis enim eſt primus modus ſyllogismorum, qui eſt καϑολȣ, et non poteſt fallere. Secunda figura complectitur ſigna negatiua. Eſt enim in ſecunda figura nullus affirmatiuus ſyllogismus, ſed omnes ſunt negatiui, iterumque procedunt ex vniuerſali propoſitione et neceſſaria, eaque omni ſed non ſoli competentia tradit, qua licet concludere; Abeſt hoc ſignum, ergo non eſt morbus iſte, at nullo modo affirmatiue. Vnde appellauit hoc propoſitionem neceſſariam, non autem demonſtratiuam, quia demonſtratio non cadit, niſi in ſyllogismum primae figurae, et tamen in ſecunda ſequitur neceſſario: morbum non eſſe. Tertia figura, cum vel ab exemplis procedat ad concluſionem, vel ab alia re probabili, quod nec omni nec ſoli competit, probabilem propoſitionem eam appellauit, hoc eſt, quae rei ſuſpicionem pariat, ſed nihil certi inferat.

(b) II. Analyt. cap. vlt.

CAP. III.

DE FONTIBVS SIGNORVM.

§. I.

Fontes ſignorum intelliguntur, e quibus, veluti ex puteis, illa haurire ac petere liceat, et quaſi extrahere. Vt enim in doctrina ſimplicium medicamentorum tria genera fecerunt doctores, quae tria Regna (inepte ſatis) vocarunt, (Claſſes commodius appellarentur) ita hic fontes commenti ſunt nobis, pro libertate philoſophandi.

§. II.

Varios autem enarrare hos ſoliti ſunt auctores, qui tamen ad tres vel quatuor redigere ſolent. Medici anteſignanum GALENVM ſuum ſecuti, (a) haec nobis commemorant: Eſſentialiter inhaerentia, effectus, et cauſa. Per eſſentialiter inhaerentia eas, ſiue cauſas, ſiue ſymptomata intelligunt, quae ſe ſponte offerunt, et quaſi ſiſtunt per ſe, non quaeſita, ſaepe enim res ex ſe, et propria, inquiunt, natura manifeſtae ſunt, et viſui ſeſe offerunt, vt aliis ſignis opus non ſit, prout hoc legitur apud SENNERTVM, communem dogmatum noſtrorum interpretem. Haec, etſi recte habeant, paulo obſcuriora tamen illa ſunt eſſentialiter inhaerentia, nec quid illis denotetur, ſatis perſpicuum eſt, nec fundamentum huius diuiſionis apparet; cum illa non ſatis effectibus cauſisque reſpondeant. Recurrere liceat rurſum ad ARISTOTELEM, et ex eius mente haec exponere et contemplari, relictis illis eſſentialiter inhaerentibus, quae tam varia occurrunt animo, vt ſub vnum genus redigere, ſit omnia commiſcere. Ex noſtra ergo mente illa et paulo aliter exponamus.

§. III.

Supra dictum eſt, ſignum eſſe, quod occultum manifeſtat, itidem ex GALENO; Sed haec definitio nominalis eſt. Altius in rem penetrat, et nobis apertius loquitur ARISTOTELES, (b) vbi pereleganter Signum ita definiuit, omnia exhauriens: Signum eſſe οὗ ὄντος ἐστιν, ἢ οὗ γενομένου, γίνεται ἢ γέγονε τὸ πρᾶγμα. *Quo exiſtente exiſtit, aut quo facto,*

(a) Cap. 8. *artis med.* (b) Citato modo loco.

facto, fit, aut factum eſt aliquid. Quibus verbis concinne omnia ſignorum genera, magno artificio complexus eſt, vt neque his addi quicquam, neque demi poſſit. Nam per illa: ὃ ὄντος ἐστιν, ea, quae cum rebus ſimul ſunt, intelligit, et eſſentialiter inhaerentia medicorum notauit. Haec autem non ſemper eſſentialiter inhaerent rebus, vt ecclipſis Lunae, dum exiſtit terra in medio inter eam et ſolem. Eſt enim ecclipſis ſignum interiacentis terrae; et cum arcus coeleſtis exiſtit, ſignum eſt pluuiae, et mulier, ſi lac in mammis habet, vterum gerit, (menſes ſuppreſſi id quoque habent, ſi virgo eſt, et tunc etiam hoc ſignum eſt certiſſimum, adeoque nihil derogat huic aſſerto.) Verborum autem ſequentium, ὃ γενομένου γένεται, *quibus factis, fit aliquid*, cauſarum claſſem tangit, vt, dum coiuit mulier, foetus generatur, et, dum ſol oritur, luceſcit. Haec reciproca ſunt, vt ab alterutro ad alterum valeat argumentatio. Tertium vero, ἣ γέγονε τὸ πρᾶγμα, conſequentia nobis offert, et effectus rerum: his enim exiſtentibus, praeteriit, et antea exiſtit neceſſario, et cauſa, et eius quaedam actio, qua effectus eſt editus.

§. IV.

Haec iam ad morbos traducamus, et ſigna medica: inuerſo tamen dictionis ordine, et loco, πράγματος νούσου dicamus: ὃ γενομένου ergo, γέγονε νοῦσος, *quo facto, factus eſt morbus*, cauſa eſt, eaque remota quaelibet, facto enim morbo cauſam extitiſſe eſt neceſſe, perinde autem et ſymptomata cauſae hoc notantur, cuiuscumque etiam ſint naturae. Porro autem, ὃ ὄντος, γίνεται ὁ νοῦσος, immediata eſt cauſa, ea enim fere tempore ſimul ſunt, etſi ordine quaedam diuerſitas ſit, et praerogatiua: vt cum luna interuenit inter ſolum et terram, fit ecclipſis. Haec ſors eſt omnis cauſae inmediate dictae, ſeu proximae, a qua ad morbum et a morbo ad iſtam licet reciproce argumentari. Et hic eſt id, quod fontem cauſarum appellant.

§. V.

Vlterius: ὃ ὄντος ἐστιν, quo exiſtente, exiſtit ὁ νοῦσος, ſymptomata ſunt, quae morbum comitantur, vel ſequuntur, omnia. Sunt enim morbi cauſae ſymptomatum, quo producuntur iſta, vti et cauſa morbi producit aliqua. Eſt ergo hic fons effectuum, ſymptomata enim ſunt

effectus.

effectus. Et cum ſymptomata ſint duplicia. 1) Quae cum morbo ſimul ſunt, et proprie ita nominantur, et quae poſt demum eum ſequuntur, illa quidem ſunt, quae eſſentialiter inhaerentia a noſtratibus vocantur: haec autem, ſi longius remota ſunt, et ſequentibus demum temporibus apparent, non tam diagnoſtica ſunt, quam priora illa, ſed multa ſymptomata ſymptomatum, aliqua etiam iam olim factum non modo, indeque ortum morbum ſignificant: vt ſi quis ex luxatione claudicet. Haec non attenduntur Medico, qui praeſentis tantum morbi curam habet.

§. VI.

Addunt nonnulli fontem ſimilitudinis. Verum is valde eſt turbidus, et ad illas propoſitiones pertinet, quas retulimus ad tertiae figurae ſyllogismos: ab exemplo enim argumentari, tertiae figurae eſt, nec, niſi omnibus circumſpectis, et probe expenſis, fieri debet. Alias mere empirica, et anilis argumentatio eſt, qua vetulae quotidie vtuntur, non expenſis ſignis, cuius ſint generis, an ſoli, an omnibus competant. Vnde et a SENNERTO reiiciuntur. Prope eſt tamen, vbi locum inueniant, nimirum in morbis epidemicis, quae plerumque mira, et ſimilia habent ſymptomata. Quae cum apparent, eodem malo aegrum laborare, quo ceteri, non ſine cauſa ſuſpicamur.

§. VII.

Tria ergo ſunt in vniuerſum, quae fontium nomine veniunt rerum genera. *Praeterita*, qualia ſunt cauſae, niſi ſint continentes. *Praeſentia*, quo nomine morbus venit, habito reſpectu ad cauſam, itemque ſymptomata, reſpectu, ad morbum et cauſam, et *ſuperuenientia* ἐπιγινόμενα ſeu ἐπιγενήματα. Ex his omnia ſigna diagnoſtica petuntur fontibus, eaque queunt ſufficere. His peractis, quia porro de ſignis medico ſit agendum, dicamus.

§. VIII.

Duo autem in cognitione morborum fieri debent. I.) Vt rite obſeruentur ſymptomata et apparentia omnia: II.) Vt recte de his argumentationem inſtituamus. In obſeruandis iis, quae apparent, caute ſe gerat obſeruator, oportet. Multa enim ſunt, ſingulis hominibus propria et peculiaria, quae poſſent ipſi inponere, et pro morboſis haberi, naturalia cum ſint. Itaque non ſibi ſoli fidat, ſed aegrum interroget,

terroget, ſi quod dubium habet, et ex eius relatione diſcat, verane ſit, quam cepit ſuſpicio.

§. IX.

Cum autem porro et medicum et aegrum multa adhuc latere poſſint, praeterita maxime, et quae intus in corpore percipiuntur, et fiunt, ea quoque ex adſtantibus ſciſcitari licebit atque expiscari. Inde HIPPOCRATIS ſunt quaeſtiones, (vel ſi quis alius auctor ſit) (d) quibus paucis complexus eſt, quae ex his quaeri conueniat: *1.) Quid doleat? 2.) qua de cauſa? 3.) ex quot diebus? 4.) quo victu vſus ſit?* (quibus totum vitae genus videtur indicaſſe) *5.) an aluus* reſpondeat? Has autem multis aliis quaeſtionibus auxit I. D. MAIOR, Praedeceſſor meus, qui videri poteſt. (e)

§. X.

Ex his cognoſcitur, ad obſeruandum pariter atque interrogandum minus eſſe idoneum, quicunque in pathologicis non probe eſt exercitatus, et hiſtoriam morbi, ac ſymptomata in eo obuia non ſatis habet cognita. Etenim poſt haec vniuerſim interrogata per multa alia pariter interroganda ſunt, vt quomodo praecordia, quomodo aegri caput ſe habeat, aliaque ex contextu HIPPOCRATIS eruenda: quae vel morbum reſpiciunt, vel Symptomata. Haec quo ordine, quoue tempore morbi incidant, ſi quis ignorat, et quaerere non poteſt, et ſi reſpondeatur, quid inde porro colligat, pariter eum ignorare, neceſſe eſt.

§. XI.

Atque haec hactenus. Sequitur alterum, quod eſt ipſum illud: nempe vt ex obſeruatis recte argumentationem inſtituat. Neque enim ſufficit obſeruatio, niſi inde aliquid colligat, vel morbum, vel cauſam, vel ſedem morbi, vel tempus, vel aliquid tandem, quod ad morbum attineat, manifeſtet, in quo, niſi intelligas argumentandi leges, facile potes decipi. Neque vero haec res tam facilis eſt, vt poſſis illam (quae perſuaſio eſt multorum,) ſine multa cognitione ſyllogismi, et quae illius ſit vis, et poteſtas, inſtituere, licet naturalis λογικῃ magna diligentia adhibeatur.

§. XII.

(d) *Libro de adfectionibus, item de victus ratione in morbis acutis. Vide et Valeſ. in 11. Epidem. p. 122. vbi plura iubet inquirere.* (e) *Peculiari ſuper iſtas diſſertatione.*

§. XII.

Eſt autem omnis argumentatio, hic adhiberi ſolita, a cauſa ad effectum, vel contrario modo: quae vtraque nititur axiomate illo Philoſophico, nemini ignoto: *Qualis cauſa, talis effectus, et qualis effectus, talis cauſa*, quo omnis de ſignis, aut pleraque ſaltim doctrina abſoluitur. Etenim etiam illa pleraque, quibus exiſtentibus, exiſtit aliquid, ad vnam vel alteram horum tandem referri neceſſum eſt, quocunque conſideres modo. Quod enim in corpore latet, non niſi per alterutrum horum poteſt ſe manifeſtare: vocant autem vulgo prius illud argumentandi genus *a priori*, poſterius *a poſteriori*, quod alterum ignobilius quidem putant, et multo eſſe primo illo deterius: at enim in his par eſt certitudo: neque enim effectus de cauſa minus certo teſtatur, quam cauſa de effectu, modo recte adornes ſyllogismi formam, nec in medio termino aut ipſis legibus ſyllogiſticis inpingas.

§. XV.

Vt autem, quod docui, exemplis illuſtrem, atque confirmem, quasdam argumentandi rationes ſubiungam et regulas, quae ex ſupra dictis extraxi, nihil penſi habens eorum petulantiam, qui omnem ſyllogiſticam orationem contemnunt, aut habent pro nihilo: ſcilicet, quia non intelligunt, neque perſpiciunt robur, quod in illa eſt:

1) Omne ſignum, quod ſoli competit, omni et ſemper, Syllogismum in prima figura affirmatiuum ſuppeditat, et inuerſo modo, ſi non adſit, negatiuum, vt cum pulſus eſt cum calore magnus, initio is omni febri competit: Ergo vbicunque eſt magnus calor p. n. et pulſus magnus ac frequens, ibi febrim adeſſe, et quidem morbi eſſe principium, certum eſt. At vero in hoc aegro eſt tale: Ergo. Parique ratione: Vbicunque non eſt calor p. n., ac maior, quam natura eſſe ſolet, et pulſus non frequens ac magnus, ibi non adeſt febris. Atqui haec in aegroto non ſunt. Ergo

2) At ſi ſignum ſit tale, vt omni conueniat quidem, ſed non ſoli, ſit ſyllogismus in II. figura hoc modo: Omnis calculus habet dolores in regione lumbari. Hic nulli adſunt dolores lumbares. Ergo: At non licet contrario modo inferre: Hic adſunt tales dolores, ergo adeſt calculus. Notum enim eſt, etiam colicam tales habere dolores, adeoque omni quidem calculo eos adeſſe, non autem ſoli; notumque eſt

cx

ex libr. de locis affectis, quomodo in hoc ſigno deceptus ſit ipſe GALENVS.

3) At *ex ſimili* ductae argumentationi nulla firma eſt conſequentia, neque enim fit ſyllogismus vniuerſalis, ſed particularis tantum, et in tertia figura, ex quo non niſi probabili ratione inferre licet, vel fit ſyllogismus in II. figura affirmatiuus, vel in tertia rurſum, ſed ex meris particularibus propoſitionibus, quales non ſunt veri ſyllogismi, ſed vitioſi: vt ſi quis dicat: In SOCRATIS morbo erat dolor capitis: in Platonis morbo itidem dolor capitis adeſt: ergo eſt idem morbus. Ratio eſt, quod vnius rei plures eſſe poſſunt cauſae. At in Epidemicis licet nonnunquam eo argumentationis genere vti, ſupponitur enim, omnem hunc morbum, qui tum graſſatur, eiusdem naturae eſſe, eademque habere ſymptomata, vt maior fiat vniuerſalis.

§. XIV.

Et in epidemicis, quia plerumque a reliquis ſui ſimilibus recedunt natura ſua, vix alia ſigna ſuppetunt, quibus per initia iudicantur, et tamen expectare, periculoſum plerumque eſt. Eſt tamen et alia ratio, ſi nempe tota ſymptomatum caterua, eodem ordine ſe inuicem ſequantur: tunc enim idem intus agens eodem modo, ſe ſatis manifeſte prodit. Et haec ſunt illa, quae per exempla, et ſimilitudinem licet colligere.

§. XV.

Sciendum etiam, cum Pathognomonica ſigna, quibus poſitis, ponitur, ſublatis, tollitur morbus, plerumque deſint, tum multa, ſimul accepta, vnius certi locum habere. Vt in Pleuritide quinque ſunt, quae ſimul ſumta, pathos illud ignotum eſſe non ſinunt. 1 Febris acuta, 2. tusſis, 3. ſanguinis et puris ſputum, 4. punctura lateris, et 5. pulſus durus. Sic tusſis purulentus, febris lenta, macies, et exacerbatio poſt paſtum, Phthiſin denotant. Lumborum dolor, vrina pallida initio, ſabuloſa poſt, aut lactea, vomitus, omniumque membrorum dolor grauatiuus calculum, etc.

§. XVI.

Ex his ergo clarisſime cognoſcitur, magnam in medico non ſolum experientiam requiri, vt rite posſit obſeruare, ſed et neminem

bonum eſſe medicum poſſe, niſi arte ratiocinandi probe ſit inſtructus, atque ita verſatus, vt, quae ex quibus apparentibus, quae non, quae apodictice, et porro, quae probabiliter, tantum concludere liceat, ſciat, et quando, et alia eiusmodi. Certe qui naturali ratiocinandi facultati nimium tribuit, hic plurimum hallucinabitur.

§. XVII.

Neque diſſimulandum eſt, omnes quidem argumentationes iſtas verſari in ſingularibus, vnde quis inferat: ſingularium non eſſe ſcientiam! Eſt enim, ex vniuerſalibus. Nam omnes ſyllogismi ſemiotici vniuerſalem propoſitionem habent. Nempe: vbicunque haec ſigna apparent, ibi eſt talis morbus, aut ibi talis laborat pars, aut ibi ſtatus eſt, vel augmentum morbi, vel declinatio. Artificis eſt, haec ſingularibus illis recte, et ex legibus artis et ratiocinandi adiicere, et inde inferre, nam quodcunque de vniuerſo dicitur, etiam de ſingulis verum eſt, ex dicto de omni et nullo logicorum, quod omnis veritatis ſyllogiſticae primum principium eſt et fundamentum.

§. XVIII.

Adiuuat autem plurimum cum obſeruandi, tum ratiocinandi facultatem rectum iudicium, et ſagacitas illa, quam ARISTOTELES αγχινοιαν appellauit: qua praeditus ea in aegro ſaepe perſpicit, et confeſtim agnoſcit plurima, quae ea deſtitutus nunquam agnoſcit. Haec autem, vt merum naturae beneficium eſt, ita nonnunquam Diuina ope, vel dirigi et ſuſcitari, vel inpediri ac ſuſpendi poteſt, quo fit, vt, fatis vrgentibus, maximi etiam in arte viri mirifice nonnunquam caecutiant.

§. XIX.

Haut parum vero vtilitatis hic affert exercitatio, et experientia. Vt enim quies ingenium hebetat, vſus firmat, et experientia plurima oſtendit, quae doceri non poſſunt, ſic etiam hic accidit, vt tria iſta, φυσις, μαθεσις και ασκεσις, hic quoque vt in aliis diſciplinis, artibusque omnibus, locum inueniant.

§. XX.

§. XX.

Denique et antea perſpecta aegri conſtitutio, tam naturalis, quam illa, qua ad morbos quosdam nonnulli magis, quam ceteri inclinant, multum auxilii afferunt. Vt falli extraneum medicum, et cui aeger prorſus ignotus eſt, in multis oporteat: notus autem et familiaris, ceteris paribus, rectius iudicabit. Extant exempla aliquot eius rei in ROLFINCII Methodo, (f) quae iſta mire confirmant.

(f) *Comment. III. 1. 3.* in fine capitis. His iungi merentur, quae Excellentiſimus BOHNIVS Libr. I. *de Officio medici* perdocte conſcripſit, cap. 6. et 8. *Vbi de ſciscitationibus Medicorum* ex induſtria peragit.

SECT. II.

SEMIOTICES.

CAP. I.

DE SIGNIS DIAGNOSTICIS SPECIATIM.

§. I.

Dictum antea eſt, capite primo, non ſolum praeſentia, ſed etiam futura Medicum cognoſcere, et morborum et praeſentem ſtatum, et quid de eo futurum ſit, animo complecti oportere. Ex quo duplex ſignorum genus nobis exſurgit: vnum quod manifeſtat praeſentem corporis morbique ſtatum, alterum quod futurum, quorum illa Diagnoſtica, haec prognoſtica appellantur. Non quod plane diuerſa ſint, ſed quod diuerſa tamen eorum ſit ratio. Nam eadem eſſe fere, hoc indicat, quod futurus rerum ſtatus non niſi ex praeſenti colligatur. Si enim iſte bonus eſt, etiam de futuro bene ominabimur, ſi non eſt talis, vt promittat optima, male. Nunc ergo Diagnoſtica conſiderabimus: quae, dum fontes, vnde petenda ſunt, indicauimus, nunc quod ſingula inde petita ſignificent, et quae, quando arceſſenda ſint, indicemus.

§. II.

Verum hic illi, qui artem medicam recte etiam valentium curam agere exiſtimant, de ſani corporis ſtatu cognoſcendo ſolliciti ſunt admodum, et prolixe de partium omnium temperamentis (cum organorum nulla in robuſtis corporibus ſit corruptio) ſigna exponere ſolent. Quo labore nos ſuperſedere poſſumus, poſtquam in priori parte Phyſiologica, ſeu potius prolegomenis oſtenſum ſit ſatis, hanc curam ad medicum, qua talis eſt, nullam prorſus pertinere. Non quidem eſt negandum, dum et naturalium cauſarum cognitio ad morbos aliquid poſſit conferre, non inutilia prorſus iſthaec eſſe poſſe, attamen quia et longisſime remotum hoc cauſarum genus, et dum ſaepe ad ignotum prorſus aegrum medicus vocatur, praeſcire ea non poſſit, ita vt praeter temperamentum vniuerſum, quod ex ſanguine pendet, nihil hic cognoſci queat, iſta viſcerum omnium temperamenta ſcrutari, vanum ſit,

et

et iam tum ea exploſa merito ea omnia omittimus: Fruſtra enim illorum conditiones ſciſcitaremur. Ergo relinquamus ea iſtis auctoribus, et praeternaturalia potius inquiramus.

§. III.

Neque vero in eo multum occupabimur, vt quomodo corpus ſanum ab aegro diſcernendum ſit, perhibeamus, ſatis id nos docuit GALENVS ipſe. (a) Dum ait, quandiu quis actiones corporis commode perficiat, tamdiu ſanum habere. Quod ipſa docet ratio: Cum enim corpus noſtrum ſit organicum, cum anima, tamquam primum mouens, vitium capere non poſſit, donec actiones recte fiunt, partes etiam corporis et organa, quibus fiunt, bene habere, et ad leges conſtituta eſſe, neceſſum eſt. At vbi id non amplius contingit, tum vero organicam partem eſſe corruptam, vel etiam fluida, ſine quibus fieri, quae illo praeſtanda ſunt, non queunt, male habere, neceſſum omnino eſt. Quodſi vero effici ea quidem poſſunt, ſed non ſine difficultate, aut fiunt quidem, at non ſatis promte tamen, iam tum partes corruptas eſſe, facile intelligitur, etſi nondum ſuccumbat aeger. Quem *ſtatum neutrum* nuncupari ſolent, attamen vitioſus iam eſt habendus. Nam *laeſionem actionis* genuinum eſſe morboſi ſtatus ſignum, nemo eſt, qui non fateatur, et ex GALENO modo docuimus.

§. IV.

Neque ſolliciti erimus de inſtante morbo, aut paulo poſt futuro praenoſcendo, quod haec res et ad prognoſin magis pertineat, et multi morbi ſubito inuadant, nullo ſui prius facto indicio, et hoc non tam medici ſit, quam cuiuslibet, praeſentiue, ſi male habere incipiat. Fecit id GALENVS, (b) quum medicinam reſpiceret vt artem ſalubrium, inſalubrium et neutrorum. Quae contemplatio potius ad conſeruandam valetudinem pertinet, quam ad medicum. Petuntur tamen iſta ſigna, vt obiter hoc, cum ex declinatione ab alacritate et promtitudine agendi, torpore et ſegnitie, et a ſymptomatibus ceteris, qualitatum nempe, coloris faciei maxime et pallore, acie, etc. et excretis, vel a conſueto tempore, vel et conſiſtentia, aliisque deſciſcentibus. Aliquando et a triſtitia quadam inſueta, ſimilibusque animi praeſenſionibus, aegro futuro ſuperuenientibus. Communisſimum eſt, ſentire in corpore

(a) *Meth. Med. I. et alibi.* (b) *L. de arte medicinali.*

pore quandam grauitatem, laſſitudinem, vel pondus inſuetum membrorum, prout vulgo id eſt notum. Vide ROLFINCKIVM. (c)

§. V.

Nunc ad rem propius accedamus. Huc tamen et pertinet, quomodo morbum ſimulantes ſint deprehendendi: qua de re poſtea demum in fine huius partis forte dicetur commodius. Nunc ſufficiet monuiſſe, GALENVM peculiari libro ea de re egiſſe diligenter, et poſt eum IOH. BAPTISTAM SILVATICVM, qui poſſunt conſuli.

CAP. II.

DE PARTE AFFECTA COGNOSCENDA.

§. I.

Ante omnia cognoſcendum eſt, quae pars laboret, tum quo laboret morbo, quae res tanti viſa eſt GALENO, vt de ea egerit integris ſex libris, *de locis affectis* inſcriptis. Et vero ipſe locus affectus in morbi cognitionem multis modis nos deducit, et medicamenta indicat, quae adhibenda ſunt, quaeue reprobanda. Neque enim omnibus morbis obnoxia ſunt omnia, et habet quaelibet pars medicamenta ſibi magis idonea atque aliis; Vnde iſta topica dicta, quae locus poſtulat quilibet ſibi. Quidam tamen morbi in ipſa corporis ſuperficie ſunt poſiti, et ſe oculis ſtatim offerunt, ideoque ſignis non habent opus, plerique autem intra corpus abditi latent, et cum in vno loco plures plerumque partes ſint conditae, ſignis opus eſt, quibus, quaenam earum male afficiatur, artificioſa coniectura inquirendum eſt.

§. II.

Ad eam vero pernoſcendam cum primis Anatome et peritia opus eſſe, protenus apparet, ex loco enim, quem vel morbus vel dolor occupat, prima coniectura petenda venit, quam, niſi in hoc probe exercitatus, facere non poteſt. Vt ſi durities in dextro hypochondrio ſentiatur, hepar affectum eſſe intelligitur, ſi in ſiniſtro, lien: ibi enim viſcera iſta ſita ſunt. Itaque ſitus partium magno ſtudio addiſcendus eſt.

(c) *Meth. Med. Comm. III, 1. 2.*

eſt. Monuit hoc etiam GALENVS ſtatim initio librorum de locis affectis.

§. III.

Deinde hoc deprehenditur ex actionis laeſione. Nam ſi quis in Phyſiologicis non ſit hoſpes, cuius partis actio laeſa ſit, non poteſt ignorare: vt ſi cernendi officium laedatur, laeſi oculi ſignum eſt; ſi ſapor, linguae; ea tamen lege, vt neruus obſtructus non excludatur. Et hoc olim dicebatur, omnem actionem laedi vel laeſa facultate, vel inſtrumento laeſo. Facultas enim ex anima per ſpiritus influit: ſed illa facultas nihil poteſt, ſi inſtrumentum non aeque ſit ſaluum.

§. IV.

Ceterum an facultas ſit laeſa, ſiue, an ſpirituum per neruos influxus in cauſa ſit, iudicatur ex eo, quod ſaepe laeſi inſtrumenti nulla indicia ſint, tamen actio non fit, et quod, ſi neruus obſtructus eſt, aboletur penitus, ſi vero inſtrumentum vitiatum eſt, illa ex cauſa manifeſta non aboletur penitus, ſed plerumque tantum imminuitur, aut deprauatur: etſi hoc ſignum non omnino ſit certum. Extat egregium exemplum apud GALENVM (a) cuiusdam, qui ab alto ceciderat, ita vt dorſi initium affligeretur; is tertio die exiguam vocem emiſit, quarto penitus obmutuit. Cum alii medici fruſtra negocium ſumerent circa crura et guttur, ipſe, ſpinam eſſe reſolutam, intelligens, id interdixit, et huic duntaxat loco medicinam adhibuit, ex qua ſeptimo die non modo vox, verum et crurum vſus (qui ſimul reſoluti erant) ipſi rediit. Simile exemplum nuper in clade GADEBVSCHIANA accidit, vbi miles Danus in nucha percuſſus ſclopeti manubrio vocem penitus omiſit, et mutus redditus eſt: verum ille non recuperauit vocem. Angina praecludit vocem, ipſius meatum obſtruendo, et raucedo accidit, quoniam rimula vel anguſtatur nimium, vel aſperatur. Dignum eſt, quod hic legatur, alterum GALENI exemplum (b) illius, cui trium digitorum manus iam triginta dies ſenſus perierat, illaeſa motione, nec adiutus eſt vllo modo medicamentis manui inpoſitis; cum autem ille narraſſet, ſe, dum Roma proficiſceretur, decidiſſe ex vehiculo, ac initium dorſi contudiſſe, nec multo poſt contigiſſe digitorum affectum, vt erat GALENVS ſummus anatomicus, coniecit: neruum, qui ex ſpinali medulla

(a) *De Loc. aff. L. I.* (b) *Ibid. circa finem.*

dulla ex VII. colli vertebra porrigitur in eum locum, illi ſpinae parti medicamentum idoneum applicauit, et digitis ſenſum illico reſtituit. Iidem nerui ſiue potius eorum fluidum in aliis quoque morbis prae instrumentis accuſandi veniunt: ſic in conuulſionibus, ſic in ſpasmo, quem vocamus vulgo *den Krampf*, non muſculi male habent, ſed influxus ſpirituum potius ſpectandus. Vrinae retentio ſaepe ſanguinis, ſaepe neruoſi fluidi diſpoſitionem cauſam agnoſcit, et partus non raro fecibus in inteſtino recto haerentibus praepeditur: quare et cliſteres ſaepisſime eum promouent.

§. V.

Verum vt tactus, ſic et alii ſenſus ceſſant ſaepius, ſpiritibus non influentibus, organo integerrimo: vt in amauroſi viſus, quod cognoſcitur, quoniam in oculo nullum vitium apparet, ſed ille maxime eſt perſpicuus, neruus vero obſtructus eſt. Tabaci vſu odor corrumpi ſolet, non membrana, ſed neruulorum extremis plus quam capillaribus, vbi in membranam abeunt, narcoſi perpetua affectis, aut acrimonia eius eroſis. Si guſtus in lingua abolitus eſt, nerui laborant, ſi deprauatus, vt omnia amara videantur, ſaliua.

§. VI.

Hoc ergo probe penſitandum eſt, an non neruus obſtructus, aut influentes ab officio ceſſent, potius quam ipſum organon, cuius beneficio perficitur actio, quae vitiata eſt. Addit SENNERTVS et errorem externum, ſed praeterquam in ventriculum non facile id contingere exiſtimo, niſi eo referre placeat, quod ſeparationes humorum non ſatis commode fiant, quoties humor ille, e quo aliquid ſecedere debet, non recte habeat, ſed dimittendo nouo liquori non ſit idoneus, vel quod deſit materia, vel quod ita ſit incocta, vt ſecedere nequeat, cuius rei ſudor in malignis morbis luculentum exemplum eſt, qui ſaepe vel maximis ſudoriferis cieri non poteſt, vndecunque etiam procedat illa renitentia. Nam viſcerum ſtructura, quae illa dimittat, tam accurata nondum perquiſita eſt, vt an ex pororum figura, an amplitudine fiat illa diacriſis, ſatis certo iudicari posſit, et praeterea praecedens illam ſyncriſis, ſeu coniunctio particularum, in illum, qui ſeparari debet, humorem, potius non recte fieri credendum ſit. Certe quicquid laboret humana induſtria, naturae rationem, qua in his procedat, nunquam ita

ita percipiet omnem, vt hanc oeconomiam (vt quidam loquuntur) ſe penetraſſe, vnquam gloriari queat: ſed haec obiter.

§. VII.

Extra hunc caſum vero, actione laeſa, viſcus et organon ipſum laborare, certo apud animum conſtitui poteſt. Examinandae tamen et viae. Vt, ſi vrina ſuppreſſa ſit, cauſa non modo in renibus eſſe poteſt, ſed et in vreteribus, veſica, et meatu vrinario, bilis flaua profluere non poteſt, ductu bilario calculo obſeſſo, vnde icterus, non ergo tum veſica bilaria, aut hepar accuſandum venit, etſi raro contingat, vias obſtrui, viſcerum cumprimis, ob perpetuam circulationem ſanguinis, quae ſufflaminaretur, ſi id tam frequenter, vt olim putabatur, accideret.

§. VIII.

Poſt laeſas actiones porro et qualitates praeternaturales locum affectum produnt. Ita in peripneumonia, quae eſt inflammatio pulmonis, genae ſolent partem affectam indicare. Etenim calore vltra purpurae fulgorem extollitur earum rubor. Si ergo vtraque rubet gena, totus pulmo inflammatus eſt, ſi dextra aut ſiniſtra ſolummodo, lobus illius lateris, cuius gena rubet. *Dolor* autem, qualis eſt, talem affectam eſſe corporis partem, cognoſcitur. *Pungens* membranam inflammatam eſſe, ſignificat, quam *ita affici*, GALENVS teſtatur, (c) *ac ſi e centro in ambitum punctio diffunderetur*, etſi mihi quidem in ea re nimis ſcrupuloſus eſſe GALENVS videatur. *Pulſorius* autem dolor in muſculis potiſſimum obuius eſt, et arteriis proprius, vti et *grauatiuus*, qui in artubus percipitur, et *laſſitudo*, poſt epilepſiam, conuulſionem, magnumque laborem percipienda. Dolor profundus et quaſi pars frangatur, aut contundatur, perioſtium affici prodit, οϛυκοποι Graecis dicuntur tales, ſuntque prae caeteris ſaeuiſſimi, et in morbo Gallico percipiuntur. In quartana etiam, quae anno ſeculi elapſi 70. graſſabatur Helmſtadii, et in finitimis regionibus, a me obſeruati ſunt, intolerabiles ſane, caput potiſſimum afficiebant et cranium, tam exquiſite profecto, vt ad deſperationem prope adigerent. Certe prudentiſſimum alias MEIBOMIVM et medicum conſummatiſſimum ita affligebant, vt, antequam ſe proderet febris, trepanationem non ſemel admittere conſtitueret.

Ee 2 §. IX.

(c) *De Loc. aff.* 15.

§. IX.

Deinde etiam excreta ſolent locum affectum nobis annunciare, ſiue ex parte ipſa proueniant, ſiue ab ea contineantur, ita vrina ex vulnere prodiens, veſicae; faeces, inteſtinorum vulnera indicant, et quidem craſſorum, nam ex tenuibus chylus lacteus effluit. Ex ventriculo veri cibi, nondum prorſus mutati, aut itidem chylus, ſed craſſus et cinereus adhuc. Ramenta veſicae vlcus, ſi in vrina appareant. Sputum vnde prodeat, multum intereſt ſcire. Id prodit *modus*. Si enim cum ſcreatu, non niſi ex faucibus eſt, ſi cum tuſſi, ex pulmone, aut aſpera arteria, ſi autem e ventriculo, vomendo reiicitur. Si ergo membranoſae tunicae vomitu reiiciuntur, ventriculi; ſi tuſſiendo prorumpant, aut pulmonis eſſe, aut gutturis, colligendum eſt, ſi cum excrementis, (vt in dyſenteria accidit) ab inteſtinis abradi intelligitur. Sed et alia ratione *modus*, quo prodit excretum, nonnunquam ſignificat aliquid: vt ſi ſanguis cum ſaltu, arteriam, ſi placide effluit, venam aut carnes meras eſſe diſciſſas, credendum eſt. *Color* ſanguinis etiam aliquid indicat: nam floridus ex arteriis, nigricans ex venis eſt; ſiue exſpuatur, ſiue ex vulnere profluat, ſiue ex aluo. Spumeus ex pulmone eſt, (d) aër enim ſe illi admiſcet, et format ſpumam. Si vero cum aliis effluit ſanguis, vnde prodeat, ex ordine rerum colligitur: vt ſi cum excrementis, et prior eſt ſanguis, in ano eſt ruptura; ſi poſt excrementa, inteſtinis vel vlcus, vel aliud quid mali eſt, vlcus autem pus habet admiſtum, eo plus, quo maius eſt. Attamen etiam aliunde in inteſtina venire poteſt, praeſertim ex pectore: vt in peripneumonia et pleuritide fit ſaepe, et non raro critico ei motu dyſenteria leuis ſuperuenit. In empyemate pus non raro per anum excluditur: itaque caute pronunciandum tunc eſt.

§. X.

Antequam hinc diſcedamus, corrigendus venit nobis popularis error, quo, quicquid ex naribus et palato defluit, coryza maxime, ex cerebro prouenire exiſtimatur, quo nihil eſt minus verum. Etenim inde ad palatum nullae patent viae, vt neminem latet anatomicorum. Attamen os cribroſum apertum eſt! verum, ſed neruulis et membranis ex meninge etiam haec foraminula tota occupata, atque occluſa ſunt: ex naribus autem prodiens craſſa, et ſaepe ſat dura materia plerumque

(d) V. Aph. 13.

rumque ex cauernis prouenit, quae ad latera ſub genarum oſſibus amplae ſatis exſculptae ſunt. Ceterum tamen aliquid humoris ſternutatione cerebro excuti, haut ita plane negauerim: videmus enim, capite percuſſis ſanguinem etiam ex naribus profundi: etſi fatear, hoc non eſſe ſatis clarum eius rei indicium aut ſignum: itaque potius problematice nunc adduci, vlterius perquirendum. Certius eſt ab externis partibus capitis aliquid hac via, per membranam pituitariam excerni, late enim expanſa, vndique accipit, aut ſaltem praeripit copia peccans ſerum. Quin et ſaliuales ductus tum plus exſpuunt non ſecus, ac ſi fumo tabaci impletur ſaepius os, cuius acrimonia ſtimulantur. Et hoc eſt, quod alleuamentum inde manifeſtum ſentimus. Hoc ergo falſum de excretis illis iudicium, quod de loco affecto fit, non intactum praetermittendum fuit.

§. XI.

Singulare eſt, quod notat ROLFINCIVS, ab aſſumtis etiam locum affectum deſignari: Si in ventris doloribus anodyna per os aſſumta dolorem non leniant, leniant autem inteſtinis per aluum infuſa, inteſtina craſſa affecta eſſe, diuinare poſſumus.

§. XII.

Supereſt, vt quomodo diiuduandum ſit, vtrum per ſe pars affecta ſit; quod ἰδιοπάθειαν dicunt, aut per conſenſum, quod συμπάθειαν vocant, cognoſcatur, oſtendamus, (e) ſi quid tale eueniat, vel morbum per conſenſum ſymptomatis rationem habere, vel cui conſentiat cauſae, quo pacto prolixius de iis agere, opus non eſt. Agnouiſſe hoc GALENVS videtur, qui (f) affici dicit, quod per conſenſum, aegrotare, quod propria cauſa laborat. Etenim per conſenſum quod laborat, ſemper poſterius eſt, vel tempore, vel natura, vel cauſalitate, vt ROLFINCIVS monet, (g) et affectiones per conſenſum per interualla affligere, ſed tum, vbi et cauſa ceſſat. Vide GALENVM. (h)

(e) Pathol Part. I. (f) L. I. loc. aff. (g) Meth. comment. III. I. IO.
(h) cit. loc. Lib. II. c. 3. et III. c. I.

CAP. III.

QVOMODO COGNOSCATVR IPSE MORBVS?

§. I.

Egregie GALENVS: (a) *ſemper incipere oportet a laeſae actionis inſtrumento, deinde quaerere, an ſit diſpoſitio permanens, an fiens adhuc.* Hoc eſt, primum percontandum eſſe, quaenam laboret pars, tum proxime, quo morbo laboret. Nam diſpoſitio illa praeternaturalis, adeoque ipſe eſt morbus. Repetit illud *Libro III. Cap. 4.* Ego, inquiens, *ſemper inueſtigare ſtudui, quaenam ſedes vel afficeretur ipſa, vel alteri conſentiret. Cumque eam inuentam eſſe arbitrarer, tunc ad Diſpoſitionem eius inueſtigandam animum applicaui.* Hoc imitati, poſt locum affectum, quibus ſignis morbus cognoſci poſſit, doceamus. Sunt autem illa omnis omnino generis, quotcunque in omni ſemiotica occurrunt cauſae, ſymptomata, actiones laeſae, qualitates, excreta. Sed ea ordine luſtranda, et exemplis oſtendenda ſunt.

§. II.

Primum locum cauſae ſibi vendicant, quales enim illae ſunt, talem effectum edunt. Omnis autem generis cauſae conſiderari poſſunt, quae ſeſe manifeſtant, cum naturales, tum praeternaturales, ſupraque naturam: et in his προηγȣμεναι, προκαταρκτικαι, maxime vero proximae, quippe qua poſita ponitur morbus, ſublata tollitur. Haec ergo ſi inueſtigari poſſit, certisſimum ſignum dabit; reliquae remotiores, nonniſi probabiles. Sed illa plerumque aequali modo cum morbo latet, eſt enim vt plurimum interna et abdita, vt ad eam cognoſcendam, nouis ſignis ſit opus, et de multorum morborum proximis, quaenam ſint, etiam hodie diſceptetur a magiſtris: cum προηγȣμεναι multae externae ſint, pariter ac procatarcticae prope omnes, quae vel in ipſos oculos incurrunt.

§. II.

Non eſt autem neceſſe, eas ſigillatim hic denuo enarrare: Cum enim omnia cauſarum genera parte ſecunda pathologica, vbi de cauſis morbo-

(a) GALENVS cit. loc. cap. I.

morborum actum eſt, enarrata ſint, illuc lector remittendus iam eſt: Expendet autem ex naturalibus, cum temperamenta, tum aetatem, et ſexum, regionem, et patriam, vnde ortus aeger, aerem, qua habitudine ſit, anni tempus, diſpoſitionem corporis, vitae genus et reliqua, quae omnia exemplis egregie illuſtrat eruditisſimus BOHNIVS, (b) et ingenioſisſimus RAMAZZINI. (c) Nam qui calido temperamento eſt, non facile in frigidum morbum incidet, ſed in febres, aliosque acutos. Bilioſi ad colicam, ad icterum; pituitoſi ad ſoporoſos affectus, obſtructiones, flatus; ſero acri praediti ad ſcorbutum, tuſſes, catarrhos, defluxiones acres ac dolentes magis inclinant. *Aetatibus* vero ſingulis ſui ſunt morbi, praeter communes, quibus omnes obnoxii ſunt, proprii magis et familiares; vt variolae pueris, quamuis proinde non ſint excludendi penitus adulti, nec ſenes, qui (foeminei ſexus maxime) his locis proni ſunt in iſtum morbum. Ita ſi iidem pueri, dum fari nequeunt, per eiulatus, et inquietudines, ſe affligi ſignificant, vel dentitionis vel lumbricorum, pro aetatis ratione, ſuſpicio ſtatim naſcitur: vbi vero de lasſitudine membrorum, appetitu proſtrato, dolore capitis etc. conqueruntur virgines nubilae, menſium obſtructionibus (d) laborare, ſexus iniicit ſuſpicionem.

§. III.

Pari ratione ex cauſis nonnaturalibus coniectare licet: vnde HIPPOCRATIS quaeſtio eſt: *Quo victu vſus ſit*, nam ex praecedente diaeta aegri, quales humores in corpore abundent, indicatur. Victus prauus cachexiam, eosque corruptos, victus putridus, vt aquae putridae, cibique corrumpti, malignum morbum ſubeſſe, ſuſpicionem faciunt. Si calidus fuerit idem, accenſum ſanguinem, ſi lautus, plethoram, et ex his naſcentes morbos. Sic morbis Epidemicis graſſantibus nullum certius ſignum eſt, quam ſi plures ſimul eodem morbo aegrotent. Sic et lues Venerea iudicatur, deficientibus manifeſtis ſignis, ſi coitus cum proſtibulis et ſuſpectis celebratus fuerit mulieribus, et ſic in ceteris: ſi quis vſus eſt conuictu eorum, qui malignis morbis aegrotant, illico de eodem ſuſpicio eſſe debet.

§. IV.

(b) *Lib. de off. med. cap. 7.* (c) *Lib. peregregio de morbis artificum toto.*
(d) Vide HIPPOCRATIS *aphor. Lib. III.* prope integrum, et Diſſ. inauguralem olim ſub noſtro praeſidio habitam *de morbis aetatum.*

§. IV.

Ex praeternaturalibus cauſis etiam multa licet colligere, vt ſi quis olim fracturam coſtae ſit paſſus, aut in latus ſiniſtrum dextrumue dilapſus ſit, ſuperueniat autem morbus cum magno dolore, et calore, ſubeſſe materiam purulentam aut abſceſſum, exiſtimari poteſt. Vti et de ſupernaturali cauſa ſuſpicio eſt, ſi praeter omnem naturae ordinem, legesue conſuetas aliquid accidat, aut adhibita ſint, quae a natura aliena, atque affectum illum edere non poſſunt.

§. V.

Haec de cauſis: Symptomatum longe maior eſt numerus, et prope innumerabilis. *Actiones laeſas* praecipuas eſſe, iam conſtat, et praecipue attendendas: *inpoſſibile enim eſt*, GALENI *verba ſunt, morbum eſſe, et non aliquam actionem eſſe laeſam.* (e) Itaque etiam ex actione laeſa maxime cognoſcuntur morbi. Tametſi enim vicisſim non ſit impoſſibile, laedi actionem quamcunque, vt organon laeſum non ſit, cum posſit per conſenſum laborare, vti cap. priori dictum eſt, tamen rarius id accidit, quam vt non debeat ſuſpicari ſtatim, partem eſſe laeſam, quae actionem obit. Huc itaque pertinet prima HIPPOCRATIS quaeſtio. *Quid doleat? Was er klage.* Quod ita omnibus eſt certum, atque obuium, vt plerumque aegri, non expedita inſtituta quaeſtione, ſimul accedit medicus, ſponte ſilentium rumpant, quid mali ſentiant, narraturi. Fundamentum autem huius rei eſt, quod morbus omnis ſit diſpoſitio partium praeternaturam, actionem proxime laedens. Ex quo conficitur, nullum morbum ſine actione laeſa ne animo quidem concipi poſſe. Qualis ergo ſit laeſio iſta, ſi cognoſcatur, etiam morbum tanquam cauſam proximam laeſionis ſtatim cognoſci neceſſum eſt. Ita ſi reſpiratio difficilis eſt et magna cum ſummo calore, pulmonem laborare patet, et ſimul ſanguinem ebullire, febrimque adeſſe, ac inflammationem, adeoque peripneumoniam. At ſi lateris punctura, et reſpiratio breuis, pleuritidem.

§. VI.

Excreta porro ſaepe de morbo teſtimonium praebent: Vt vrinae color de febre, ſubſiſtentia ſabuli in ea de calculo; ſanguinolentae tenues feces de dyſenteria, loturae carnium ſimiles de fluxu hepatico, ſi quae

(e) *Lib. III. de Loc. aff.*

quae deiectiones celeriter ſe conſequuntur, ſupra et infra, de cholera; ſputa cruenta de rupta vena vel arteria, ſi repetuntur, in pulmone; ſputum purulentum, de abſceſſu pulmonis, vomica, aut pleuritide. Sic GALENVS ex pelui, in quo excrementa exportabantur, cum miniſter ipſi obuius eſſet factus, morbum cognouit, et magna cum aegri admiratione ſtatim edixit.

§. VII.

Denique et qualitates praeternaturales ſigna morborum fiunt: Vt nares acutae, collapſa tempora, oculi caui phthiſin indicant, vti et calor in volis manuum, maxime poſt paſtum. Refrigeratio extremorum malignam febrim, ſiccitas linguae intenſae, vti et nigredo eius febrim ardentem. Tumor mollis, veſtigia impreſſorum digitorum retinens, oedematoſum et hydropicum eſſe ſignificat. Genarum rubor, vt dixi iam ante, peripneumoniam et pulmonis inflammationem denotat. Sputum foetens, cum tuſſi eiectum, pulmonis ſordidum vlcus, et in naribus Ozoenam. Sapor amarus plerumque febrim. Aſperitas cutis cum horrore febrilis paroxysmi initium, ipſe leuis horror, ſi cum eo primum inuadit morbus, febrim continuam futuram, ſi grauis et vehemens eſt concusſio, intermittentem.

§. VIII.

Haec omnia, vt praeſentem morbum, qualis ſit, indicant, ſic ſunt nonnulli, qui etiam inſtantem ex ſignis ſuis praedici ac iudicari poſtulant. Verum haec non pertinent ad diagnoſin, ſed prognoſin, quamuis fiant ipſo Galeno praeeunte.

CAP. IV.

QVIBVS SIGNIS MAGNITVDO MORBI DIIVDICETVR.

§. I.

Poſteaquam morbus cognitus eſt, et qualis ipſe ſit, et quam partem afficiat, etiam aliae eius conditiones inquirendae ſunt, antequam ad curationem accedamus; praecipue vero quam ſit magnus,

 perci-

percipere oportet. Cum enim remedium malo reſpondere debeat: vt pondus quoduis non poteſt attolli, neque remoueri, niſi ſuperetur a potentia eius, qui id ſuſtollere conantur; ſic et morbus, ſi medicamentorum virtutes ſuperet, fruſtra tentatur. Hoc autem non poteſt recte ponderari, niſi, quantum id ſit, antea cognoueris. Quot autem modis magnus morbus dicatur, in prima Pathologiae parte docuimus, nunc ſigna ſubiiciemus, quibus illae magnitudines metiri queant. Primum ergo magnitudinis gradum eſſe diximus, ſi pars laborans principalis ſit, et nobilem prae ceteris edat actionem, de qua re ibi actum eſt. *Tanto morbus cenſendus eſt maior*, ait ROLFINCKIVS (a) *quo pars, quae patitur, ratione dignitatis praeſtantior eſt.* Hac ratione primum hic ſine dubio locum merentur morbi cordis, quoniam ab eius motu vita ipſa quam proxime pendet, eoque ceſſante, omnia reliquarum munia ceſſant: tum cerebri, et pulmonis, hic enim ſi ceſſat, impleri aëre, mouerique, mox ipſum etiam cor a motu ceſſare cogitur et viuere.

§. II.

Alterum genus magnitudinis eſt ratione cauſae, quae vel in ſe magna eſt, et natura ſua, vt Cachexia, vt ſi fuſte magno et ponderoſo caput percuſſum eſt, vel gradu, vt ſi admodum ſit valida, etſi in ſe adeo formidabilis non appareat. Eaque ratione idem morbus ex eadem cauſa modo et ipſe maior, modo minor dici poteſt, vt mox dicetur pluribus: ita ſi cachexia tanta eſt, vt pedes iam incipiant intumeſcere, ſi gladio lato, acuto admodum, viſcera laeſa ſint, aut veneno infectis telis. Gradu autem magnae cauſae ex ſymptomatum magnitudine iudicantur.

§. III.

Ad magnitudinem autem cauſae etiam malignitas refertur, quae itidem duplici eſt in ordine: Alia enim talis eſt, vt nunquam ſine malignitate ſit, qualis eſt peſtis: alia vero non ex ſe quidem mala, ſed ex adſcititio alio malo. Tales ſunt morbi caſtrenſes, variolarum, febrium malignarum, dyſenteriae malignae, et ſimiles, quae epidemice graſſantes, ex aëre, aut endemice, et ex corruptis cibis ſuam malignitatem habent. Iudicantur autem iſti ex ſymptomatibus, et ipſis etiam cauſis. Ita quicquid epidemicum eſt, malignitatis ſuſpicionem habet, Sympto-

(a) Meth. comment. III. 14.

Symptomata vero ſunt; deiectio virium et actiones ſubito et vehementer laeſae, pulſus vero et vrina naturali ſimillima, ſi in febribus grauis ſopor, aut vehemens eſt delirium, proruptio ſanguinis ex inſueto loco, aut non iuſto tempore, ſine magna vaſorum intumeſcentia, ſi vomitus prauae materiae, ſi dyſenteria, ſi diarrhaea non critica ſuperueniat, ſenſus mali nullus ſit, vt recte valere ſe dicant aegri. Anxietas etiam magna, et cordis oppresſio, angor, petechiae, ſudor male olet, aut corpus cadauerоſum ſpiret odorem, extremorum frigus adſit, et ſi quae ſunt plura eiusmodi.

§. IV.

Porro autem magni dicuntur morbi, qui ipſa natura ſua magni et periculoſi ſunt. Iudicantur autem eſſe tales ex ſymptomatibus, quibus ſtipati incedunt, nam qualis cauſa, tales effectus, vt non posſint non eſſe ſymptomata iſta grauiora. Si ergo multa, ſi inſueta, et ſupra modum, quo ſolent, ſaeua, magnum eſſe morbum intelligitur, vt ingens calor in continuis, et inquietudo, delirium graue, vrina admodum rufa, ſummae vigiliae. In quartanis et tertianis rigor quatuor horarum, dolores ὀςοκοποι, vomitus vehementes; in calculo itidem, ſi febris coniungitur, et maxima anxietas. Idem iudicatur ex nocentibus et iuuantibus, ſi medicamenta eximia fruſtra dentur, ſi laedatur aegrotus cibis licet adſuetis. Intemperies calida ad tactum intenſa, aegroque multum faciens negotii in ardente, magnam illam febrim deſignat. Sic magnum vulnus magnum vlcus dicimus, quod ambitum habet maiorem; non tamen hoc ſolum, ſed et quando partes internae et viſcera laeſa ſunt, magna habentur, ex I. §. Non enim ad ſenſum omnia aeſtimanda ſunt, ſed ad reliqua etiam attendenda. Ita ſi in muſculis ſolis ſubſiſtat vulnus, etiamſi magno ſit ambitu, tamen leuius exiſtimatur, quam ſi nerui, tendines aut alia ſimul ſunt laeſa, etiam paruo, φοβερότερα κατ᾽ ὄψιν, non ſemper ſunt periculoſiora, expendendum etiam, quid in receſſu ſit poſitum.

§. V.

Huc pertinet etiam HIPPOCRATIS Aphorismus II, 34. vbi ſic ait: Ἐν τῇσι νούσοισιν ἧσσον κινδυνεύουσιν, οἷσιν ἂν οἰκείη τῆς φύσιος, καὶ τῆς ἡλικίης, καὶ τῆς ἕξιος, καὶ τῆς ὥρης ἡ νοῦσος, ἢ μᾶλλον ἢ οἷσιν ἂν μὴ οἰκείη ᾖ κατὰ

τὶ τȣτέων. *In morbis minus periclitantur, quorum natura, aetati, habitui, anni tempeſtati morbus cognatus eſt, quam quibus in nullo horum cognatus.* Ratio eius rei eſt, vt recte explicat GALENVS (a) quod, ſi nullo conueniunt cum aegro, maiorem et validiorem cauſam habeant neceſſum eſt, vt morbus excitatus ſit, etiam invita natura. Quo quis enim propendet ſponte, in id vel leuicula accedente cauſa incidet, vt aqua tepida facilius calefit, et hyemali tempore minor ignis vis eſt, reſiſtente aëre, temperatura longisſime a calore recedente.

CAP. V.

DE SIGNIS TEMPORVM MORBORVM.

§. I.

Cum non ſit perinde, quo tempore adhibeas medicinam, etiam tempora morborum dignoſcenda ſunt. Ipſe HIPPOCRATES, in ſuis interrogatis enumerat illud: *A quot diebus* malum patiantur aegroti. Et plerique quidem morbi, ſtatim vbi oriuntur, quouis modo tolli poſtulant: quo enim diutius durant, et maiores et periculoſiores fiunt, et niſi obſtes, quotidie capiunt incrementum. Attamen non omnes aeque poſſunt ſuperari, niſi cum tempore, ſed modo hoc, poſtea vero illud, denique iſtuc promouendum atque agendum eſt, donec ad finem ſenſim perueniatur. In his ſunt morbi acuti: notum enim ex prioribus, alium morbum Chronicum eſſe, alium vero breuem quidem, ſed maxime periculoſum, quem acutum appellamus. Morbus Chronicus quocunque tempore, ſi modo id posſis, abigendus, et e medio tollendus. At acutus ſua tempora habet ſibi praefixa, per quae ordine decurrit ad finem, ſiue is ſit reſtitutio felix, ſiue interitus. Nam illi initium eſt, quo incipit, et in quo conſtitutus, poteſt nonnunquam illico dispelli, quod principium vocant medici: eſt *incrementum*, quo creſcit, visque eius augetur, quo, ſi quid moues, plus impedimenti ad curationem affers, quam auxilii: Eſt porro ſtatus, vbi maxime omnium quieſcendum eſt, nullo pernicioſiore, quam quod tum datur, medicamine; niſi tamen criſin promoueat atque adiuuet, quod tamen et ipſum non eſt dandum, niſi necesſitatis tempore. In his itaque tempora maxime cognoſcenda ſunt.

§. II.

(a) In commentario.

§. II.

Quod vt fiat, primo loco ſigna, quibus ipſi acuti morbi cognoſcantur, recenſenda ſunt, cum in illis maxime tempora cognoſcantur. Agnoſcuntur autem ex eo potisſimum, quod inuadunt leui horrore mox ſubſequente calore, et pulſu elatiore, ſed qui ad frequentiam plenariam non peruenit. Nam ſi peruenit cito, intermittens eſt febris. Quodſi tamen non horas, ſed dies numeres, etiam continua celerem motum habent, et primos ſtatim dies ſymptomata grauiora, capitis dolores, ſitim, vigilias, cibi faſtidium, inquietudines, eaque cotidie creſcunt, fiuntque maiora. Omnia tamen ſtatim in principio apparent, quoue acutior morbus, eo celerius et grauius: vt peracutisſimi primo aut ſecundo, acuti vero ſimpliciter dicti, triduo fere ea habent obuia. Gradum autem caloris (nam omnes morbi acuti cum febre ſunt) temperamentum aegri et victus, qui praecesſit, indicant, calidus enim et temperamentum ſanguineum maiorem febrim fore, praenunciat. Hi itaque acuti morbi ſunt, in quibus tempora potisſimum obſeruantur, vt antea etiam monuimus (o) ergo de his potisſimum nunc agimus.

§. III.

Petuntur autem ſigna iſthaec ex duobus potisſimum fontibus, pulſu et vrina, quorum ille quidem naturae contra morbum pugnantis robur, aut ex imbecillitate ſuccumbentis, ac remittentis nobis indicat; vrina vero morbi, nam a materiae peccantis multitudine, qua natura oppugnatur, morbi robur dependet: quae ſi ita a natura ac viribus aegri digeratur in ſanguine, vt eiici posſit, tum vero vincit natura morbum, aegerque euadit, ſi vero non ſatis ad id habet virium, ſuccumbit. Et hoc *coctionem* veteres appellarunt, quod ſubigi a calore, et purum ab impuro, eo operante, ſecedere, eſſent perſuaſi.

§. IV.

Vt autem, quid ſit coctio humorum, et quaenam ſit illa operatio, qua praua a bonis ſecedunt et eliminantur, nondum conueniat inter recentes ſcriptores, nobis tamen res non admodum videtur difficilis. Etenim omnibus febribus in ſanguine motum eſſe vehementem conſtat, et in omnibus quoque ſecedere per vrinam craſſum ſedimentum, oculis obuium, idque aduſtum et propterea rubrum. Hoc autem ſi

(a) Pathol. I.

quid ſit, examinetur, exhalatione vrinae deprehenditur, eſſe terreas partim, partim ſalinas partes: nam ſi ſoluas et coagules iterum iterumque, remanet tandem in fundo terra albicans, inſipida atque iners, ſale acerrimo in aquam recedente, ibique ſapore ſuo ſe prodente. Hoc itaque ſi expendamus, videtur coctio illa nihil eſſe aliud, quam partium in ſanguine peccantium motuque iſto perpetuo in fluido volutatarum attritio, qua tandem ſecedunt illa ramenta, quae in vrina innatant, et deuoluuntur ad fundum.

§. V.

Haec quamdiu adhuc leuia, liquori arctius miſta innatant, rubicundum eum reddunt, et craſſum, vt pelluciditas pereat, opponentibus ſe radiis lucis, quae in poris haerent particulis ſolidis. Vbi vero deſcendunt iſta ad fundum, et laticem ſibi relinquunt, nil niſi perparum ſalis in eo eſt reliqui: tum ergo redit illa pelluciditas; et vt antea, refractus et naturalis color. Crudum ergo appellarunt hoc, quod nondum ſeceſſui idoneum erat, et hunc morbi ſtatum cruditatem, ſimili modo, quo cibos in olla crudos nominamus; ſatis craſſe traducentes hanc vocem ex culina ad materiam febrium, et officinam naturae.

§. VI.

Quid autem illud ſit, quod peccans in ſanguine, tantas in eo turbas excitet, et tam potenter vitae inſidietur, id vsque adhuc latuit eruditos medicos, et forte latebit ſemper. Meam tamen coniecturam hic afferre, quid vetat. Fortasſis Chyli particulae ſunt alienae a ſanguinis, in quem conuertendae erant, natura, et hinc indomabiles, quae nec ſubigi poſſunt, nec excerni, figuris earum renum tubulis et eorum extremis nulla proportione reſpondentibus. Itaque tandem etiam aliis eiusmodi ſeparatoriis tubulis ſua crasſitie faceſſunt negotium, et aegrius per eos transmittuntur: ex quo tanquam ex renitentia (vt ſolet fieri in obſtructis) ſanguis circa eas partes aeſtuat, et dum impingit ſaepius, natiuum calorem et igniculum, quo feruet, augeri motus exceſſu, et luculentius accendi. Cohaerent autem crudae illae particulae, et tenaci pituita implicatius combinantur, indeque eſt, quod tanto tempore, aliquot nempe dierum opus eſt, vt illa vel indureſcat, quo conteri poſſit, vel eodem motu ſenſim attenuentur, quo posſint recedere, et ex poris vrinae, vinculis ſolutis, proprio pondere elabi. Sic etiam in intermittentibus

mittentibus febribus contingere fas eſt. Nam quod tertianae et quartanae diutius durant, non tenacitate materiae maiore, verum interuallo dierum, quae intercalantur, accidit: ſi enim computum horarum, non dierum ineas, apparebit, a continuarum diuturnitate non adeo multum recedere. Haec oſtendit etiam ſalium in his vſus, quibus praecipue perdomantur. Incidunt enim ſalia pituitam, et ita diſſoluunt particulas, quae eius beneficio cohaerebant, vt citius in vrina deiiciantur ad fundum; cuius in his eadem eſt ratio, quae in continuis. Haec de coctione ita proponimus, non vt certa et apodictica cuiquam obtrudentes, ſed quo inuitemus, vt vlterius expendantur.

§. VII.

Maxima ac praecipua autem morborum acutorum et temporum eorum indicia ex vrinae cruditate hac et coctione petuntur. Principium enim ex leui quadam vrinae mutatione percipitur, qua illa colore quidem mutatur, tenuitate tamen et pelluciditate parum vel nihil remittit. Vbi vero iam incipit craſſeſcere, et in rubedinem ſummam ſenſim attolli, tum *incrementum* eſſe intelligitur, a quo niſi morbus ſoluatur, non remittit, ſed ſemper magis magisque increſcit, et quandoque ad fuſcum, cereuiſiae colorem vsque transfertur, tum *declinatio* eſt, non ad vitae integritatem, ſed victae naturae, et inſtantis mortis calamitatem, vt in prognoſticis docebitur. In hoc incremento eſt, quod ſigna, coctionem praecedentia, ſolent apparere. Sunt autem iſta vrinae turbatio, et iam tanta craſſities, vt aliquid admiſtum eſſe, manifeſto appareat, referatque vrina turbidam ex ochra iniecta aquam. Quae mox altero die ad fundum ſenſim incipit ſecedere, et ſubſidere, tumque *ſtatus* eſſe morbi apparet, qui niſi turbetur, in perfectam ſanationem tendit. Quamdiu autem adhuc aliquid ſecedit, donec prorſus ad naturalem ſtatum redeat, *declinatio* eſt ad priſtinam valetudinem. Et haec genuina ſunt, et quae ſufficere poſſent, temporum morborum ex vrina petenda ſigna. Sint tamen et alia decrementa cuilibet manifeſta: Symptomatum omnium ſedatio, vel imminutio, tranquillitas aegri, appetitus, et cum omnes actiones recte procedere incipiunt, et praecipue omnium ſomnus.

§. VIII.

Vbi monendum eſt, SENNERTVM noſtrum (b) grauem commiſiſſe errorem, vbi, quamdiu crudus eſt morbus, eſſe principium morbi,

(b) Lib. III, p. 3, c. 3, ſemiotices.

bi, docuit. Nam hoc pacto incrementum non erit. Quod enim ipſe ait incrementi initium eſſe, vbi ſigna coctionis apparent, nullo modo admittendum, quoniam tum temporis morbus augmentum non amplius capere poteſt, cum iam frangatur cauſa eius. Eſt autem ex eo, quod errat, quod HIPPOCRATIS aphorismum (c) male interpretatus eſt; Non enim de ſtatu intelligendum eſſe HIPPOCRATEM, plane patet: quippe cum tunc nihil mouendum eſſe, vbique praecipiat, ſed id vult, in decremento potius, et poſtquam omnia concocta ſunt, ſed criſi non euacuata, tum mouenda eſſe, aut etiam ſub ipſo principio: tum enim etiam aliquando turgere. Alter vero locus (d) huc plane non pertinet, ſed de inflammatis partibus, iſtaque non ſatis attente videtur de his cogitaſſe optimus Senex.

§. IX.

Ex pulſu etiam plurima temporum ſigna ſunt, ſed minus certa: Etenim in principio pulſus eſt magnus, parum celer, et frequens, in augmento deinde magnitudo decreſcit, frequentia et celeritas augetur. Sed quoniam id ſenſim fit, gradus earum varietatum deſcribi non poſſunt. Id vnum attendendum, ſi celeriter ac cito fit illa mutatio, breuem morbi decurſum denotari, quod potius ad prognoſin pertinet. In ſtatu aliter ſe pulſus habet, vbi criſis futura eſt, aliter ſi nulla. Illic mira eſt pulſus variatio, de qua poſt in prognoſi; Hic autem, cum nulla futura eſt, ſtatum etiam agnoſcere ex pulſu non licet: tantum certa quaedam eſt celeritatis, magnitudinis et frequentiae moderatio, quae dum durat, bene ſperare licet, ſi vero vltra paruitas, celeritas et frequentia procedit, actum eſt. Verum ea deſcribi non poteſt, ſed vſu ſedulo addiſcenda. Quod mihi ipſi obtigerit hic, operae pretium eſt referre. Laborabam febre acuta maligna, fluctuabam inter mortem et vitam, adſtantibus, ipſoque medico iam de ſalute mea deſperantibus. Cum noctu exſpergefactus hora 2. matutina pulſum tangerem, et cum valde debili ac inaequali ad ſomnum me compoſuiſſem, naturalem deprehendi. Aduoco proximos, pronuncio me ſanatum. Plane apparentibus coctionis ſignis, omnia in melius mutabantur, citra vllam criſin, ſolo pulſu ad frugem redeunte, euadi admodum feliciter. Haec de pulſu in malignis notaui ipſa praxi, non theoria aut lectione auctorum vera eſſe deprehendi.

§. X.

(c) I, 22. (d) IV, rat. vict. in acut.

§. X.

Praeterquam autem in febribus, in aliis quoque morbis, et aliae ſunt temporum ſignationes. In *pleuritide* et *peripneumonia* ſputi cocti, hoc eſt craſſi et ſinceri puris, ſine admiſtione ſanguinis, iam tum declinationem morbi ſignificat: quo tempore et pulſus naturalis redit. *Tuſſis* quoque ſua tempora habet. Initio ſerum eſt tenue, pellucidum, aquoſum, ſed acri ſale imbutum, quod excernitur. In incremento parum vel nihil mutatur. Poſt hoc craſſiorem et compactam videmus pituitam ſuccedere, denique albam, et tum ſtatus eſt, atque incipit declinatio: ſine dolore, et moleſtia illa eiicitur, facileque obtemperat. Hanc coctam appellamus, vt tenuem illam crudam. Hoc multi iuniores medici parum intelligunt, et idoneis remediis recte curandum ſciunt. Sed de temporibus quoque morborum cognoſcendis ſatis.

CAP. VI.

DE SIGNIS CAVSARVM MORBIFICARVM.

§. I.

Cum morbus, niſi ſublata cauſa, tolli non poſſit, cauſae autem admodum ſint variae, eas quoque cognoſcendas eſſe, manifeſtum eſt. *Ει γαρ τις ἐιδειη την αιζιαν των νοσηματων*, ait HIPPOCRATES, (a) *ὁιος τ᾽ ἀνειη προσφερειν τα συμφεροντα των εν τω σωματι. Si quis ſciat cauſam morborum, talis facile idoneus eſt remedia afferre eorum, quae corpus afficiunt.* Eſſe autem cauſas alias euidentes, alias abditas, antea monuimus. Quae ergo manifeſtae ſunt ſenſibus, et in oculos incurrunt, vt enſis vulneris, et reliquae eius generis externae, ſignis non habent opus, quae autem in corpore latent, per doctas coniecturas eſſe indagandas, nemo non videt.

§. II.

Sunt autem illae cum *προηγȣμεναι* pleraeque, tum et proxima, quam immediatam dicunt: haec tamen praecipue, vtpote quae non modo vt cetera latet, verum non raro difficillime eruitur, et medicis ipſis,

(a) *Lib. de flatibus.*

ipſis, lecto adſtantibus, ignota eſt; adeoque tanto difficilior. Id quod permouit olim Empiricos, vt eam tanquam incomprehenſibilem, ideoque ſuperuacaneam, prorſus negligerent, non niſi euidentes, vt neceſſarias cognitu, attendentes amplectentesque. Hanc ergo prae ceteris, ſi fieri modo poſſit, venari oportet, quippe, qua ſublata, ſtatim morbus extinguitur, cum προηγȣμεναι, nonnaturales ac praeternaturales ſaepe, poſtquam dudum abierunt, morbum tamen poſt ſe integrum relinquant.

§. III.

Habent autem cauſae eosdem, quos morbi, fontes. Primus *Cauſarum* eſt, danda enim opera, vt cauſas cauſarum noſcantur. Eae autem externae ſunt, quibus internae et latentes deteguntur, praeſertim nonnaturalibus: Ex his prima aër eſt, qui qualis eſt, tales cauſas fouet, ac mouet. Sic bilem aeſtas, hyems pituitam producit, aut mouet: hinc autumno et hyeme tuſſes cum primis apparere, aeſtate et vere febres calidas conſpicimus. De his cum totus *Liber III. Aph.* HIPPOCRATIS, tum potisſimum *Aph. 19.* et ſequentes ſunt conditi. Non tamen ſemper ſimiles ſibi humores aut cauſas agitant, vt cum a frigore pleuritides et peripneumoniae accidunt. Quare rationes hic experientiae iungendae ſunt: hic enim id fit, quia frigidus aër, in pulmones incidens, ſanguinem ibi coagulat, vnde inflammatio: tusſis autem eodem contingit tempore, quia coagulatur ſerum, et exprimitur conſtrictione glandularum in lobos. Funditur autem eodem modo in aliis glandulis, pituitariis et narium, ex quo integrae defluxiones, ex coryza et tusſi compoſitae.

§. IV.

Cibus etiam ac potus quales fuerunt, tales ſunt humores: *potus calidus* auget calorem ſanguinis et accendit, et multa *cereuiſia*, *acida*, non ſatis cocta, prauaque, pituitam auget, et cruditates cumulat. *Cibi duriores et varii* ventriculum peruertunt, potus nimius eum debilitat: *ex corruptis cibis* aquaue putrida putres humores et corruptioni obnoxios generatos eſſe, credi poteſt. Sic poſt vulnera, vlcera, rupturas, verbera, laeſa eſſe viſcera, etiam longo poſt tempore, et poſt cicatrices ductas, ex quibus obſtructiones, tumores, ſcirrhos ſupereſſe, reliquis conſentientibus, coniicitur. De his ad pathologiam recurrendum

dum eſt, vbi quaenam cauſae quos foueant morbos docetur. *Excreta* etiam ponderanda: in mulierculis, ſi menſes non fluant, aut deprauatae fluant, cachexiam ſubeſſe ſuſpicio eſt, et ſic in ceteris.

§. V.

Ex naturalibus cauſis etiam praeſagire licet: vt ſi pueri aegrotent, vermes eſſe, *aetas* oſtendit, (b) *ſexus*, menſium oppresſionis ſuſpicionem facit, temperatura humorum, ſi nota ſit, etiam huc pertinet. Habet autem haec quoque ſua ſigna, a SENNERTO recenſita (c) *Sanguis*, inquit, *dulcis eſt*, *pituita inſipida*, *bilis amara*, *ſalſa pituita ſalſum ſaporem habet* (acris etiam eſt ſine ſalſedine, vt in multis defluxionibus,) *melancholia*, (ſerum acidum, quod tamen rarisſimum eſt) *acidum*, et quae ſequuntur, quae tamen minus ſunt certa, quoniam ex falſis principiis nata, quod Galenum nimis preſſe ſequantur.

§. VI.

Alter fons eſt Effectuum, ex quibus ſunt ipſi morbi: Qui ergo, ex quibus oriantur, expendere oportet: hinc retrorſum argumentandum: talis eſt morbus, ergo haec cauſa eſt. STEPH. RODERICVS CASTRENSIS librum ſcripſit, quem vocat: *Quae ex quibus:* verum is non eſt huius loci.

§. VII.

Tertius fons eſt ſymptomatum, non tantum laeſarum actionum, ſed et reliquorum. *Viſus* turgescentiam venarum et plethoram prodit. Color luridus et ex obſcuro flauescens *cacochymiam*, pallidus *pituitam* prodit, flauedo *bilem*, nigredo in cute ſanguinem corruptum ſubtus et in vniuerſum, quales colores, tales humores ſunt: humores autem cauſae morborum praecipuae. *Acre ſerum* notant puſtulae et papulae, aliaeque impuritates cutis. *Flatus* indicant fluctuationes, rugitus, murmura, bombi: item inflationes corporis. In capite flatus eſſe, vertigo et aurium tinnitus indicat: etſi ignotum, vnde ſit tinnitus ille perpetuus, qui aliquibus menſes integros, nonnunquam et plurimos annos continuo adeſt. Flatus etiam ſubeſſe iudicatur, ſi dolor alicubi affligens facile disſipetur, et mox redeat, aut huc illuc vergat, pungitiuus praeſertim.

(b) vide HIPPOCRATES Aph. III. 24. ſeq. (c) SENNERTVS III. 2. 1.

§. VIII.

Tumores quid cauſae habeant, tactus maxime aperit. Si flatus ſubeſt, renitens cutis reſilit, et propellit digitos. Idem tamen et aquae hydropicae faciunt: ſed tum fluctuans humor, ſi leuiter percuſſus digito, in altero latere admota manu ſentitur. Facit idem et pus, ſed tum durior impresſio eſt, et alia adſunt ſigna. Si vero ſerum ſubeſt alibi, vt in oedematoſis tumoribus, nulla renitentia, ſed impresſiones digitorum ſeruantur.

§. IX.

Excreta etiam produnt cauſas morborum, et eorum, vnde prodeunt, viscerum contenta manifeſtant. *Vomitu* reiecta ventriculi, quae ſi nigra, caerulea, viridia ſunt, venena, ſi artificialia aut animalia, non in corpore naſci ſolita, nec deglutita, magiam denotant. Alui excreta ſpumea, fermentationem, ſanguinea, eroſionem, flauescentia aut viridia, bilem, nigra, niſi a marte, omnimodam corruptionem. Vidimus tamen etiam ex liene prodeuntem talem, quod dolor eius lateris ſignificabat, eo mox omni ceſſante. Vrina ſanguinis ſtatum monſtrat: vltra citrinum aut aurantiorum colorem elata, calorem, eiusque gradum: pallida, eius defectum; rubra, exceſſum. Quae autem continet, vermes, ſanguinem, ramenta, calculos, arenulas, ea ex veſica, aut renibus et vreterum eſſe, intelligitur, ipſaque ex ſe manifeſta ſunt. Sudor foetidus corruptum malignitate ſerum enunciat. Sanguis, inciſa vena effluens, ſe ipſum, qualis ſit, non poteſt abnegare. Si flavus, multum bilioſus eſt, ſi albicantes particulae innatent, nec ſit a recenter infuſo chylo, cruditatem et pituitam, ſi in pleuritide, vel quocunque calido morbo talis prodeat, inflammatorias particulas eſſe, ſi ſpumans, atque aeſtuans, et fumans, calorem, ſi floridus, pulchre valere aegrum iudicandum eſt. Etſi de hoc ſanguinis iudicio multa moueat dubia Excell. BOHNIVS *Lib. de Offic. Medici, p. 8.*

§. X.

Hoc iam patet, quicquid de morbo cognoſci deſideratur, eius indicia quatuor his fontibus contineri, iisque exhauſtis, nihil ſupereſſe, quod ad hanc doctrinam pertinet. Multum tamen ad rem auxiliabitur, ſi quis in anatome et oeconomia, quam hodie vocant, corporis ſit probe exercitatus: ſic enim et partem affectam facilius cognoſcet,

gnoſcet, loco, in quo ſitae ſunt ſingulae, et eorum vſu percognitis, et cauſarum, quae plerumque in humoribus nidulantur, rationem melius coniecturabit: ſunt autem humores tanto difficilius cognitu, quod ne naturalis quidem eorum compoſitio atque indoles* cognoſci ſatis poſſit: vnde tanta de his auctorum digladiatio, quod de principiis eorum minus conueniat, dum alii ſalia, eaque tam multiplicia nobis commemorant, vt nullum ſit in vniuerſa natura, quod non in corpore humano reperiri autument, quae ex Chemicorum experimentis metiuntur: vnde nobis acrimoniam alcalinam, acidam, muriaticam, aromaticam, aliaque ſimilia inculcant ſedulo, cum tamen, an talia in ſero ſanguinis exiſtant, nec ne, nondum certum ſit. Imo chemica illa alcalica, acida, atque alia non exiſtere, etiamſi inde confici posſint, longe ſit certisſimum: aromatica autem acrimonia omnis ſit nullo modo in corpore noſtro quaerenda, cum illa in eo acri vnice quaerenda ſit, quod a ſubiecto igne in ſal volatile tandem, ſi artem calleas, ex oleo eorum faceſſat, adeoque ab ea nihil ſit diuerſa. Nos ergo haec quomodo cognoſcenda ſint, merito praeterimus, contenti ſimplici acri, quod plerumque operibus ſuis ſe ſatis prodit. Ars longa, vita breuis: non opus illam eiusmodi nouis commentis longiorem reddere, in praxi deinde nulla vtilitate ad nos ex iis redeunte, contrariis enim remediis ea aggredientes, voto plerumque excidunt, non agnoſcente natura ſubtilitates eorum.

§. XI.

De his ſane, atque aliis eius generis emanarunt ſummi viri, GEORGII BAGLIVI querelae (d) *Nihil eſt tam arduum humanae ſedulitati, quam inueſtigatio cauſae illius primoprimae* (ſic vocat aeque barbare, quam alii immediatam dicunt) *et proximae, quae ſingulos morbos in actum prouocat, et hominem immediate laedit. Hoc eſt, quod erroribus grauisſimis anſam praebuit incredibilem, ſcisſionesque ingeniorum, quas medicina hodierna amare collacrimatur, excitauit. Nos etenim, ſcientia intuitiua deſtituti,* cum mentis acie arcanos morborum motus aſſequi nequeamus, per fidem ſenſuum et repetitos eorum vſus opus hoc abſoluere deberemus; ſed in negotio tanti ponderis *varii varie ſe geſſerunt:* et quae ſequuntur; et tandem concludit: *Ideo, quaecunque de cauſarum morboſarum natura excogitarunt paulo recentiores medici, mera ſunt tenebrarum palpatio, atque per varias*

(d) *Lib. Prax. med. II, 2. 1.*

varias loquendi formulas morborum veſtes, et cortices variarunt, eſſentiam vero et cauſam vere cauſantem ne attigerunt quidem. Rectisſime ſcilicet idem BAGLIVVS. (e) *Harum diſpoſitionum*, ait, *genuinam indolem, minimorumque componentium veram ſtructuram detegere, vix datur per humanas ſpeculationes.* Addo ego, viam prorſus erroneam eos elegiſſe, qui per ſalia alcalia, acida, et ſulphura ac ſimilia haec perquirunt, qualia igne producuntur, nam in corpore humano ſimile quid nullibi exiſtere, certisſimum eſt. *Ex anteacta tamen vita*, pergit Italus noſter, *et ſex rerum nonnaturalium vſu aut abuſu diuinare poterimus* generalitatem *quandam talium diſpoſitionum, terreaene ſint, an acres, acidae, humidae, inflammabiles, denſae, coagulabiles, etc.* Quae exacte cum iis conueniunt, quae hoc capite de cauſarum diagnoſi nos tradidimus, niſi quod ſubinde relabitur auctor in recentiorum, quos taxat, de ſalibus et ſulphure doctrinam, quaſi ſcabie infectus, et eodem luto cum iis voluntatur. Atque ſic quidem προηγȣμενη cauſa cognoſci poteſt.

§. XII.

Ante vero, quam haec deſeram, etiam proximam cognoſcendam dabo, quam dixi eſſe omnium et praecipuam, et cognitu difficillimam ipſius, BAGLIVI, quoniam in eum nunc incidi, opera et induſtria potisſimum vtens. Petuntur ergo indicia cauſae proximae 1.) *ex cauſae* procatarcticae et προηγȣμενης natura. 2.) *Multae ſponte patent*, vt in Hydrope Aquae, in empyemate ſanies, in Nephritide calculus, item vermes, praeſertim ſi excernantur foras. Sed ibi plerumque latent cauſae harum rerum, quod prope peius eſt. 3.) *Sunt iuuantia et nocentia:* verum et iſta obſcure ſatis et incerte rem dicunt, dum modus vel iuuandi vel nocendi eſſe poteſt varius, itaque probe hic omnia penſitanda ſunt. 4.) Eadem ratio eſt *mutationis vnius morbi* in alium, quod profecto longum eſt expectare, et ſi expectes, ſaepenumero tamen inde nihil certi colligas, eſtque proinde haec ratio magis idonea inueniendis cauſis morborum in vniuerſo, quam in ſingulari ad lectum aegrotantis. Qui etiam videtur ſcopus BAGLIVI. 5.) Paulo praeſtantior eſt modus, quem nunc commemorat: ex *laeſione actionum*, veruntamen et haec varia eſſe poteſt vel obſtruens cauſa in pulmonibus, corde atque arteriis, aliisque. Denique 6.) *Symptomata* ſaepius de cauſa proxima, ſaepius tamen etiam de morbo teſtantur. Itaque fons cauſarum,

(e) *Cit. L. inciſ. VII.*

cauſarum, diaetae ſcilicet, eſt plerumque certisſimus. Humores autem, vt bilis, per colorem produntur. Sic in ictero oculi, totaque facies, in febre ardente lingua nigricans. Aphthae acrimoniam lactis aut ſeri teſtantur in lingua. Plura vide apud BAGLIVVM ipſum, qui ſingula iſta exemplis vlterius illuſtrauit, non tamen, vt dixi, tam aegrorum ſingulatim, quam morborum vniuerſim ſpectatorum.

§. XIII.

Apparet autem, cum tam difficilis ſit morborum, et quae ad eos pertinent, omnium cognitio, quanta audacia, quam Gyaris et carcere digni, Pharmacopaei, Barbitonſores et ſimilis farinae ſodales ad artem faciendam animum adiiciant, cum haec omnina ne ſupremis quidem labris vnquam deguſtauerint, aut deguſtare curent, ſed ſolis medicamentis, quae ab aliis medicis praeſcripta posſident, confidentes, citra morborum, cauſarumque, ac temporis cuique medicationi idonei notitiam in caſtra aliena irrumpant: quod ſane idem eſt, ac ſi fabri, ex praeſcripto militum, gladios atque clypeos parantes ſe ingerere in aciem, eamque inſtruere, et aduerſus hoſtem pugnantes dirigere vellent. Quae res, annon omnibus videatur merito ridicula, et inſanae ſummaeque temeritatis?

CAP. VII.

DE SIGNORVM SIGNIFICATIONIBVS.

ET I. ACTIONVM LAESARVM.

§. I.

In his fere poſſet acquieſci: ne tamen praetermittamus quicquam, quod ad dignoſcendos morbos facere posſit, quoniam difficilis eſt, etiam ex alia atque aduerſa facie ſigna ſpectabimus, quid quaeque ſignificent in morbis cognoſcendis, iterum tradituri.

§. II.

Diſpeſcimus autem ſigna, ad fontes ſuos redacta, in cauſas, et ſymptomata. Vtrumque genus ſuas ſignificationes habet. Ex *cauſis* vero praecipue hic ſpectantur, vt diximus, προηγȣμεναι, et ex his *Non-naturales*:

naturales; vtpote quae vel manifeſtae ſunt, vel ex aliis facile diſci poſſunt; adſtantibus puta, vel aegro: etſi Procatarcticae etiam non plane, nec ſemper negligendae.

§. III.

Omnes autem iſti humorum vel ſpirituum diſpoſitiones ac naturam, deinde et morbum ipſum, tertio morem eius oſtendunt. Procedamus ad ſingulas. Sed de cauſis fere iam ſatis modo actum eſt: itaque in iis enarrandis erimus parciores.

§. IV.

Aer, qualis eſt, tales morbos regnare, vel expectandos eſſe, monet: ſi manifeſtis qualitatibus excedat. Calore ſcilicet ſanguinem incendi docuimus: Ergo eo regnante, febres eſſe; ſiccitate, ſerum conſumi: ergo tuſſes ſiccas, hecticas febres; frigore, coagulari: ergo pleuritides, peripneumonias, tuſſes humidas et defluxiones, etiam in extrema; humore, humectari corpus; ergo poros obſtructos, et aeris grauitatem incumbere, et reſpirationem difficilem reddi, et aſthma laſſitudinem membrorum, et prohibitam transſpirationem, febresque intermittentes inferri, et haec de manifeſtis eius qualitatibus.

§. V.

Ex his anni tempora etiam aliquid nobis aperiunt. Vt enim morbi vernales, autumnales, aeſtiui, hyemales ſunt, ita cum febris ſe oſtendit, vere, tertianam, autumno, quartanam, aeſtate, continuam eſſe, fere poteſt intelligi. Talia plura *L. III. Aph. Hipp. legi poſſunt.*

§. VI.

Ex victu, qui praeceſſit, etiam natura morborum colligi poteſt. Qualis enim cibus et potus, talis ſanguis, qualis ſanguis, talis eſt ſanitas. Nam victus προηγȣμενην cauſam fere conſtituit, itaque de ea ex cibo poteſt recte colligi. Hoc etiam ſupra monuimus.

§. VII.

Ita tamen, vt ad vitae genus et conſuetudinem ſimul attendatur. Ruſtici enim dura victus ratione rectius degere conſtat, quam Satrapes molliter victitantes, Siculis dapibus, et vino Falerno, *quod* duro, quem

ſubeunt

ſubeunt labori magnam partem, ac conſuetudini acceptum ferendum eſt. V. RAMAZZINI, de morb. artificum.

§. VIII.

De potu idem ſentiendum, ſi quis calidis vtatur vinis, calorem ſanguinis accenſum, febresque ardentes, ſi aqua putrida, malignas adeſſe, ſi craſſa cereuiſia, et faeculenta, flatus, colicam, calculum, arthritidem.

§. IX.

Somnus nimius ſanguinem craſſum et faeculentum, ſtuporemque notat: *Vigiliae* deliria, ardentes febres, ex tenui, acri, et bilioſo ſanguine: item debilitatem ſpirituum.

§. X.

Motus nimis exceſſiuus ſanguinis incendium, eiusque ſubtilitatem ac tenuitatem indicat. *Quies* idem, quod ſomnus.

§. XI.

Ex animi vehementi commotione tremor artuum, et ſubſequens Epilepſia ſuccedere ſolet: item menſium ſubſiſtentia in faeminis, et, ſi grauidae ſint, abortus: neque tamen id ſemper, ſed in inbecillibus, et conſuetis talem pati. Nonnunquam et ſanguinis vndecunque eruptio, et in aliis furor.

§. XII.

Triſtitia vero et moeror ingens, cordis imbecillitatem, leucophlegmatiam, obſtructos in foeminis menſes, animi imbecillitatem, et languorem totius corporis, quod aliis etiam commotio vehemens cauſari poteſt. Vide de his librum, a me editum, de animi humani affectibus, vbi reliqua reperies.

§. XIII.

Haec ex cauſis coniici poſſunt, et ſi quae ſunt alia, ex pathologiae Part. I. de cauſis petenda. Et huc pertinet quaeſtio illa HIPPOCRATICA: ex qua cauſa? Non tamen ad hunc fontem recurrendum, niſi neceſſitate id poſtulante: alias commodius ex ſymptomatibus argumentamur, quae his priora ſunt (quod ad nos;) et manifeſta magis

cum cauſae ſint abditae, et hinc minus certae; poſſunt vero etiam diſſimulari, aliaque confingi.

§. XIV.

Sed etiam ad cauſas pertinet nimia excretio ſanguinis, quae copioſa, ſiue confertim facta, ſiue per vices, exhauſtas vires, et fractum corporis robur denotat: huiusque inſuper tenuitatem. *Retentio* contra eius, quod excerni debet, ſanguinis ex haemorrhoidibus, plethoram: *menſium*, cacochymiam; *Vrinae*, plerumque obſtructas vias, vel compreſſas, et conſequenter Hydropem, aut calculum. *Sudoris* retentio in febribus, malignitatem.

§. XV.

Pergendum nunc eſt ad alterum ſignorum genus, nimirum ſymptomata: quae in vniuerſum aliquando morbi, aliquando et cauſae aliquid manifeſtant. Actiones laeſae etiam locum affectum, ſingulae ſuum, nam, laeſa actione, plerumque eius actionis inſtrumentum laeſum eſt, vel influens, quod agile reddit, idque eſt ſpiritus. Sed ad ſingula accedamus. Eo vero ordine, quo antea vſi ſumus, ſeruato procedam. Aliqua horum iam in prioribus adducta ſunt: nunc presſius ea proſequamur.

§. XVI.

1. *Appetitus deiectus* non ſemper ventriculum debilem, ſed tum demum ſignificat, cum nullus alius morbus apparet. At cum calore et pulſu concitato febrim, quibus omnibus, ſed non ſolis familiaris eſt. Sed et magnis doloribus, et vehementioribus quibuscunque affectibus, idque naturali accidit, et perpetua, certaque lege. Quocunque enim modo disſipentur ſpiritus animales, nunquam non conſequitur hoc ſymptoma.

§. XVII.

2. *Sitis* internum calorem ſignificat, virium inbecillitatem. Hinc ſitiunt calculoſi, in paroxysmo, vbi renes, et totus ſanguis incaleſcit, ſitiunt et dyſenterici, et poſt magnam euacuationem, aut magnum laborem omnes. Si autem calere conſtet, et non ſitiant tamen, vel malignitatis vel vitiatae mentis certum ſignum eſſe ſolet.

§. XVIII.

3. *Deglutitio laeſa* in catarrho ſignificat muſculos gulae, humoribus obſeſſos, et ſimul plerumque glottidis: vnde raucedo adiungitur. In aliis quoque morbis id accidere poteſt. At vbi febris cum inflammatione faucium apparet, *Angina* eſt, ſi tumor colli inſpectione in os ſine febre appareat, glandulae et fauces inflammatae ſunt. In *declinatione* autem morborum, pulſu deficiente, aut natura labante mortem haut longe abeſſe, praedici poteſt. Vide *Aph. IV. 35.*

§. XIX.

4. *Atrophia* cum calore et pulſu frequenti *hecticam* conſtituit et phthiſin. Ea quoque laborant, qui et antiquis vlceribus multum ſeri effundunt, mulieres fluxu albo laborantes, aut nimio menſtruo, aut quocunque ſanguinis; *Diarrhaea* quoque diuturna. Infantes ſi vermibus, depaſcentibus chylum, vel etiam dorſi, quos Crinones, et noſtrates inde *Miteſſer* vocant: quos nonnulli ſordes eſſe autumant: ſed perperam. V. ANDRY *de vermibus I. 3. p. m. 40.* Iidem ſi ſcirrho glandularum meſenterii afficiantur, ruptis venis lacteis, et chylo effuſo. Hoc Marasmum puerilem vocare licet, vt, cum ex ſenectute, exhauſtis humoribus, ſenilem.

§. XX.

5. *Partium atrophia*, ſingularum puta, figuram vitiatam, et maxime luxationem conſequens, compreſſionem vel arteriarum, vel neruorum indicat; *Vulnera* etiam, in vlcera deſinentia, comitatur.

§. XXI.

6. *Pica et malacia* in foeminis maritatis impraegnationis ſuſpicionem faciunt.

§. XXII.

7. *Vomitus* Haemicraniam menſtruam nonnunquam comitatur et vertiginem: In capitis vulneribus fracturam cranii, aut grauem cerebri concusſionem indicat; *Calculum* praeterea, impraegnationem, quam et nauſea manifeſtat, et abhorrentia a carnibus potisſimum. *Hypochondriacis* familiaris eſt, et iis, qui ventriculo ſunt debili, aut eam nimia copia, vel cibi, vel potus onerarunt. *Febribus* etiam initio, et

viſcerum inflammationibus. Quibus tamen omnibus fere, non per ſe, ſed per conſenſum accidere ſolet, vbi grauis eſt affectus.

§. XXIII.

8. *Ructus* ventriculi inbecillitatem, aut nimiam repletionem indicat, hyſtericas etiam, et hypochondriacos vexat, fereque ſoluit paroxysmos.

§. XXIV.

9. *Singultus* ventriculum laborare, aut nimium etiam repletum eſſe indicat, eius enim eſt conuulſio. In febribus in principio et augmento malignitatem, in fine victam naturam notare ſolet.

§. XXV.

10. Poſt ventriculi ſymptomata venimus ad inteſtina. Quae cum in corpore ſint abdita, et in medio abdomine collocata, pauca nobis ſymptomata, quae ſenſibus manifeſta ſunt, offerunt. Actio eorum aucta, *Diarrhaeam* conſtituit. Haec vel irritans in inteſtinis, vel laxitatem innuit fibrarum ſpiralium. Vnde circa fines morborum multorum obſeruatur, vbi omnia debilitata, et tonus viſcerum reſolutus eſt, et tunc auctores putant eſſe colliquationem humorum: de qua re non eſt hic disceptandi locus. Significat haec fractum naturae robur, et ad prognoſtica pertinet: vel ex fermentatione humorum prouenit, vel etiam, quod tertium eſt, eorum omnimoda corruptione. Saepe et viſcerum putredinem conſequitur, atque adeo morbis grauibus ſuperueniens, nec cedens medicamenentis plerumque pernicioſum ſignum eſt.

§. XXVI.

11. *Flatus* inteſtinorum, qui ex dolore, intumeſcentia, et duritie ventris cognoscuntur, itidem fermentationem ſignificant, et quandoque coctionem laeſam, aut fermenti vitium. Eſt vero et aliud flatuum genus, quod ex neruis oritur, an ſpiritus animales in eos conuertantur tum temporis, nescitur. In hos reſoluuntur ſpasmodici affectus, difficillimi curatu.

§. XXVII.

12. *Alui ſegnities* diarrhaeae opponitur, vnde 1) fibrarum carnearum inbecillitatem, motumque interceptum, aut reſolutionem: vt in paralyſi.

paralyſi, vbi a ſpirituum influxu negato eſt. 2) Calorem internum auctum. Quin ſaepe ex ipſius lecti, externo calore eſt. 3) Motum corporis minorem, quam par ſit. Vnde non ſtatim pronunciandum, alui conſtipatione magnum malum inferri, et continuo ad clyſteres properandum eſt, ſed conſiderandus victus aegri, (nam ſaepe etiam a deficiente humido eſt) decubitus, et alia.

§. XXVIII.

13. *Teneſmus*, quando dyſenteriam ſequitur, vt fere ſolet fieri, nihil mali ſignificat, ſed cliſtere ex lacte facile tollitur, et pertinet ad ſymptomata, poſt morbum relicta. Extra hoc tumorem in muſculis ani, ſphinctere, aut inteſtino recto prodit, aut aliud quid p. n. ibi haerens, vel humorem acrem, aut fermentantem indicat. *Condyloma* etiam, *ficus ani* et haemorrhoides. In praegnantibus nonnunquam ab vtero incumbente producitur.

§. XXIX.

14. *Vrinae vel ſuppreſſio, vel difficultas* varia indicat. 1. Veſicae paralyſin, qua muſculoſa eius cutis contrahere ſe non eſt potis. Vt cum nimium ipſa repleta eſt, vt non ſentiat ſtimulum; Tychonis Brahe exemplo, qui cum ea vrina repleta erat, isque ſurgere reuerentia accumbentium nollet, rupta ea, diem obiit, cum poſtea, contrahere ſe amplius nequiret, vel dum neruus eſt affectus, vt non influant ſpiritus: item ſi ſphincter contractus eſt per conuulſionem, vt ſanari non poſſit: aut ſi tumore comprimitur: Nonnunquam occulta cauſa eſt, cum, omnibus recte conſtitutis, vel incoctum ſanguini ſerum non ſeparatur, vel conuulſi tubuli renales, eam non transmittunt in peluim. Haec ad ſuppreſſionem pertinent. 15. Difficultas autem calculum tam veſicae, quam renum prodit, praeſertim ſi magnus ſimul dolor, aliaque ſymptomata eam comitentur. Quodſi dolor in colo aut eius radice percipiatur, isque tranſitorius, gonorrhaeam virulentam, et vlcera, quae eo loco exiſtunt. 16. Si deprauata ſit excretio, et bifida exeat, vel pluribus radiis proſiliat, carunculae in meatu ſignum eſt.

§. XXX.

17. Irritus autem mingendi conatus, ex membranae internae vretrae, aut ſphincteris ſollicitatione eſt, vel ab acri peregrino, vrinae permixto, vel a calculo veſicae, ei incumbente, proueniens. Calculoſis

etiam nephriticis per conſenſum familiaris eſt, et praegnantibus, vltimis menſibus.

§. XXXI.

His expoſitis, quae ad primam coctionem referuntur, pergamus ad cordis et pulmonis ſymptomata. Illius actio pulſatio eſt, huius reſpiratio. *Pulſus* autem 1. vel excedit magnitudine, vel deficit. Excedens, *magnus*, naturae *robur*, cordisque et ſpirituum vires integras, ſed ſimul vel irritationem, vel calorem nimium ſanguinis indicat. 2. Irritationem in *palpitatione* cordis, (vbi polypum frequenter ſignificat.) et in epilepticis obſeruauimus, eſtque tum cum celeritate et vehementia coniunctus. Calorem vero in omnibus febribus inſeparabilem habet. Et tum non eſt ſimul vehemens et celer. Oſtendit praeterea et ſanguinis abundantiam: Hinc etiam plenus appellari ſolet, quod digitorum pulpam egregie inpleat.

§. XXXII.

3. *Paruus* contra ſanguinis plenariam, ſed cum frequentia irritationem ſimul, vel calorem internum, praeterea inbecillitatem naturae, vel oppresſionem ſpirituum: nam, materia deficiente, pauci conficiuntur: oppresſio vero multos moueri non ſinit. Talis in malignis et in hyſtericis pasſionibus.

§. XXXIII.

4. *Frequens* pulſus ſanguinem inminutum, vel etiam tenuem ac diſſolutum, ſimul et debilitatem et ſpirituum inopiam ſignificat, aut naturam valde laborantem, ac cum paruo, prope victam, et ſuccumbentem.

§. XXXIV.

5. *Rarus autem* calorem languentem, animum, triſtitia inſigniter afflictum, et ſpiritus debiles, motuque deficientes eſſe, annunciat, ſed haec ad morbum haut pertinent. In hoc autem Spirituum modicam oſtendit vbertatem, aut defectum.

§. XXXV.

6. *Pulſus celer* cor vehementer commotum, adeoque ſpiritus cum anxietate concitatos prodit. Secundo vero loco et ſanguinem inminutum

nutum fere, idque quoties cum paruo coniunctus eſt. Vnde hic pulſus naturam valde laborantem, et morbos difficiles comitari ſolet.

§. XXXVI.

Eſt autem cum frequenti nunquam non eodem tempore: quo enim frequentior, eo citius ſpatium ſuum ſanguis reſiliens complet; adeoque tanto frequentius iteratur.

§. XXXVII.

Etiam cum magno combinari ſolet, et quidem in febrium principio, et tunc vocatur vehemens: quod in Diſſ. Noſtra de Pulſu demonſtrauimus. Semper febrilis caloris principium prodit.

§. XXXVIII.

7. TARDVS autem facultatem ſpirituum fractam, aut oppreſſam, adeoque inbecillitatem naturae ſignificat. Hic raro cum magno, at cum raro ſaepe ſimul adeſt: ſanguinis mediocrem, aut etiam, cum illo nimiam eius copiam indicat.

§. XXXIX.

Dicendum nunc de pulſu inaequali, qui in ordinatum et inordinatum diſpeſcitur, nempe ratione intermisſionis et remisſionis. Hic vterque non eſt vnius generis: Ordinatus intermittens mihi quidem nunquam repertus eſt, vt de eo, quid dicam, non habeam. Inordinatus autem, quoties ſimul paruus eſt, debilem valde, et victam plerumque naturam oſtendit. Attamen ſi non paruus, ſed robuſtus ſimul eſt, vt in tertianis nonnunquam, nihil pernicioſi minatur. Omnis a ſpiritibus deficientibus, et inaequalis ex influentibus eſt.

§. XL.

Qui autem magnitudine inaequalis et diuerſus eſt, naturam valde laborantem prodit, ſpiritus enim turbatos, et oppreſſos oſtendit, id quod aliquando a malignitate eſt, aliquando ab eorum ſenſim deficientium penuria. Verum haec ad prognoſin, non diagnoſin pertinent.

§. XLI.

Haec de pulſu ſufficiant, nam in auctoribus multa ſuperflua, inania, vanaque de his traduntur. Aliqui praeterea nimis multa ex his coniiciunt,

iiciunt, alii contra, nimis incertam reddunt doctrinam hanc; vt BELLINVS. Aeque enim falſum eſt, et nulla conſequentia legitima oſtendendum, quia in diuerſis hominibus pulſus varius eſt, nihil certi ex eo praedici poſſe, atque eſt illud, quod de Chinenſibus iactitant, tacto pulſu, omnia praeterita eos pronunciare poſſe. Sed exercitata manus, et experientia requiritur, qua quo quis pollet magis, eo plura ex pulſu cognoſcere poteſt. Qui vero pulſum vniuscuiusque morbi cognoſcere cupit, adeat GALENVM et MERCATVM de pulſibus, et qui omnium eſt nouisſimus IOH. FLOYER Anglum, libro cui titulum fecit: *The Phyſian pulswath*, (Anglice enim ſcripſit.) Is enim ſatis prolixe per plurimos morbos eundo, ſingulorum pulſus deſcripſit: ſed ita, vt in multis multa monenda ſint, quae minus vera, minusque certa videntur eſſe, quam vt ſatisfacere doctis queant.

§. XLII.

Vnum adhuc de pulſu inordinato, et inaequali monendum eſt, eſſe ſcilicet malignitatis ſignum, quoties cum febre continua occurrit, ſi itaque modo fortiter, modo remisſius, modo frequens, modo rarior, modo celeriter, modo tardius recurrit, de hac re certa incidit ſuſpicio. Idem ſi paruus aut debilis ſubinde deprehenditur ſuſpicandum venit. Nunc ad reſpirationem pergendum eſt.

§. XLIII.

Difficilis reſpiratio Aſthmati eſſentialiter, hoc eſt natura ipſa inhaeret. Summum eſt, ſi fit cum ſonitu: cauſa enim eſt infarctus pulmonum. Eſt tamen aliquod aſthma conuulſiuum, quod fit, interceptis ſpiritibus, in musculos intercoſtales et diaphragma influentibus: quo arctius contracto, impeditur ſublatio coſtarum, et fit interrupta ac difficilis reſpiratio. Haec in eiulatu puerorum obuia eſt: ſed ad nos iam non pertinet, vt nec illa, quae tusſiendo accidit. Reſpiratio autem parua et breuis inflammationem fere ſignificat, maxime cum punctura ſimul percipitur ac febris.

§. XLIV.

Magna, ſi in febribus occurrit, maxime ſanguinem in pulmonibus ſtagnantem ac aeſtuantem prodit. In febrium, continuarum praeſertim, principio frequenter obſeruatur.

§. XLV.

§. XLV.

Frequens autem et *parua*, ſi cum febre ſit, valde laborantem naturam, et prope victam; ſi autem febris abſit, ex compresſione pulmonum et expanſione prohibita prouenit: vt in hydrope pectoris videre eſt. Nonnunquam etiam dolor musculorum intercoſtalium prohibet expandi, vt in pleuriticis.

§. XLVI.

Vt vero Parua et frequens iam vinci incipientem naturam prodit, et mortem haut adeo longe abeſſe, ſic *parua et rara* cum quiete pectoris notabili adhuc magis propinquam.

§. XLVII.

Reſpiratio frequens cum ſtertore etiam pesſima, Soporoſis et Apoplecticis familiaris, vbi *lethalis*, ſiue pituita bronchiis inhaerente, ſiue hiante nimis glottide fiat.

§. XLVIII.

Ex quibus discitur, eandem reſpirationis ac pulſus conditionem eſſe, easdemque fere differentias, magnumque vtriusque conſenſum: qua de re videndus SENNERTVS *Inſt. p.* 722.

§. XLIX.

Sternutatio raro eſt ſymptoma in morbis. Vbicunque vero occurrit, naturae ſibi conſtantis ſignum vulgo exiſtimatur, et recte. Eſt enim naturae conatus, a ſeri in cerebro ſubſiſtentis onere ſe liberantis.

§. L.

Tusſis arida intermittentium quorundam paroxysmos praecurrit, et in puellis inſtantem menſium fluxum prodit. Variolas aliquando annunciat, et in pueris vermes.

§. LI.

Lipothymia in vniuerſum naturam debilem, vel preſſam; in continuis malignitatem prodit. Eſt enim a ſuppresſione ſpirituum, ſed transeamus ad Facultatem animalem.

§. LII.

Vigiliae 1) dolorem corporis, 2) animi, 3) ardorem, ſeu calorem ſanguinis nimium ſignificant.

§. LIII.

Phrenitis vnius ardentis eſt febris, et regurgitationem indicat materiae ad caput.

§. LIV.

Delirium magnam ſpirituum perturbationem ſignificat, dolores inmanes, pasſiones animi vehementes, vigilias; nonnunquam et hyſtericas pasſiones, et viri deſiderium.

§. LV.

Oſcitatio et *Pandiculatio* febrium paroxyſmum inſtantem praeit, et hyſtericas pasſiones.

§. LVI.

Horror et *rigor* febres omnis generis inchoat, praeter ephemeram, et hecticam: puris item generationem, et foetus in vtero mortem manifeſtat.

§. LVII.

Praecedit autem ardentes leuis horror, et in malignis ſaepe vix perceptibilis: vulnerarias maior, tertianas mediocris, quartanas tam vehemens, vt ſaepe lectus contremiſcat.

§. LVIII.

Capillorum defluuium, quod veluti per appendicem adiicimus, magnum morbum praeteriiſſe oſtendit: febres graues et malignas, Luem Gallicam, maximos capitis dolores; Puerperis accidit poſtquam ex graui partu reſurgunt. Sequuntur ſenſus.

§. LIX.

1) *Viſus* imminutio vel criſin inſtantem, vel mortem, in acutis 2) *Auditus* victam naturam, ſi alia concurrant; At in continuis ſaepe ſalutem.

§. LX

§. LX.

Tinnitus aurium, fragor, ſuſurrus repletum humoribus caput, tamen et ſpirituum perturbationem, et apoplexiam praenunciant.

§. LXI.

Guſtus abolitus, et item *Odoratus* coryzam comitatur, amarus ille, febres. An a bile hic ſit, nondum certo conſtat.

§. LXII.

Tactus non ſentit in ſphacelo. Stigma etiam aciculae immiſſa ſine ſenſu, ſagas prodit: apoplexiam omnium ſenſuum, huius vero prae ceteris priuatio; Reliquis ſaluis, neruum compreſſum, obſtructum, contuſum, diſſectum.

§. LXIII.

Sopor cum febre continua lethargus eſt: ſuperueniens, malignitatem, intermittentibus magnum morbum, cum ſtertore, apoplexiam fortem, et laethalem indicat. *V. Aph. II. 3.*

§. LXIV.

Laſſitudo ſpontanea in principio ſtatim malignitatem arguit: ſi valentes praehendit, inſtantem morbum: HIPPOCR. *II. 5.*

§. LXV.

Conuulſio febri, variolisque ſuperueniens, idque tarde, periculum ſummum, extra iſta hyſtericam paſſionem portendit et prodit. Vbi variolae graſſantur, ſaepe praedicit eruptionem.

§. LXVI.

Vertigo, ſpiritus affici, eosque debiles eſſe, aut opprimi, denotat.

§. LXVII.

Dolor 1) *grauatiuus* in artubus, ſerum ibi coagulatum annunciat, 2) pungitiuus, inflammationem, pulſans, latentem abſceſſum, 3) *Findens* et rodens, acre ſerum, membranis aut perioſtio incumbens, produnt.

§. LXVIII.

Dolor capitis 1) intemperiem ſanguinis, 2) plethoram, 3) debiiltatem ſtomachi, 4) futuram defluxionem, 5) praeceſſam animi commotionem,

motionem, 6) potus exceſſum ſequitur et prodit. Hyſtericis mulieribus familiaris. *II.) Aurium*, vlcus ibidem, et quo maior, eo citius ruptum iri. *III.) Colli*, defluxiones in glandulas. *IV.) Ventriculi*, latens quid in eo crudum, nec ſatis percoctum. *V.) Circa Vmbilicum*, colicam, circa *VI.) Dorſum* Nephritin. *VII.) Veſicae* calculum. *VIII.) In artubus* oſtiocopus, quartanam. *IX.) Noctu exacerbatus*, luem veneream. *X.) Vagus* cum rubore et tumore, arthritidem. *XI.)* Idem *cum rubore, fixus* et pungitiuus, eryſipelas. *XII.) In articulis fixus*, podagram. *XIII.) In musculis*, Rheumatismum. *XIV.)* Denique internus, et profundius abditus, pro ratione loci, tumorem viscerum, aut inflammationem, aut ſcirrhum, vel ſimile quid comitatur.

§. LXIX.

Dolorem non ſentire, mentem aegrotare indicat. HIPPOCR. *II. 6.*

§. LXX.

Aphonia poſt capitis percusſionem cerebri grauem concusſionem notat: eamque plerumque cum fractura cranii coniunctam.

His fere abſoluuntur ſymptomata laeſarum actionum. Sequuntur.

CAP. VIII.

QVALITATES PRAETERNATVRALES.

§. LXXII.

Quales colores, vt vniuerſim dicam, iterumque inculcem, tales in corpore humores reperiuntur. Cum enim omnes corporis partes ſint *ἄχροαι καὶ διαφαναὶ*, quem habent colorem, a contentis ſub cute ſortiantur, neceſſum eſt, imo et oſſa ipſa corrupta nigredinem iis debent. Hinc HIPPOCR. *Lib. de Humor.* τὸ χρῶμα τῶν χυμῶν ὅκου μεν αμπωτις ἐςι τῶν χυμῶν ὥσπερ ανθειον, *etc. Humorum color*, ait interpres, niſi ad profunda corporis ſe recipiant, velut in cute efflorescens conſpicitur. *vid. Cap. praec. §. 16. ad 19.*

§. LXXII.

Ita, vt ad ſingula pergamus, flauescens pallide, bilioſam cachexiam, intenſius flauescens, icterum, ſupra modum floridus faciei, morbum

morbum calidum, pallidus, pituitoſum ſanguinem, et in faeminis obſtructos menſes, ex eo nigricans et luridus, icterum nigrum, aut febrim quartanam diuturnam, aut peſſimum cachexiae genus prodit.

§. LXXIII.

Color aliarum partium etiam ibi ſeparatum ſtatum humorum indicat. Rubedo cuticulae eryſipelas; articulorum, arthritidem; oculorum, inflammationem et acrem ſanguinem; nigredo conſummata ſphacelum, rubor in tumoribus, calidum eſſe, albor, frigidum et oedematoſum; nigredo, anthracem; Genarum rubor, peripneumoniam, liuor, cancrum, ſignificant.

§. LXXIV.

In pupilla oculi albus, viridis, coeruleus, cum craſſitudine, varia cataractae genera. De cetero, ſplendor eorum extinctus, mortem; languidus ſpirituum languorem. Vnde HIPPOC. Ep. VI, 4. Oculi vt valuerint, inquit, ita totum corpus.

§. LXXV.

Linguae color albicans, internum, ſed mediocrem; niger, vehementisſimum calorem, et in principio apparens acutisſimam febrim prodit. V. HIPPOC. de Iudicat. diebus.

§. LXXVI.

Vnguium liuor, ac pallor, in intermittentibus paroxyſmum inſtantem, in continuis exacerbationem, in deſperatis, extrema inminere oſtendit.

§. LXXVII.

Puſtulae in facie acrem ſanguinem, et calidum; in inflammata parte ſubito orientes, inſtantem gangraenam ſignificant.

§. LXXVIII.

Calor totius corporis, febrim, et ingens quidem magnitudinem morbi; idem in volis manuum, poſt cibum maxime, hecticam: *Frigus* contra extremorum in continuis febribus augmentum morbi nouum, et exacerbationem, aut malignitatem notat: alias, mortem prae foribus eſſe, et calorem naturalem extinctum, quod et aegri ipſi ſentiunt. Triſte

ſte eius rei exemplum expertus ſum: matre febri continua laborante, die penultima lethale hoc frigus ipſa percipiens, nimium refrigeraſſe nos conquerens, ſuperueniente paulo poſt epilepſia, altero die vitam poſuit.

§. LXXIX.

Siccitas totius corporis cum calore poros obſtructos; ſine eo, marasmum; *Linguae* calorem internum, fonticulorum exſiccatio, ſanis morbum, aegris mortem annunciat.

§. LXXX.

Humiditas et mador corporis in continuis tranſpirationem liberam et ſalutem; *Vlcerum*, cruditatem, praeſertim nimia, et ſanioſa.

§. LXXXI.

Durus venter praegnantem, vel molam geſtantem, vel menſibus laborantem, vel hydropem, vel inteſtina flatibus diſtenta, vel conuulſa, indicat. In partibus externis collectionem humorum, aut aliquid ſolidi ſubeſſe, manifeſtum facit.

§. LXXXII.

Mollities et durities etiam in abſcesſibus ſpectantur, quarum illa maturitatem, haec cum ceteris cruditatem innuunt. *Aſperitas* denique Linguae quidem ſiccitatem ſummam, cutis vero, frigiditate coniunctam eandem tibi proponunt: eſt enim aſperitas in ſuperficie animali ex ſiccitate et corrugatione.

§. LXXXIII.

Murmura et inſueti ſoni fermentationem ac motum tam in ſpiritibus quam in humoribus p. n., indeque naſcentes flatus aperiunt. Hinc *RVCTVS* ventriculi inbecillitatem, aut in morbis, ſpirituum in flatus (vt in hypochondriacis fit) mutationem: *CREPITVS* autem ventris et borborygmi, hypochondriacum malum in viris, in ſexu ſequiori hyſtericas pasſiones produnt: quibus vtrisque fermentationes familiares illis in inteſtinis, his in toto neruoſo genere eſſe ſolent. Vide Aph. IV, 22. (a)

(a) Vide Williſ. Path. Cer. 5. de morb. conuulſ.

§. LXXXIV.

§. LXXXIV.

Odor omnis, totius ſaltim, ex humoribus prouenit. Cadauero-ſus ſummam eorum corruptionem comitatur. *Variolis* hinc peſſimus eſt, ſed ſui generis tamen. *Dulcis* in peſte (b) infectiuus. Particularis autem, viſcerum ſtatum nobis palam facit. *Halitus* quidem putridus, vlcus in pulmone, vel palato, vel faucibus manifeſtat: Narium, ſupra palatum aliquid corruptum eſſe.

§. LXXXV.

SAPOR, ſi corruptus ſit, ſaliuae potius, quam linguae vitio id contingere, exiſtimare oportet: vix autem alius, quam *amarus* ſeſe offert: de quo iam egimus. *Salſus* tamen etiam eſt, ſeri acris index, vt cauſae morborum. Is non ſemper ſcorbutum prodit: ſed multi ſcorbutici talem non percipiunt. Ego ſaepenumero poſt tabaci fumum hauſtum eum obſeruatum memini: iſta ergo ſalſedo in tabaco erat abſcondita, non in ſaliua: cito enim tranſibat.

§. LXXXVI.

Superſunt *qualitales ſenſiles communes; TVMOR pedum* inbecillitatem cordis indicans: de oedematoſo autem loquor, qui digitorum veſtigia ſeruat, verum et frigidius temperamentum et ſanguinis innatum calorem inminutum eſſe, concludendum eſt. Niſi tamen in praegnantibus ſit, quibus alia eſt ratio.

§. LXXXVII.

Glandularum inguinalium tumores, vel peſtem, vel luem veneream occupaſſe corpus, ſuſpicionem faciunt: raro admodum ſponte eueniunt, et ceſſant.

§. LXXXVIII.

Ad motum pertinet *Iactatio*, qua in lecto ſe aegri huc illuc peruoluunt: Indicat autem vel anxietatem, vel animi inquietudinem, et in febribus cum aliis prauis ſignis, malignitatem, ſpiritus affligentem, adeſſe, ſignum eſt.

§. LXXXIX.

Nimia contra et perpetua quies, ſi ex aliis ſignis de morbi atrocitate, aut vehementia conſtet, aegrum non ſatis integra mente ac ſenſibus eſſe, vel

(b) Vide *Salmuth. obſ. III, 57.* Quod et alii habent.

vel etiam ita debilem, vt ſenſu communi iam carere incipiat, reddit manifeſtum.

§. XC.

AD SITVM: In ventre iacere, ei, qui per bonam valetudinem ita dormire non eſt conſuetus, inſtans delirium, aut partium circa ventrem dolorem indicat.

CAP. IX.

DE SIGNIS AB EXCRETIS.

§. XCI.

Nunc *de Excretorum ſymptomatibus* dicendum reſtat: in quibus ſpectantur. *1.) Subſtantia*, *2.) qualitas*, *3.) quantitas*, *4.) locus.* Singulorum autem haec ratio eſt, vt ſtatum partium, vnde prodeunt, manifeſtent: magno medicinae bono. Cum enim ipſas adire, et interne abdita explorare non liceat, foras mandatis et naturae, quae ipſa expellit, credi poteſt.

§. XCII.

Toto genere p. n. ſe ipſa indicant, *vt vermes* in infantibus; imo adultis etiam. Hinc medicum, in atrophia illorum oportet cogere naturam, vt eos prodire faciat. In febribus malignis etiam generantur, et magnam corruptionem naturae produnt. Quod non morbo, ad iudicationem tendente, tum excrementis prodire, expediat (ſecundum HIPPOCR. in Progn.) fit per accidens.

§. XCIII.

Idem *DE CALCVLO* ſentiendum. Arenulae tamen Nephriticis et Hypochondriacis communes ſunt: aliquando et nihil mali ſignificant, et naturae bonitate eiiciuntur.

§. XCIV.

Spectandum vero diligenter, quomodo, et vnde erumpant: ſic enim et locum affectum cognoſcere licet. Vt *pus*, vndecunque prodeat, vlcus patefacit. *Screatu*, in faucibus; *cum tuſſi*, in pulmone; *ex cantho oculorum interno*, in tunica adnata, vel glandula lacrimali; *ex ano*, in inteſtinis; *cum Vrina*, ex renibus, veſica, proſtatis, ibique tum gonorrhoeam

rhoeam ſubeſſe, eaque *vrinam praecedente*, ex proſtatis; *ſequente*, in veſica aut renibus: ſiue ea preſſura vel ſponte emanans itidem ex proſtatis et vretra prodire oſtenditur.

§. XCV.

Toto genere contra naturam morbos ſupernaturales certo certius produnt. Particulae partium, *toto genere ſecundum naturam*, earum eroſionem corruptionemque manifeſtant.

§. XCVI.

Si fluunt *Chylus*, *potus*, *cibi* ex vulnere, ventriculum vel inteſtina tenuia pertuſa eſſe, ſecurus ſis; ſi ſtercora, inteſtina craſſa; ſi vrina, veſicam: ſi *Sanguis* floridus, ex vulnere, arterias exiles laeſas eſſe teſtatur, ſi vero inſuper cum pulſu, maiores.

§. XCVII.

Serum non profluit niſi ex vlceribus inueteratis, ſanies ex prauis et mali moris, itemque ex vulneribus articulorum, tumque *Synouia* appellatur. Vbique cruditatem denotat.

§. XCVIII.

Sudor, *intempeſtiue* prodiens, et cum deiectione virium, naturam valde laborantem, tempeſtiue et cum *Euphoria*, criſin. (a) Diuturnus, et excedens modum, reſolutionem ſanguinis pernicioſam ſignificat, vt in phthiſicis, et qui in extremis conſtituto aegro prorumpit.

§. XCIX.

Mirum vero, et ex mortuorum corporibus prodire ſponte, vt guttas linteis abſtergere, neceſſum ſit: idque aliquando in facie, alias in dorſo, in pectore, et reliquis. Hoc ſignificare, mox iterum ex ea familia funus futurum, vulgo non temere creditur. Certe non ſemper fallit, etſi nulla appareat connexio.

§. C.

(a) Ad cauſas ſudoris pertinet HIPPOCRATICVM illud: *Κατανοεῖν δὲ χρὴ τὸν, συνολον τῶν υδρώτων γινονται γὰρ οἱ μὲν δι ἔκλυσιν σωμάτων, οἱ δὲ διὰ συντονίαν φλεχμονῆς.* *Alii ex diſſolutione corporum, alii ex inflammationis vehementia.*

§. C.

Nullum prolici, etiam hydroticis medicamentis, malignitatis ſignum eſt, ita enim incoctum ſanguini in his, vt medico non obſecundet.

§. CI.

Morbis ſuperatis, malignis praeſertim, nocturni ſudores aliquandiu ſolent affligere, quibus natura vtitur ad reliquias corrupti ſeri, e corpore eliminandas. Hinc et ſenſim remittunt. Purgandum eſſe indicant.

§. CII.

Haec de ſubſtantia, loco ac tempore fere obſeruare licet: Dicendum *reſtat de qualitate et quantitate.*

§. CIII.

Excreta autem naturalia maxime ſunt. *Vrina et alui excrementa:* ſpectanda vero in excretis ſunt, *color*, *odor*, *ſapor*, et *conſiſtentia*, denique prodeundi modus: Quae omnia in urina potisſimum obſeruantur. De hac ergo paullo diligentius agemus.

§. CIV.

Haec potisſimum matutino tempore emiſſa inſpicitur. Recte habens, ad quam cetera expenduntur, colore eſt a citrino ad aurantiorum malorum flauedinem, pro hominis temperatura, aetate, et ſtatu ſanitatis, ceterisque obſeruationibus, *conſiſtentia* mediocris eſt, et pro intenſione vel remisſione coloris naturalis coloris gradum maiorem minoremue indicat.

§. CV.

Quae hic excedit, vel deficit, morboſa eſt.

§. CVI.

Conſiſtentia craſſa materiae peccantis copiam, eamque in ſanguine adhuc crudam, et non ſatis digeſtam in febribus ſignificat, quae vel abit in ſedimentum ſucceſſu temporis, et tunc ſaluus eſt aeger, vel perſtat talis, et color in fuſcum recedit, tum vero moritur.

§. CVII.

Poſt conſiſtentiam *colores* ſpectabimus: *Pallida* in vniuerſum omnis, ſi pellucida ſimul eſt, frigidam conſtitutionem, ſiue morboſam, ſiue ſanam, medico aperit, et coctionis viſcera debilia.

§. CVIII.

Si vero craſſa ſimul ac turbida, iumentorum ſimilis, coctionem ventriculi laeſam, et cruditates in ſanguine eſſe, innuit, ſiquidem talis perſtet.

§. CIX.

Si vero ponat ſedimentum, vt ad fundum aliquid ſecedat, diligenter id examinandum, quantum poteſt, prout enim varium eſt, ſic varia indicat.

§. CX.

Fulua autem, et ab aureo colore ad rubedinem vergens, auctum calorem, et motum excedentem prodit: et ſi pulſus ſimul citatior, febrim.

§. CXI.

Quodſi tenuis ſimul ſit, morbi cruditatem, ſi paulo craſſior, materiam morbi ſecedentem, ſed nondum coctam, quamdiu talis permanet.

§. CXII.

Si vero ex craſſa, nondum tamen turbida, turbari incipiat, neque ſecedat ad fundum, pugnam naturae cum morbo, illamque nonnihil ſuperiorem.

§. CXIII.

Hac peior eſt, ſi nubeculae in ea appareant et perſtent; nam eae itidem pugnam, ſed morbum adhuc ſuperiorem declarant.

§. CXIV.

Si vero ex turbida clara euadat, ſecedente ad fundum materia flaua, aut fulua, coctionem inchoatam, et, ſi perſtet, perfectam pronunciare licet, et cum hac breui valetudo integra ſperanda eſt.

§. CXV.

Niſi tamen denuo mutetur in rubram, crudamque; quod nonnunquam accidit, hoc enim recidiuam, vel nouam febrim ſuperuenientem annunciat.

§. CXVI.

Itaque, ſi per vices ſubſidat, et iterum craſſeſcat, tunc laborantem naturam ſub onere, et inbecillem eſſe, et oppugnari a morbo docet.

§. CXVII.

Quando vero, et quotiescunque in febri continua, vel inbecillitate ignota, qualis ſit, naturali ſimilis apparet, malignitatem ſignificat.

§. CXVIII.

At ſi, ſupergreſſo colore rubro, brunna vel fuſca appareat, et craſſa, cereuiſiam referens craſſam, vel etiam turbidam, morbum vincere et triumphare, docet, et quo magis a rubro recedit, eo certius indicat perniciem.

§. CXIX.

DE ODORE VRINAE vnicum hoc notandum: foetidam corruptionem humorum nobis prodere: in febribus omnis generis poteſt occurrere, tam intermittentibus, quam continuis, in quibus critice nonnunquam excernitur. Violas redolet a Terebinthina, et nuce Moſchata.

§. CXX.

Sapore explorare urinam non decet, quod et indecorum, et periculoſum ſit: quid enim obſtat, contagioſi aut maligni quid ei ineſſe? cum per poros cutis transſpiret.

§. CXXI.

Reſtat *Conſiſtentia.* Haec in ſe ſpectatur, et ratione illorum, quae in illa innatant. In ſe craſſa eſt vel tenuis.

§. CXXII.

Tenuis vino tenui ſimilis; *craſſa* cereuiſiae pingui. Illa, *ſi aquoſa*, diaphana, et colore prope deſtituta, ſalem ac terram aliorſum rapi, ad caput, vel ſaltim per renes non transmitti, fidem facit.

§. CXXIII.

Si vero flaua, aut *rubra* eſt, cruditatem materiae febrilis, cui nonnihil admiſceatur peccantis terrae, ſalis vel alterius.

§. CXXIV.

§. CXXIV.

In calculoſis urina tenuis et aquoſa, retineri in renibus materiam calculi, et hinc inſtantem paroxyſmum, facit indicium. Haec albicans et mucoſa etiam praenunciat aliquando.

§. CXXV.

Idem morbus, ſi urinae ſuppeditat ſubſiſtentiam, calculoſam eſſe ſcito, et eum diſſolui, ſi in paroxyſmo appareat, ſed haec talia ad ſpecialem pathologiam pertinent.

§. CXXVI.

Contenta autem, quae in illa innatant, varia ſunt: *Nubeculae*, enaeorema, et ſedimentum, vulgo nota: Enaeorema duo continet (nam de anulo ſeu corona commentum eſt.) Spumam et cuticulam. Spuma multa, atque in pyramidis formam aſſurgens alta, viſa mihi ſaepe quidem, ſed in recte valentibus, vbi nihil habebat mali. *Cuticula* autem varia, et inſtar Chartae, quam turcicam vocant, pulchre coloribus ludens, pinguedinis colliquatae ſignum eſt, imo ipſa pinguedo.

§. CXXVII.

De hac capiendus aph. HIPPOCR. in Progn. *Pinguedines innatantes, aranearum telas referentes*, (et multa coloris varietate ludentes) *damnare oportet: Colliquationem namque ſignificant.*

§. CXXVIII.

Nubeculae celebrantur albae et nigrae, mihi nunquam conſpectae. Quas vero ego vidi, pallentes, aut non abludentes ab ipſius urinae colore, ſi periſtent, aut euaneſcant altero die aut tertio, morbum non ſolui indicant: Si vero turbetur vrina poſtero die, inchoamentum eſt coctionis.

§. CXXIX.

Sedimenta admodum etiam diuerſa ſunt. Aliquando flaua vel aurea, quae in febribus, ſi ſuperſtans urina naturalis apparet, ſolutionem morbi ſignificant; alba, aut pallida, crasſiores hordeo toſto, non exacte molito, partes referentia, vel furfuracea, aliquid ſolidarum abſcedere, ſuſpicionem faciunt.

§. CXXX.

Nonnunquam et *purus ad fundum ſanguis* recedit, qui aliquod viſcus laeſum eſſe docet, vnde proceſſit. Vbi vero nigrum apparet, vel etiam tota urina nigra eſt, niſi veneni ſuſpicio, calculum portendit. Aliquot exempla hic obſeruauimus virorum, qui quoties Rheda vehebantur, ſincerum ſanguinem meiebant, calculoſi vero hi eſſe ſolent, nec alia ſubeſſe videtur hic ratio, quam arteriarum tenerrimarum in renibus apertio, attritione calculi facta. Hi non diu ſuperuiuunt.

§. CXXXI.

Illa, quae praeter ſanguinem in urina obſeruantur, ſunt *pus* vel ſincerum, vel cum ſanguine prodiens ſimul. Hoc exulceratos renes, aut, ſi dolor intra pubis regionem affligat, veſicam laeſam indicat. Si ſincerum, plerumque ex pectore, in empyemate, aut pleuritide profluit. Adde HIPPOCR. *Aph. IV, 75. ad 81.*

§. CXXXII.

Nec lenta et oleoſa naturae conueniens: Sed morbi magnitudinem, et corruptos valde humores indicant.

Magnum eſt inter auctores disſidium, an oleoſa reapſe ſit talis, an vero apparenter. Non puto verum oleum mingi unquam: nec facile tale permiſceri: ceterum tam raro obſeruatur, vt vix certi quid hic determinare audeam: mihi ſane nunquam viſa: Vide SENNERTVM.

§. CXXXIII.

Sequuntur *ALVI EXCREMENTA*. In his quoque ſpectatur Quantitas, conſiſtentia, color, odor et modus prodeundi.

§. CXXXIV.

De Quantitate id primo loco notamus: Si quis parum comedat, bibatque, non multum quidem excerni poſſe: verum hoc tamen fallere. Saepe enim tanta, in alui fluxibus praeſertim, copia exit, vt mirere, vbi latuerit, praeſertim ſi diu non ſoluta ſit aluus: Inde vero vlterius nihil colligitur, tunc enim ſenſim cumulatur.

§. CXXXV.

Spectanda autem non tantum quantitas continua, ſed etiam diſcreta.

§. CXXVI.

§. CXXXVI.

Si multum confertim in febribus continuis prodeat, et tempus morbi reſpondeat, criticam eſſe, iudicato.

§. CXXXVII.

In aliis morbis multum vna vice excerni, ſemper bonum, praeſertim ſi foeteant peſſime, vt ſolent, diutius retentae feces.

§. CXXXVIII.

Contra parum excerni, non bonum. Vel enim non multum edere aegrotum, vel debilem naturam, et expultricem hinc facultatem, (ſi ita me loqui ſinas,) ſignificat.

§. CXXXIX.

Saepius vero vna die excerni, et crebras deiectiones fieri, et ex breuibus interuallis, peſſimum: vel enim irritationem prauam, vel fermentationem ſanguinis prauam, vel corruptionem alicuius viſceris notat, praeſertim ſi ſanguinolenta aut nigra ſint, quae excernuntur. Niſi tamen critica ſit euacuatio, quod non frequenter accidit.

§. CXL.

Liquida praeter morem excerni, fere idem ſignificant: ſemper enim haec coniunguntur. Aliquando colliquationem humorum cauſam habent, vt in diarrhaea diuturna, et phthiſi.

§. CXLI.

Sicca admodum quae ſunt, magno calore talia redduntur, ac diuturna retentione. In ſe igitur nihil habent mali. Aliquando ex eo tales ſunt, quod parum bibatur, etiam ſanis. Vidimus caniculum, cui rara erat bibendi occaſio: is durisſima excrementa magno cum labore et dolore deponebat. Haec ad conſiſtentiam pertinent.

§. CXLII.

Colore ſubfulua ſint oportet; ſi vero candida occurrunt, bilem retineri, ſi ex viridi palleant, (ὑποχλωρα) bilem cum acido leuiter confligtare, ſi flaua admodum, bilis flauae abundantiam miſceri, ſi liuida, bilem totam corruptam, rubra, fermentationem tantam, vt ſanguinis ſimul aliquid perrumpat, aut eroſionem arteriolarum; nigra denique itidem

dem bilem grauiter corruptam, aut ſanguinem alicubi diu latuiſſe, qui nunc ſit per receſſum eiectus, innoteſcit.

§. CXLIII.

Varia autem, hoc eſt, millioſa, cruenta, porracea, nigra, et ſtrigmentoſa, modo ſimul inter ſe mixta, modo per vices reddita, *prodeuntia*, fermentationem in humoribus omnibus dominari, et naturam de ſolio deiectam, nec ſibi amplius conſtantem denunciant. Omnia iſthaec autem recte damnauit HIPPOCR. in admirando *opere Prognoſticorum.*

§. CXLIV.

Inſpiciendum etiam an *chyloſus ſit fluxus*, qui naturalem in inteſtinis fermentationem laeſam, vel obſtructionem glandularum lactearum indicare ſolet. Lienteriam vocant. Si chylus non ſatis elaboratus eſt, et partes alimenti crudae et intactae ſimul ſecedunt, cuius rei exempla vidimus, tum caeliacam indicant, κοιλιη enim ventriculus eſt: vnde perperam cum lienteria hanc confundunt auctores.

§. CXLV.

Si ſanguis loturae carnium ſimilis profluit, hepar laborare putatur: poteſt tamen etiam ex inteſtinis tenuibus prouenire, ſed magis ſincerus tunc eſt.

§. CLXVI.

Odor peſſimus, cadaueroſus, et ſupra modum foetidus, viſcus putruiſſe, vel prorſus corruptum eſſe, vel ſanguinem ipſum putridum, vel ſphacelatum aliquid in corpore prodit.

§. CXLVII.

Si ſtrideant exeuntia, et ſpumoſum ſit, quod redditur, et valde aquoſum, et glutinoſum, fermentationem ſubeſſe, exiſtimandum eſt.

§. CXLVIII.

VOMITV reiecta, bilem pituitae permixtam, et ſeri multum habere debent, et tunc recte ſe habere naturam, et ſibi conſtare exiſtimandum. At ſi porracea, liuida, nigra, vel hauſtum Venenum, vel in corpore natura perſimile quid, ſignificare ſolent.

§. CXLIX.

§. CXLIX.

Si vero ſtercus oleant, referantque, motum periſtalticum inuerſum eſſe, et *Iliacam pasſionem* certum eſt.

§. CL.

PVS in vlceribus et vulneribus initio tenue, poſtea vero iuſta conſiſtentia praeditum, album, aequale, laeue, et quam minime graueolens, optimum: Tenue vero crudum, et non coaliturum ſignificat, ſed vlcus eſſe mali moris; quae vulneris aut vlceris ſtatum pesſimum produnt.

§. CLI.

At in pulmonum affectibus coctum pus, phthiſin, *ſanguini permixtum* peripeumoniam vel pleuritidem, ſi tenue ſit et ſeroſum, in peripneumonia initio bonum, poſt ſeptimum, malum, verum et haec ad ſpecialem pathologiam pertinent.

CAP. X.

ΑΝΑΚΕΦΑΛΕΩΣΙΣ.

§. I.

Atque ita quidem diagnoſtica ſigna, et quae de iis vniuerſim praecipienda erant, tum et quae de ſingulis ſeparatim, ſumus proſecuti. Quibus haec finiremus, niſi haberemus, quae de vſu atque aduerſione animi ad ea, morborumque inde coniectura facienda adhuc moneremus, quo in obſcurisſima re minus falli contingat. Sciendum itaque, non omnia haec ſigna eſſe vnius generis, neque ex iisdem fontibus in qualibet dubitatione petenda eſſe. Ideoque non modo problemata varia a nobis eſſe propoſita, de quibus quaeſtio inſtituatur, ſed etiam fontes indicatos, e quibus, quae iisdem ſoluendis maxime idonea ſint, peti posſint. Problemata ſcilicet, et quaeſtiones, quae hic agi posſent, erant praecipua haec: I.) Quaenam pars corporis afficiatur. II.) Quo morbo laboret. III.) Quibus ex cauſis. IV.) Quantus morbus ſit. IV.) Quanta cauſa.

§. II.

Horum autem quaedam ex ſe manifeſtari dictum eſt, quaedam vero abſcondita eſſe, et arte inueſtiganda. Quae ex ſe maifeſtantur, ea ſunt, quae ſtatim ſenſibus deprehenduntur: qualia ſunt vulnera, tumores, vlcera, contuſiones, eroſiones, fracturae, ambuſta, fiſtulae, carcino mata, inflammationes, abſceſſus, et ſi quae ſunt eius generis alia externa, aut his proxima. Haec nullis ſignis opus habent. At morbi omnes internorum viſcerum, eorumque cauſae, humores, ſpiritus, laeſioneſque, cum ſciri non poſſint, aliquo alio, quo et ipſa et conditiones eorum aperta fiant, habent opus, quae σημεια ſigna medicis appellantur.

§. III.

Ea vero ſigna non eiiusdem eſſe certitudinis, itidem in prioribus dictum eſt, quaedam enim ſunt certisſima, et pari cum demonſtratiuis paſſu ambulant, nec vnquam fallunt; qualia ſunt, quae ex ipſis rerum intimioribus profluunt, et perpetua, certaque lege diriguntur, aut ratiocinio firmisſimo inde ducuntur. Quaedam fallunt quidem, at raro admodum, qualia ſunt, quae a tot ſeculis perenni obſeruatione ſunt notata, antequam ratio ad cauſas eorum penetraret; vbi, cum pene innumerabiles res eodem modo euenirent, iisdem ſignis antegresſis, eadem ſaepe animaduertendo atque notando ars tandem effecta eſt. Et haec iſtis proxima ſunt, tertium genus ſignorum magis incertum, nec niſi aliquando, aut cum aliis vna, quaeſito reſpondet, vt ſaepe multa ſignorum congeries ad morbi conditionem cognoſcendam requiratur: vt cum in pleuritide, et febris, et tusſis, et ſputum cruentum, et pulſus durus ac renitens, et punctura lateris concurrit. Ex his enim ſimul omnibus demum pleuritidem cognoſcas, iis autem ſingulis apparentibus, nullo modo. At multa ſunt, quae et ſingula, vel ſignificent, vel diſcernant morbum: vt cum BAGLIVVS fluorem album a Gonorrhaea Venerea vno hoc dignoſci iubet, quod illa menſibus fluentibus ceſſet, haec non item. (a)

§. IV.

Sed ſenſus, quibus cognoſcuntur morbi, potisſimum tres ſunt, Viſus, auditus, (cum ab adſtantibus quid narratur,) et tactus: reliqui tantum

(a) Prax. L. II. c, VIII, 3.

tum conditiones cauſarum aperiunt. Vt guſtus et odor: verum eorum potius, quae excernuntur, quam ipſorum affectuum. Verum et latentium omne cognitionis principium ex ſenſibus eſt, ſed ita, vt ex iis, quae non patent, colligantur: quo verbo lubentius vtor, quam coniecturae. Eſt enim nullo modo coniectura habenda, quae per iuſtam argumentationem percipitur. Huc ſpectat HIPPOCRATIS locus. (b) *Τον λογισμον εκ περιπτωσεως ποιειν την αρχην, και την καταφορην εκ των φαινομενων μεθοδευειν. Medicum ex iis, quae accidunt, ratiocinationum initium ducere, et ex iis, quae apparent, perſequi* rationem addens: *εκ γαρ των εναργεως επιτελεομενων ην την αρχην ποιησηται, εν διανοιας δυναμει υπαρχων ευρισκεται. Si enim ex his, quae palam perficiuntur, initium fecerit, in mentis poteſtate eſſe comperitur.* Hoc eſt, ſi ex phoenomenis ducat ratiocinationis initium, in poteſtate ingenii erit, conſequi veritatem. Lege et ſequentia. Haec ſane ſemper HIPPOCRATIS argumentatio fuit, vt ab apparentibus ad latentia colligeret.

§. IV.

Verum haec collectio vt rite inſtituatur, argumentandi praecepta, et conditiones argumentorum nota eſſe oportet: quem in finem, quae praedicata conueniant, et quo modo, ſupra tradidimus: Nempe nonnulla vni competere, alia pluribus, eaque iterum vel vni et ſemper, vel vni quidem, non tamen ſemper, et quid ex ſingulis colligi posſit, oſtendimus, quod a nemine antea eſt factum. Neque enim omnium morborum habentur ſigna certisſima, qualia ſunt, quae vni ſoli competunt. Quae vbi comparent, tunc morbum adeſſe, certo colligitur, vt in Αμαυρωσει claritudo oculorum. De his auditur BAGLIVI exoptatio: *Vtinam ſinguli morbi duo aut tria ſigna infallibilia haberent*, ſed reſpondet ipſi GALENVS. (c) *Ne requiras, aiens, in omni affectu eiusmodi ſigna, qualia in pleuritide, vel dyſenteria apparent, quippe ſcientifica eſt morborum huius generis cognitio, certis videlicet definitisque ſignis comparata, cum eorum, qui proxime ſunt dicti, coniecturalis (ϛοχαϛικη) ſit cognitio.* In his congerendis ergo medicis elaborandum foret. Quodſi vni quidem, ſed non ſemper competunt, ſigna ab abſentia eius ad abſentiam morbi tuto etiam argumentari licet. Quae autem multis communia ſunt, *ea quidem ſingula ad certo colligendum*, vel de praeſentia vel abſentia morbi

 inutilia

(b) Cap. de Praecept. (c) *Meth. med. XII. cap. 7.*

inutilia ſunt, ſuſpicionem tamen faciunt, adeſſe morbum, quotiescunque eorum aliqua apparent. Quo ergo *αμετάπτωτος* incedas, coniungenda tunc alia ſunt, quae ſimul cum iſtis tandem certi quid inferant, et ſimul ſumta praeſtent, quod ſingula non poſſunt.

§. V.

Notandum porro eſt, ſigna, quae e cauſis vel ex effectibus procedunt, eſſe rebus maxime propria, adeoque vt plurimum certisſima. Innituntur enim axiomati philoſophico certisſimo, *qualis cauſa, talis effectus*, et *qualis effectus, talis cauſa*, quod etiam antea monuimus. At in corporibus, eorumque actionibus plerumque effectus rerum ex ipſa eorum natura et eſſentia procedunt, vnde eſt eorum certitudo. Quin et excreta, cum ſint effectus certarum rerum, vti et ipſae etiam qualitates, eadem eorum vis eſt modo, vnde habeant, quod ſint talia, ſatis conſtet.

§. VI.

Maximi autem momenti ad ſigna morborum inuenienda eſt, ſi quis ideam cuiuslibet morbi ex ſpeciali, quod dicitur pathologia ſibi comparauerit. Eſt enim haec noſtra *σημειωτικη* nil, niſi pathologia inuerſa, vbi medicus, ex ſymptomatibus et ſignis ad morbum et cauſas retrogreditur. Si quis ergo iſta, quo ordine ac ſerie adueniant, vel ſuperueniant morbo, non ignorauerit, facile ea apparentia agnoſcet, et morbum, cuius ſunt propria, adeſſe, et eſſe hunc, non alium, inde colliget. Hoc autem eſſe viri et probe inſtituti, et in arte diligenter exercitati, etiam GALENVS inculcat. *Στοχαζεσθαι τεχνικως*, ait, *ανδρος εστιν εκμεμαθηκοτως τας τε δυναμεις ἁπαντων των κατα την τεχνην και μεμνημενου, και φιλοπονως επι των εργων τετριμμενου. Artificioſa coniectura vti viri eſt, qui potentias et vires omnium in arte didicerit, memoriae mandauerit, et diligentia omni adhibita, ſeſe in operibus artis exercuerit.*

§. VII.

Vt autem haec ex parte Medici, ſi ignorentur, aut non obſeruentur probe, morbi diagnoſin inpediunt; ſic et in aegro culpa eſſe poteſt, ſi vel moroſior non ſatis aperit morbum, vel eum ſtudio occulcat. Quin duplex hoc genus hominum medicis inponere ſolet: morbum ſimulans, et eundem disſimulens. Hoc *primum* genus depingit

pingit Celſus: *propria culpa multos perire*, aſſerens, *praeſertim mulieres, dum pudore perfuſae ſecretiores corporis affectiones reuelare non audent.* Quod idem et viris nonnunquam euenit, qui foeda corporis mala, contracta forte ſcelere, aut illi proxima animi intemperantia aliis nominibus obuelant, ſperantes hoc pacto vel vniuerſali medicina euadere, vel caſu, dum medicus ſimilibus, et inter ſe conuenientibus malis remedia quaerit, ea temperari: qui magno ſuo malo non ſe medicos magis, quam ſe ipſos fefelliſſe, poſtea experiuntur. Hos disſimulatores deprehendere eſt facile, ſi quis vitam ante actam paulo magis ſollicite inquirat, et cuius ſuſpicio eſt morbi naturam atque ſymptomata in memoria habeat: ſimulantes autem pulſus et vrina praecipue produnt, tum et actionum integritas. Legi de his poteſt celeberrimus BOHNIVS. (d) Memorabile eſt, quod refert *de la* CHAVIERE, (e) Gallus, qui Siringotomum, quo Regis LVDOVICI Magni fiſtulae ani medicati ſunt, deſcripſit, et modum tradidit: Antequam id factum, vix vlli in Gallia habitantes eo morbo curari poſtulaſſe. Simulac vero Regem ea laboraſſe innotesceret, magnus ipſorum numerus in plerisque regni ciuitatibus apparuerit. Tanta gentis eſt ſtultitia, et caecus in Regem ſuum amor, vt et vitia eius auctoritate, nobilitatem apud eos adipiscentur, nihilque amplius turpe, aut ignominioſum, quod ſacratisſima eius perſona conſecratum, iis videtur.

(d) c. l. *de Off. med. cap. 6.* et 7. (e) *Libr. Gallice* edito, *de la fiſtule de l'Anus.*

ΣΗΜΕΙΩΤΙΚΗ

SEV

ALTERIVS PATHOLOGIAE PARTIS

SECT. II.

DE PROGNOSI MORBORVM

CAP. I.

INTRODVCTIO.

§. I.

Prognoſis Medica eſt Facultas praeuidendi et praedicendi, quae in morbis futura ſint. Cuius rei eſt cum ſumma iucunditas, tum vtilitas maxima. Quid enim praeſtantius, quam medicum, tanquam Deum quendam, non praeſentia modo, ſed et, quae futura ſint, praedicere: et quid de aegro ſperari poſſit, quis timor ſubſit indicare? Quin et ad hoc prodeſt praecognitio, vt ab iis, in quibus inutilem fore curandi laborem praeuidet, abſtineat, et de quibus ſpes ſupereſt, de iis praenuncians, res aegrotantium rectius intelligere videatur, adeoque maiorem de ſe fiduciam apud aegrum excitet. Incomparabilis eſt locus apud HIPPOCRATEM ea de re, ſed prolixior, quam vt exſcribi, totusque inſeri hic poſſit: itaque lectorem potius ad ipſum fontem amandamus, vnde petat. Eſt autem initio prognoſticorum.

§. II.

Ceterum et morbi ipſi, qui futuri ſint, praedicere, pulchrum eſt: quod et aliqui ſuſcipiunt in ſe, ſed infelici plerumque ſucceſſu. Pauci enim ſunt HIPPOCRATES, qui tertio Aph. libro id eſt auſus, idque ex mutationibus temporum ventorumque. Quae tamen nec ipſa ea ſunt certitudine, vt non ſaepenumero aliter eueniant;

et

et pro regionum et climatum, in quibus viuas, conditione mutentur. Etenim pro montium etiam valliumue ſitu, ventorum indole, regionibus illis propria, mariumque poſitu, et vel liberiore per planitiem, vel praecluſo aeris fluxu mala inducuntur, multumque a Graeciae, Aſiaeque conditionibus differt Europa, ſeptentrionalis maxime. Solius auſtri exemplo licet id euincere, qui illic, a mari perflans, humidus putridusque, corpora mire grauat; in transalpinis vero Germaniae regionibus plerisque, et ſeptentrionalibus eius locis ſerenus et ſaluberrimus eſt. Haec ergo vera eſſe in vniuerſum non poſſunt, ſed per ſingulos terrarum tractus ſeorſim expendenda ſunt.

§. III.

Praeterea, cum morbi quidam epidemici ſint, alii ſporadici, qui ſingulis inmineant, praeſagire audebit nemo, niſi ſingulorum tum conſtitutionem naturalem, tum et vitae genus, et maxime diaetam perſpecta ſatis habeat: Epidemicos vero, cum particulis plane heteroclitis, aëris fluido innatantibus, ortum debeant, longe difficilior diuinatio eſt, quarum neque materia, neque compoſitio ſatis cuiquam nota, nullis quippe ſenſibus cognoſcenda: manifeſtum ergo eſt, earum efficaciam, et in corpora poteſtatem pariter occultam eſſe: tantoque id magis, quod hae nullis naturae legibus procreentur, ſed caſu fiant, prout exhalationes varii generis, ex terra, maribus, corporibus confluunt, aut ventis congregantur, aut ex prauis, putrilaginoſis, cadaueroſis, et infinitis modis corruptis in aëre concurrunt, ſeque amplectuntur, item prout calida, frigidaue, vel humida ſiccaue temperies ea excoquit, et in varias formas transfundit. Quibus omnibus expenſis, qui morbi euenturi ſint, praeſcire, protenus ἐκ τῶν ἀδυνατῶν eſſe, facile perſpicitur.

§. IV.

Et cum tales etiam ſint ipſi peſtilentes halitus, ne hunc quidem morbum praedici poſſe medici induſtria apparet, tanto minus, quod Diuinitus nonnunquam inmitti eum, credi par ſit. Etiamſi enim multa de aliis morbis, malignis maxime, huius praecurſoribus, et ex quibus tandem generetur, prodita leguntur, febribus, dyſenteriis, variolis, morbis caſtrenſibus, fame, et nuper etiam in Liuonia id factum eſſe, relatum, atque annotatum ſit, nempe a biennio tales praeiuiſſe, primo anno mitiores, altero grauiores, maximeque lethales, denique

ipſam

ipſam peſtem conſecutam eſſe, certum tamen omnino videtur, in hac corruptionem peculiarem, ipſique propriam ſubeſſe, ex nullis aliis morboſis conſtantem. Et ſi negari nolim, varios illos gradus ſe conſequi nonnunquam poſſe, et illis in has tandem nouis accesſionibus, digeſtionibusque verti, et quaſi exaltari, attamen et ſine praeeuntibus iſtis poſſe oriri, omnino perſuaſus ſum.

§. V.

Fieri quidem id, et epidemicos hos morbos poſſe praeſciri, ex obſeruationibus, per plurimos annos continuatis, ſuſpicatus eſt Clarisſimus SYDENHAMIVS. Sperabat enim certo annorum ambitu eosdem ſerie certa recurſuros: quo conſilio Librum ſuum *de Morbis acutis* etiam videtur conſcripſiſſe. Sed fefellit eum illa ſpes, neque vllum inde fructum nobis peperit, niſi quod varietatem indolis epidemicorum innumeram inde diſcere liceat. Poterat autem, vanam illam ſpem futuram, facile perſpexiſſe, ſi generationis et corruptionis leges ex vera philoſophia rectius habuiſſet perſpectas.

§. VI.

Sed ex ſporadicis quidam, qui manifeſtis aëris temperiebus generari ſolent, poſſunt nonnunquam epidemicam quaſi laruam induere, et populariter graſſari: eoque etiam praeſciri, vt multi ex HIPPOCRATICIS illis, *Libr. III, Aph.* recenſiti: nominatim tuſſes, raucedines, rheumatismi et bruma familiariter iis, qui per iter, aliamue occaſionem quamlibet moram in frigido intenſe aëre faciunt, non bene veſtibus muniti, peripneumoniae, pleuritides. Verum et hi paucis contingunt, atque iis fere, qui ad iſta ex diſpoſitione pulmonis prae ceteris ſunt proni: Vti etiam phthiſi obnoxii illis temporibus a tuſſi ſibi carere, vti aeſtate a ſputo ſanguinis omnino debent. Sunt qui proprio ſenſu ſuos morbos, praeſertim per interualla recurrentes ſibi praedicere poſſunt rectius, quam medici. Vt Podagra etc.

§. VII.

Itaque magna pars huius morbos praedicendi induſtriae illis abſoluitur, quae ſingulis ſua fata declarant: iis nimirum, qui in praecepta diaetetica enormiter peccare conſueti ſunt, ſanguinemque corrumpunt, et naturae robur diſſoluunt. Euenit etiam ex eo, vt ſaepe facillimum

facillimum ſit, cum iam morbi ſe aperiunt, prodromique, vel initia eorum apparent, Hydropem et cachexiam praedicere gulonibus, atque iis, qui dies noctesque conſumunt, Nicotianae fumo ſuccos et ſanguinem, vt ſic loquar, perfumando, qui, cum plerumque appetitum deſtruant, parum comedunt, bibunt multum, dum ſtomachum liquidis perfundunt affatim, fibras eius, earumque tonum laxant et emolliunt, itaque cruditates cumulant, augent obſtructiones, et vitalem ignem debilitant. Quo pertinet etiam haereditaria procliuitas, ex viscerum ſimilitudine, quae filiis cum parentibus eadem contingit. Ceterum ſi quis tamen, quibus anni temporibus, quibusue tempeſtatum generibus quid cuique cauendum, et qualia corpora, vel tuta, vel morbis opportuna ſint, quodue valetudinis genus cuique timendum, ſcire deſiderat, nihil vtilius, quam poſt HIPPOCRATEM adire CELSVM, *qui libro II.* idem praeclare docet.

§. VIII.

Veruntamen ab aegris non, qui morbi futuri ſint, ſed quae iam aegrotantibus ſibi immineant fata, ſcire deſiderant. Quod etiam Medico praecognoſcere et percommodum eſt, et quam maxime glorioſum. Auctoritatem enim ſibi et exiſtimationem conciliat, vt adſtantes aegrumque non raro in ſummam admirationem ſe adduxiſſe, Galenus aſſerit. Fiduciam etiam in eo parit, quae tam eſt ad curationem feliciter peragendam neceſſaria, vt vel optima medicamenta, ſi nulla ſit, nihil iuuent, contra vel leuia, maximeque vulgaria, ſi confidentem nactus ſis aegrum, ad miraculum efficacia deprehendantur. Credibile enim, non poſſe, quid futurum ſit, praedicere, niſi qui praeſentium omnia habeat perſpecta: qui vero habeat, vel praeuertere, vel auertere facile praeuiſa tela, quae timentur. Ne dicam nunc, a calumniis malignorum tutum facillime ſe praeſtiturum, qui praedixerit, ita euenturum eſſe. Verum et fortiter et intrepide ſemper aget, qui nouit, quid expectandum ſit, et vt vno verbo dicam: Medicus praedicit aliis, praecognoſcit ſibi, et aliis fiduciam, ſibi laudem praedicendo parat.

CAP. II.

DE IIS, QVAE PRAEDICI POSSINT.

§. I.

Non autem a medico aut poſtulandum, aut expectandum, vt omnia praeuideat. De Chinenſibus referunt ſcriptores in itinerariis, eos, tacto pulſu, poſtquam diu ſatis aegro asſiderunt taciti, rupto tandem ſilentio, non praeſentem modo morbi ſtatum, ſed et quae praeceſſerint, omnia a principio, adeoque et originem morbi, et cauſas quam exactisſime enarrare, eo, quo geſta ſint, ordine. (a) Quod profecto fabulam eſſe, nemo dubitabit, qui pulſum cordis praeſentis quidem naturae vires indicare, nouit, ſed de praeteritis nihil enarrare poſſe. Quin et de cordis robore teſtari quidem optime, de reliquis autem visceribus nullum teſtimonium perhibere, neque de liquoribus, neque de ſpiritibus, praeter vnam horum perturbationem, animique anxietatem aut affectus alios nonnullos. Vnde et ſapientes illi Chinenſium, vbi ad curationem ventum eſt, nihil eximii, aut tanta expectatione dignum praeſtare dicuntur.

§. II.

Eodem ſcilicet ſucceſſu, quo Vromantae noſtrae eius generis praeteritorum et praeſentium multa aperiunt, quos tamen impoſtores eſſe, tot auctores vnanimi conſenſu aſſerunt, et damnant, et poſtremo etiam SENNERTVS, qui hoc ipſo loco poſt plures alios eruditos viros perdocte et ſolide aduerſum eos disputat, omnino legendus. Tanta tamen hominum veſania eſt, vt etiam poſt tot egregias disputationes contra eos ex imperitorum animis eximi, eradicarique opinio ſemel recepta non posſit. Nouimus ſane et hodie non paucos, qui an grauida mulier, et qualem geſtet foetum, aliaque longe difficiliora praedicere ſe poſſe iactitant. Sunt autem eiusmodi impoſtores maxime in magnis vrbibus, vbi vulgus numerum facit, aliis longe habiti praeſtantiores, quia illum, decipi cupientem, decipiunt, idque adeo manifeſte, vt et ea, quae ad moralia pertinent, et actiones humanas, enarrare audeant. Vt nuper Hamburgi quidam, qui ex vrina praedicauit,

(a) Has artes nobis deſcripſit CLEYERVS, *Libro de Medicina Sinenſium*.

uit, foeminae eam eſſe, quae cum marito altercata pridie eius diei, poſt verba in verbera erumpente iurgio, ex vehementi animi commotione aegrotaret. Verum autem hoc erat. An ergo ex cauſis naturalibus ſciri haec posſint, an per callidas artes comperta ipſi fuerint, an denique magicis artibus Daemonumque reuelationibus cognouerit, aliis diiudicandum relinquo. Nam Magiam iam olim quoque ſe immiscuiſſe his rebus, PLINIVS *Lib. XXX. c. 1.* aliique multi oſtenderunt dudum. Non ergo mirum, ſi nunc quoque eam plane non deſerit. Quod ſi tamen quis dubitat, (vt ſolent hodie omnia iſta ludibrio eſſe,) adeat HIPPOCRATIS *προῤῥητικων* Lib. II. vbi ſtatim initio dicitur, per multas praedictiones medicorum referri praeclaras, et admiratione dignas, quibus *επι πασι τουτοισι τε, καὶ τοισι πρώτεροισι χρονοισι προφητιζειν, καὶ ταυτα αληθευειν, de omnibus, quae inſtent, et retro actis temporibus euenerunt, vaticinentur et vera efferant. Quin et, ſi quid in cibo ſit praetermiſſum, aut mutatum, aut potu pleniore vtantur aegri, aut deambulationem intermittant, aut quid circa res venereas agitent, horum omnium nihil medicos iſtos fugiat, ne quidem ſi quis perpuſillum medico non paruerit, cuius exactam cognitionem non habeant.* Quae profecto in iſtud hominum genus ita conueniunt, vt non ouum ouo ſit magis ſimile; niſi quod hi vnde praedixerint, non additum eſt, noſtrates autem ex vrina ſe ſcire, iactitent. Verum his ſtatim ſubiicit HIPPOCRATES: *Verum ego talis vates eſſe nolo.* Cui merito ſubſcribimus, cum omnibus illis, quibus vel ſacrae religionis vel medicae dignitatis aliqua cura eſt.

§. III.

Ceterum multa etiam caſu, alia vafritie, et calliditate, deprehendi, non quidem ignoro, ſed et hoc infra dignitatem medici eſſe puto: Nec indulgendum eſſe ſimplicitati quorundam, qui id poſtulent fieri; quin rectum SENNERTI iudicium videtur, aientis: Ab inſtituto hoc verum Medicum eſſe quam alienisſimum. Quam enim facile talis in iſtis coniecturis ſuis poteſt falli, aut ipſe circumueniri? *et tum quid aliud agit, quam vt artem proſtituat?* Legi meretur hic quoque FORESTVS(b), et IOH. BOHNIVS.

§. IV.

Quae autem vere praeſciri poſſunt, illa ſunt, quae natura medicis, tanquam miniſtris ſuis reuelare voluit: ea puta, quae ex perpetuis

(b) *Libris integris tribus, de incerto et fallaci vrinarum iudicio.*

tuis illis ac vniuerſalibus legibus, quibus adſtricta eſt, etiam in morbis agit. Ea enim praeter naturae humanae leges quidem fiunt, hominique pernicioſa ſunt, attamen recte fiunt ad Naturae vniuerſalis praeſcripta: prout id docuimus *Lib. de Natura*, dudum edito. Vtramque enim Medicum noſſe oportet, hominis quidem prae ceteris exactisſime, Vniuerſalem vero illa parte, quae motus leges communes complectitur.

§. V.

Petenda autem haec ſcientia eſt, non ſolum ex naturalis hiſtoriae ſcriptoribus, ſed etiam ex praeternaturalis, hoc eſt obſeruationibus medicis, qui nobis morborum indolem literis conſignarunt, indeque illae leges, inſtituta ratiocinatione, eruendae ſunt. Eſt enim haec ex ſingularibus quidem collecta, et exemplis, vt omnis hiſtoria, attamen ex his ipſis, ratione et cauſa reperta, ſaepiusque notata, tandem fiunt illae vniuerſales propoſitiones per inductionem, e quibus, tanquam ex certis regulis, pronunciandum eſt.

§. VI.

Et haec in vniuerſum indicaſſe ſufficiat: nunc ad rem propius accedamus, ſed cum multa adeo de morbis praeſciri posſint, non tamen omnia eiusdem ſint dignitatis aut vtilitatis, itaque non omnia, ſed ea potisſimum, quae vel dirigere nos in curatione, vel admonere de re aliqua, neceſſaria posſint, vbi curationem ipſam differre et ſuſpendere conſultum fuerit, (qualia ſunt inſtantis criſeos,) potisſimum proſequamur. Tria igitur praedictionum genera medicis prae ceteris commemorantur. *1.) Salutis aut mortis, 2.) longitudinis aut breuitatis, 3.) modi euentus.* Quam diſtinctionem nos docuit ipſe GALENVS multa experientia eorum necesſitatem cognoſcens, *IV. de praeſagit. Ex Pulſu.* (d) *Omnia*, inquit, *nunc ſummatim neceſſe eſt percurramus. Vnum quidem eſt, et primum, quo erumpet morbus, ad exitiumne, an ad ſalutem. Alterum, quo potisſimum hoc tempore accidet. Tertium iam, quinam modus erit mortis et ſalutis.*

§. VII.

Et ſunt quidem iſta vtique praecipua, et quae nouiſſe, plurimum expedit. Addi tamen poſſent fortasſis alia etiam, in morbi decurſu ſubinde occurrentia, e quibus ſunt: quaenam ſymptomata in quolibet

(c) *de Officio Med.* c. 8. (d) col. m. 464. in fine.

bet morbo expectanda ſint, et quando, et quam periculoſa habenda, quidue ante ſtatum adhuc, quid poſtea metuendum ſit, colligatur. Verum haec pleraque morbis ſingulis peculiaria accidunt, adeoque ad ſpecialem Pathologiam pertinent, ibique ſunt referenda.

§. VIII.

Primum itaque medici officium eſt, vbi ad aegrotum accedit, morbum ipſum vt exploret, eo cognito deinde, vt perſpiciat, an ſanabilis, nec ne: de hoc quoque, vbi conſtat, an certo id euenturum ſit, an vero in ambiguo res ſit futura. Id quod euenire ſolet, vel ex ipſa morbi natura, vel aegri quadam conſtitutione, aut ratione temporis, regionis, aliarumque circumſtantiarum. Ita capitis vulnera Lutetiae Pariſiorum longe periculoſiora ſunt, quam in meridionalioribus Galliae locis, trepanatio in Germania ſemper periculoſa, vt, niſi robuſta ſit admodum natura aegri, etiam recte procedentibus omnibus, tamen praedicere non licet, aegrum euaſurum eſſe. Vtcunque vero res ſe habeat, quantum temporis ad curationem ipſi detur, et posſitne homo ſupereſſe tamdiu, vt vincat natura, tertio loco exquirendum eſt: nam ex hoc curationis rationem inſtituere oportet. *Neque enim vlla alia ſpes in magnis malis eſt, quam vt inpetum morbi trahendo, aliquis effugiat, porrigaturque in id tempus, quod curationi locum praeſtat.* CELSI verba ſunt. (e) Vel ſi certo moriturus ſit homo, propinquos monere, ne quid praeter ſpem eueniat. Iterim CELSVS (f) *Eſt prudentis hominis primum, eum, qui ſeruari non poteſt, non attingere, deinde, vbi grauis metus ſine certa tamen deſperatione eſt, indicare neceſſariis, periclitantis in difficili ſpem eſſe, ne, ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe, vel feſelliſſe videatur.* Si vero extra periculum aeger poſitus eſt, tum vero, num diuturnus et difficilis ſit morbus futurus, an vero breui defungi posſit aeger, et faciles habiturus ſit acceſſus, dicere licet. Eſt vero ea artis felicitas atque induſtria, vt aliquando et diem et propemodum horam mortis praenunciare liceat, praeſertim in acutis, ſi quis prone ad omnia animum attendat; nam reliquis ſignis praecedentibus pulſus in ea re raro fallit, imo aſſerere poſſum, me in exitio praenunciando vix vnquam feſelliſſe: ſic tamen, ſi reliquarum circumſtantiarum ac morbi conditionum nunquam immemor fuerim: caute enim procedendum eſſe in tam lubrica via, quilibet ex ſe intelligit.

(e) *Lib. II. cap. 5.* (f) *Lib. V.*

§. IX.

Verum, vt haec omnia certo eueniunt, multa requiri etiam externa notandum eſt: Non ſolum ſcilicet aegrotum, ſed et adſtantes, et τα εξοθεν ſua officia facere oportet. Sic vt vel minimum in diaeta peccatum, aut conturbatio ſpiritus in aegro, vel anni tempeſtates, aliaque circa eum grauiora, imo leuiora quoque, quae forte accidunt, euertere prognoſin, naturam cum morbo luctantem perturbare, et in opere impedire poſſint, quo facto, ſpes bona protenus decollat. Haec autem ſi accidant, in computum venire, et medici iudicium fallax excuſare aequum eſt. Adſint in promtu, vbi haec forte contingunt, quibus recreatur deficiens virium robur: ne quid triſte, aut moleſtum, ad aures aegri perueniat, quod iram concitet, quod animum commoueat; In ſudoribus abſtergendis ne deſint panni mundi, calidique, et huius generis alia, quorum et GALENVS meminit. (g) Quae igitur ita inopinata ſuperueniant, ad caſum fortuitum pertinentia, horum nihil medicus praenoſcit, vnde nec futuram inde offenſam coniicere poteſt, nec praedictioni ſecundum morbi rationem factae illa praeiudicare poterunt, debentque. Vide de his omnibus prolixius diſſerentem BRVNONEM SEIDELIVM. (h)

§. X.

Quandoque et morbi decurſum, qualis futurus ſit, et quae ſint futura ſymptomata, enarrare licet: quoties ſcilicet hiſtoria morbi percognita eſt; ex pathologia, quae ſpeciatim morbum deſcribit: qualem ARETAEVS ex Graecis; ex Latinis vero ac noſtris THEODORVS CORBEIVS, (i) et IODOCVS LOMMIVS, (k) aliique exorſi ſunt. Non poſſum autem, quin ſupra, quam dici poteſt, et in exemplar commendem, hic Ill. CONRINGII, et HENR. MEIBOMII Nepotis *diſſertationes* ſingulares quam plurimas, ſparſim ac ſeorſim editas. Eſt enim eruditiſſimis illis viris hoc proprium, vt quae eueniant in morbis, ſingulari induſtria per omnia tempora eius ſoleant quam accuratiſſime enarrare.

§. XI.

Vlterius autem, ſiue moriturus, ſeu euaſurus ſit aeger, quisnam et qualis euentus futurus ſit, praeuidere, medici eſt ſolertis: An ſcilicet

(g) de Dieb. decretoriis II. (h) de morb. incur. p. m. 139. (i) *Pathol.* (k) *Obſeruat. med.*

licet pleniſſime reſtituetur, an vero detrimento aliquo vitam redimet, aut quae alia mala diſcedens poſt ſe relicturus ſit, praeſciat, vt ſi poſſit, eas praeueniat, ſi non poſſit, exponat rem propinquis et familiaribus, ne forte culpa in eum poſtea transferatur, aut male curatum dicant.

§. XII.

Mors etiam ipſa, eiusque genus quandoque praedici poteſt. Illa enim vel placide venit, ac ſuſpenſo pede, vel cum impetu, et grauibus ſatellitibus ſtipata, ac veluti cum tumultu: idque ex ipſius morbi genere accidit, aut ex conditione aegri. Quicunque diuturno morbo exhauſtis viribus, moriuntur, ſi praeſertim ſit morbus, qui ſanguinem ſpiritusque exhaurit, leni morte oppetunt, cuius Phtiſici ſunt ingens exemplum: Quos vero in aetatis vigore ſubito aggreditur morbus, et viribus nondum fractis ſuperat, iis grauis eſt, multa cum lucta et renitentibus naturae facultatibus ſubeunda. Hinc febres continuae, malignae praeſertim, grauiſſime incumbunt iuuenibus, vigore corporis pollentibus. Ex his ergo probe perpenſis mortis genus non raro in promptu eſt.

§. XIII.

Perinde vero, ſi euaſurus eſt aeger, id etiam, qua ratione futurum ſit, ſciri nonnunquam poteſt. Quippe vel criſis futura eſt, vt in febribus continuis acutis, aut ſine criſi, cito tamen et quaſi momento morbus vincitur: quod mihi ipſi febre maligna laboranti eueniſſe, nullo alio indicio, quam pulſu protenus ad naturalem ſtatum reuertente, iam ſupra retuli, aut etiam, quod tertium eſt, ex vniuerſo corpore in locum aliquem peculiarem morbus ſubito transfertur, eamque partem inutilem, mancam, vitioſam reddit, quod vocant μετάστασιν: Si enim criſin, quam molitur, perfectam natura nequit perficere, nec e corpore materiam peccantem penitus eliminare, aliquo deponit intra corpus; vt cataractam depoſiturus, eius cauſam per anguſtum, quod acu fecit, foramen dum nequit extrahere, ſeponit ad latus. Verum μετάστασιν praedicere medicus non poteſt: Sed et ſubitam mutationem, ſecundo loco enarratam, per ſolam vrinae ſubſidentiam et pulſum, poſtquam facta iam eſt, demum agnoſcitur, praedici autem nullo poteſt modo: itaque ad ſolam criſin hic loci praedictio reſtringitur.

§. XIV.

Si autem ſenſim diſſoluitur, vel omnino id fit, et plenarie, vel ita, vt reliquias tamen morbus poſt ſe relinquat, alias quidem perpetuas: vt ſi poſt epilepſiam memoria, aut iudicium hebes maneat; alias vero tales, quae ſenſim tollantur, vt cicatrices variolarum, quod noſtrates vocant: *Die Narben wachſen wieder aus;* quod tamen de profundis et magnis ſperandum non eſt: nec ceterae penitus abolentur, vt nihil earum appareat. Sic alii claudi, alii caeci, alii ſurdi euadunt. Puerperis ſaepe amauroſis ſuperuenit, ex vehementiori niſu.

§. XV.

Soluitur etiam aliquando morbus, ſic tamen, vt recurrat. Documento ſunt intermittentes febres. At hae certi temporis ſunt; alii vero incerti: vt podagra, et vaga arthritis. Qui vero ſtato tempore, alii dies numerant, vt modo dictae febres, alii per menſes redeunt, vt hemicrania menſtrua, quae hinc tulit nomen. Alii per annos, qualia exempla retulerunt PLINIVS, qui *Sidonium Poëtam omnibus annis vno die tantum, natali febri correptum narrat, et eo conſumtum eſſe, ſatis longa ſenectute,* et poſt eum BENVINIVS. *Quidam,* aiens, IOANNES, *Architectus, ſingulis annis, ſtato die, hoc eſt, quo natus fuerat, febri implicabatur, quae ex putreſcente bile genita, ſuum circuitum ſeruans, quartum et decimum non transgrediebatur diem, donec ſenio confectus, et eadem ex more implicitus febre, natali ſuo die vi morbi proſtratus, naturae conceſſit.* Eodem modo Tarantula, Phalangii illo Apuli genere, demorſi choream ſuam annuatim deſultare coguntur, vide BAGLIVVM, qui recentiſſimus de ea re auctor eſt.

§. XVI.

Qui vero vagi ſunt, et incerti temporis, eorum aliqui non anno vertente, ſed poſt annos demum plurimos, iam dudum ſecuros homines ſuos corripiunt, minime id ſperantes. Tales ſunt, qui lue venerea infecti, maleque curati ſunt, aut veneni illius dulcedine illecti, ſibi poſt curationem, ſemel feliciter peractam, a coitu promiſcuo non temperarunt, ſed identidem ad impuros iſtos fontes rediere, vtpote qui ſaepe poſt vigeſimum annum idem paſſi ſunt malum. Talis et canis rabidi morſus. Cuius rei horrendum exemplum, quod in nobiliſſima Holſatiae familia, omniumque prima, accidit, memoriae aeternae cauſa narrabo. Nobilis quidam admodum adoleſcentulus

forte

forte canis rabidi morſum patitur. Remediis idoneis adhibitis, conualescit quidem, ſed poſt ſeptennium, eodem die articuloue temporis, quo id ipſi acciderat, recurrit morbus. Tum, transactis certis diebus, denuo reſtituitur. Tandem maturis annis, iuſſu parentum, matrimonium contrahit cum pulcherrima nobilisſimaeque proſapiae virgine. Nuptiis dicitur idem dies, quo olim fuerat demorſus, non advertentibus familiaribus, neque ipſo: nemo prae gaudio memor erat eius rei; accidit interim, vt eadem nocte malum ſuum recrudesceret. Longe ab inuitatis remotum erat cubiculum, in quo cum noua nupta cubabat. Abeunt ſponſus cum ſponſa, thorumque petunt, abeunt et ceteri, qui eos erant comitati. Perendie ſurgunt ceteri hospites, hilares agunt diem, ludunt, iocantur, expectant, dum veniant Sponſus cum ſocia, nemo aduenit. Primum arbitrantur eos captos noctis dulcedine, diutius ſomno premi. Quum autem vltra tempus extrahitur, pulſant oſtium, fruſtra, diffracto tandem irrumpunt. Sed o triſte ſpectaculum! Inueniunt ſponſum, nudum, ſolum, ſponſam vero ab eo, in rabiem acto, laceratam, et maximam partem deuoratam, ſpumante ore, ſanguine lectum manusque conſpurcatas: Sic illa miſera, pulcherrima virgo, delicias expectans coniugales, mortem crudelisſimam, thalamum ingreſſa ſponſa tumulum inuenit. Qui viſum venerant, rabioſo ſponſo ne quidem appropinquare auſi, ſclopetis eum e longinquo interficere coguntur, et feralibus nuptiis imponere finem.

§. XVII.

Quid Medico praenoscendum, dictum eſt hactenus. Non tamen, quae futura ſint ſymptomata, aut quo mortis genere quilibet periturus ſit, quoue modo euaſurus, ſciri vbique poteſt, ſed aliquando tantum ſigna harum rerum ſeſe offerunt. Multa autem et maxime memorabilia de febribus acutis HIPPOCRATI obſeruata ſunt, cum *in Aphorismis*, tum et *Prognoſticis*, alibique, quibus perpauca poſteri eius addidere: Ex quo colligitur, propemodum febres illas iſtis temporibus contigiſſe prae ceteris morbis frequentisſime. Multa etiam alia leguntur in *Coacis*, ſed minus certa, vt ego, iſtum librum pro tabulis fuiſſe illi memorialibus, fere exiſtimem, quibus ſingularia, quotidie occurrentia, notauerit, rimanda ac ruminanda poſtmodum, etſi Duretus in commentario omnia iſta defendere conatus ſit, tanquam certisſima. Verum haec obiter: nunc vnde haec praeſciri, praecognoscique posſint, porro indicandum.

CAP. III.

VNDENAM PROGNOSIS PROCEDAT?

§. I.

Duo ſunt, quae in prognoſi formanda nos maxime inſtruunt; Morbi conditio ac magnitudo, et naturae robur. Quae dum conferuntur inter ſe, vnumque ad alterum expenduntur, velut in bilance poſita, non ſolum vitae et mortis praebent indicia, ſed etiam, quamdiu natura reſiſtere, aut morbus eam oppugnare, illique reſiſtenti grauis eſſe poſſit, aperiunt: modus autem euentus ex morbi ratione etiam et vehementia eius maxime coniicitur, vt adeo totum prognoſeos fontem vna haec collatio morbi et naturae prorſus exhauriat. Ex quo conſequitur, quisquis in Diagnoſi bene verſatus ſit, eum non facile in prognoſi aberraturum, ſi cognitio naturae accedat. Habitus ergo morboſi corporis etiam cognitus ſit, neceſſe eſt; vt ſi quid praeter communes humanae naturae leges acciderit, non ignoretur.

§. II.

Sunt enim cauſae illius rei omnis leges naturae, illiusque non ſingularis, ſed vniuerſalis, ex quibus morbus et natura ſe inuicem oppugnantia, vel vincunt, vel vincuntur. Suntque multae tales leges, ex quibus vtriusque actiones eueniunt. Quoniam tamen certamen hoc in ſingulis accidit, non vniuerſa humana natura, ergo praeter vniuerſales illas leges, etiam propriae ſingularis corporis perſpectae ſint oportet: Vt ſi quis vulnere olim quondam accepto, ex eo viscus aliquod debilitatum habeat, aut aliud quiduis ſit paſſum, quo afflictum grauiter ſit corpus.

§. III.

Etenim ſolent medici conſiderare morboſum corpus, vt ciuitatem aliquam, ab inimico oppugnatam, qui quo eſt ſaeuior, quo magis ab exercitu et apparatu bellico inſtructus, quoue melioribus dimicat armis, eo maiori ciuitas in periculo eſt. Quodſi tamen et iſta probe munita, et militibus neceſſariisque operibus valet, vt queat par eſſe robori hoſtili, eo minus periculi ſubit, eoque diutius poteſt reſiſtere.

His

His ergo inter ſe collatis, quorſum euaſura res ſit, facile colligitur. (a) Addendum autem, Inimicum illum tanto difficilius vinci; quod non ſit externus, ſed in visceribus haereat, atque morbus inteſtino hoſti ſit ſimilis, qui iam intra muros receptus. Hic, cum natura robuſta eſt, fieri poteſt, vt vi propria inimicum vincat et exturbet. Quoniam autem plerumque accidit, vt ſuccumbat, auxiliares medici copias implorat, qui vt ſuccurrat recte, et eam ipſam probe noscat, vt cum ipſa conſpiret, eoque ſubmittat copias oportet, quo opus eſt, itaque inimicum noscat, vbi latebras ſuas ſedemque habeat, vt inde eum exturbet. Cum autem paſsim ſymptomata vt emiſſarii ſint morbi milites, qui oppugnent naturam, praeuidere omnia, et proſpicere e longinquo, eius officium eſt, qui veluti arcis praefectus conſtitutus. Vt autem id non ſemper in eius eſt arbitrio, hoſtisque ſaepenumero ſub dole agit, et per cuniculos, neque ſe totum oſtendit, ita et hoc non ſemper poteſt aeque fieri feliciter. Hinc prognoſeos regulae conſtitutae ſunt, quibus fultus, medicus incedit, et aegroto de idoneis proſpicit aſsidue ſubſidiis.

§. IV.

Quod antequam faciat, exploret, quae poſsint accidere, dicto modo. Primum ergo, qualis ſit natura morbi, perpendat, Chronicusne, an acutus, calidus an frigidus. Si enim calidus, tanto magis, pro caloris gradu, celeres motus habebit, frigidus, tanto minus, quod ad longitudinem morbi praedicendam valet. Porro ſi magnus et vehemens ſit, periculoſus vel lethalis futurus eſt: quod ad praedictionem ſaluris et mortis pertinet. Euentus autem morbi indoles, vt modo diximus, et ſymptomata indicabunt, de quibus ſuo loco.

§. V.

Alterum, quod expendendum eſt, Cauſarum, ex quibus nascitur, genus atque ingenium eſt. Si enim cauſa eſt epidemica, alium habebit decurſum morbus, quam ſi vulgaris, et ſimplex, aliaque plane ſymptomata, quae non tam ex legibus illis naturae perſpectis, quam ſuo ſingularique modo procedent; quem experientia et obſeruatio potiſsimum aperiet. Etenim quae conſuetum naturae ordinem ſequuntur, ratione, quae alium, vel nullum, experientia metiri aequum eſt.

(a) vide PROSP. ALPINI incomparabilem librum de praeſagienda vita et morte, cap. I.

§. VI.

Tertium, quod attendendum, eſt ſymptomatum ſyrma, quae ea, quae intus in corpore peraguntur, mirifice produnt, et tum morbi, tum naturae, inter ſe pugnantium, robur indicant, quo tendant omnia naturae aut morbi opera, quemue exitum pugna haec ſit habitura, quam longe abſit alterutrius victoria, mortisque aut vitae ſpem metumue oſtendunt, prout vel mitiora vel grauiora, bona vel mala apparent. Sed operae pretium eſt, ſpeciatim quaedam exequi.

CAP. IV.

EX QVIBVS SIGNIS MORBI CONTRA NATVRAM PVGNANTIS VIRES COGNOSCI POSSINT.

§. I.

Antea aſſeruimus, illum, qui in Diagnoſi bene verſatus eſt, non facile in praecognoscendo aberraturum. Id nunc confirmabitur. Qui morbum omnem integrum perſpexit, is, neque qualis ſit, nec quantum valeat ad vitam eripiendam, ignorabit. Eſt autem hoc huius rei caput: notari vero meretur, duplex occurrere morborum genus: *vnum* quod vehemens, et quaſi aperto marte oppugnat vitam vniuerſam, per totum corpus, eiusque neruos omnes incidit, dum in ipſo ſanguine eſt, in quo et vita ipſa reſidet, illumque diſſoluere tentat, et peruertere, quo facto, vita protenus cum anima recedit, tales ſunt morbi acuti omnes. *Alterum* non tam vitam ipſam, quam aliquam hominis vitaeque facultatem aggreditur, eamque onerat potius, ac premit, quam vitae ipſi inſidiatur. Quales ſunt illi, qui partes ſolidas inuadunt, earumque operationem, vel penitus tollunt, vel imminuunt, donec inde expellantur. Quibus *tertium* adiungitur eorum, quae cauſam in ſanguine itidem quidem habent, eum vero potius vitiant quodam modo, quam deſtruunt et peſſundant: vt Lues venerea, ſcorbutus, cachexia, et hinc obſtructio menſium, et ſimiles.

§. II.

Quilibet ſponte intelligit, non eandem eſſe ſortem iſtorum generum, ſed prius illud acutorum longe eſſe periculoſiſſimum, et prae-

praecipuum, itaque et multa hic opus eſſe prudentia; unde et medici multo diligentius in iis pernoſcendis, quam in reliquis olim occupat, fuerunt, praeſertim HIPPOCRATES, qui in regione, quae videtur his morbis magis, quam ceteris obnoxia fuiſſe, multo plura obſeruare potuit, quam nos, in regione frigida viuentes, vbi non ita ſunt neque frequentes neque vehementes acuti morbi, quam in Graecia. Vnde videmus, HIPPOCRATIS ſcientiam multo in his eſſe praeſtantisſimam; reliquorum autem morborum obſcuram valde, et ambiguam mentionem fieri, ac curationem minus exactam tradi. Noſtratibus contra aliorum et Chronicorum numerum quam plurimum eſſe auctum, eosque multo accuratius cognouiſſe hanc poſteriorem aetatem. Itaque horum notitiam ex his potius; illorum ex HIPPOCRATICIS auctoribus maxime Galeni eſſe hauriendam. Sed redeamus ad ipſam rem.

§. III.

Morbus magnus ac pernicioſus ex tribus iudicari ſolet. Primum ex ipſa eius in vniuerſum natura, atque indole, deinde ex eadem, quae ſingulis propria eſt, quod morem vocauimus, poſtremo ex ſymptomatum ſuperuenientium grauitate et multitudine.

§. IV.

Indolem morbi nonnulli Ideam vocant, quae eius ſpeciem omnem et hiſtoriam notat, prout in ſe conſideratur atque innoteſcit: nam vnus morbus altero periculoſior eſt, acutus chronico; ex acutis deinde pleuritis aut peripneumonia ſimplici ardente febre; quippe quae vltra febrim, et pleuram aut pulmonem inflammatum ſuppuratumque habet: Febris ardentisſima ſimplici rurſum acuta febre: et ex chronicis hydrops et Phtiſis periculoſior eſt affectu hypochondriaco, et ſic porro. Chronici autem id in communi ſolent habere, vt difficiliores quidem curatu ſint, non item ſemper periculoſi; idque ideo, quoniam natura in acutis vehementius concitata, ipſa morbum oppugnat cum medico, hic ſaepe iacet iners; Verum et hoc alii prae aliis. Difficiliores autem iudicantur potisſimum a cauſis, idque rurſum duplici capite. Vnum eſt, quo in ſe cauſa maior eſt: vt ſi viſcus aliquod laborat, veluti ſcirrhus: qualem difficillimum eſſe, omnes norunt. Sic hydrops, quia plerumque ex corruptione, vel visceris alicuius eſt, vel bilis, quae difficulter corrigitur, ita et Phthiſis, quo-

niam vlcus pulmonum eam producit. Alterum eſt, quoniam cauſa eſt in humoribus valde corruptis, vt Lues venerea, quae ſcabie vulgari magis eſt inobediens, adeoque fortioribus opus habet remediis: item ſi inueteratum malum; multae enim cauſae mora peiores fiunt.

§. V.

Mos autem morbi non vniuerſos, ſed fere ſingulos ſpectat, et propria cuiusuis ſymptomata, vt ſi in pleuritide, hac quidem ſputum altero ſtatim die apparere incipit, idque bonum, ex paruo ſanguine et pure mixtum, quod non multo poſt bene coctum apparet, febris etiam mitior eſt, pulſuque poſt tertium bono: tum leuis eſt morbus; quodſi vero nigrum vel fuluum eiicitur, vel ſpumoſum admodum variique coloris, difficilis et periculoſus, magnusque morbus iudicatur.

§. VI.

Tertium magni morbi iudicium ex ſymptomatibus acquiritur, quae ſuperueniunt. Vbi non illa ſymptomata innuo, quae morbis ſunt familiaria, et ex eſſentia eius, eosque nunquam non comitantur, ſed quae veluti extrinſecus ſuperueniunt, poſſentque abeſſe. Quod ideo euenit, quoniam praeter vulgares cauſas aliae in corpore latent, non huius morbi, ſed aliorum, quae nondum maturae, tum, praeſenti morbo ſe iungunt, et eum adiuuant. Duo ergo ex ſymptomatis ſigna praua petuntur, ſi magna, et diuturna, ac rebellia, magnam enim et difficilem cauſam ſignificant, deinde, ſi multa, et inſueta ſuperueniunt. *Somno* verbi gratia deſtitutus, aut *appetitu*, non tam facile ſanabitur, ac ille, qui ea ſalua habet. Nouimus, quae binis iſtis pulchre habentibus ter, quater, morbos difficillimos et plane lethales ſuperarunt, anno etiam poſt ſexageſimum ſextum febrim acutam malignam vehementisſimam, et poſt ſeptuageſimum tusſim grauem binorum menſium cum exulceratione pulmonum ac febri, vt nemo crederet euaſurum: ſuperauit tamen, et eiecto puris libris, quantum licet colligere, vltra viginti, ſingulis diebus plus vna, ſuperſtes fuit, et reſtituta eſt.

§. VII.

Judicatur autem interna humorum conſtitutio et morbi magnitudo ex excretis maxime, non vrina modo, in acutis, ſed et alui excrementis, et menſtruo ſanguine, et ſudore, vel transſpiratione: ſi enim

enim cauſa morbi eliminatur per excretoria, facile ſuperabitur, et leuis eſt morbus, ſi nulla huius indicia in iis apparent, haerere, periculum eſt: raro enim tam felices nos eſſe contingit, vt ſolis alterantibus morbus ſuperetur.

§. VIII.

Leuis etiam morbus exiſtimari poteſt, et ſine viribus, qui in ſe non admodum magnus eſt, qui leuem cauſam habet, ſymptomata item non admodum inſueta (niſi tamen malignitatis ſuſpicio ſit) ſeceſſiones faciles, atque excreta bona. HIPPOCRATIS eſt, *II. Prognoſt. Bona vero haec ſunt: facile morbum ferre, bene ſpirare, a dolore vindicatum eſſe, ſputum facile extusſire, corpus aequaliter calidum videri ac molle, ſiti non detineri, vrinas, deiectiones, ſomnos, ſudores, ſingula intelligi bona, vti praeſcriptum eſt, ſuccedere. His morbum naturae imparem ſignificatur.* Quibus paucis tantum non omnia, morbi debilitatem prodentia, complexus eſt.

CAP. V.

QVOMODO NATVRAE VIRES COGNOSCANTVR.

§. I.

Vt morbi vis et magnitudo posſit cognosci, dictum abunde eſt: ſequitur vt et naturae, quam oppugnat, robur expendamus, quo conferri inuicem posſint. Duo autem voce naturae complectimur, primum eſt ſpiritus ille vitalis, et animalis, vterque ſuo loco primus motor in corpore, quorum alterum nonnulli Paracelſi ſequaces Archeum cum ipſo appellitant, ambiguo et inepto incertoque titulo: Alterum vero ſunt motus leges, ad quas omnia in corpore mouentur, quae vt ſaluae ſint, viscerum omnium integritas efficit, per quae, et beneficio quorum mouentur, quorum omnium praecipuum eſt Cor. In his enim eſt vera noſtratium mechanica: Reliqua deinde potius placide illabi humores, et tranſire, patiuntur, quam ipſamet mouent, aliquid licet adiuuent, promoueantque ſuo tonico, ſeu oscillatorio, ſi ita loqui lubet, motu. Horum ergo vigorem intelligimus, quoties naturae robur nominamus.

§. II.

§. II.

Non tamen negamus, eſſe in animalibus, atque etiam homine ſubſtantiam quandam, ſe ipſam mouentem, omnis motus auctorem, aut a ſententia, in Phyſiologicis oſtenſa, nobisque ipſis abimus. Sed quoniam ea ad nos parum aut nihil attinet, nec niſi ſpirituum, in cerebro naſcentium, ope motum omnem perficit, hinc illos potius, quam ipſum illum ſpiritum placuit nominare. Huius cerebralis ſpiritus potisſimum robur eſt et multitudo, quod naturae robur conſtituit, tum vero et copia ſanguinis, et vitalis in eo natantis igniculi, quorum vitae principium ipſum in omnes partes influit, vbicunque inuenit hoſtem, omnibus viribus eum oppugnans, tanquam ignotum quid reiicit, neque in ſe admittendum. Id autem facit perpetuo ſuo circuitu, comminuendo, et calore per poros expellendo, itemque per vrinarias aliasque vias eiiciendo, vt alibi ſatis declaratum eſt.

§. III.

Huius itaque vires pateſiunt primo ex actionum facilitate et rectitudine, idque omnis generis. Tametſi enim in morbis integrae, vt in optima valetudine, eſſe non poſſunt, iudicantur tamen, ex eo magis aut minus valere, quod plus, minusue debiles ſint partes in agendo. Siue iam ſint animales actiones, ſiue vitales, ſiue ad nutritionem pertineant. Hinc nata nobis inſignia iſta HIPPOCRATIS promulgata dogmata: (a) *In quouis morbo mente conſtare, et bene ſe habere, ad ea, quae offeruntur, bonum, contrarium vero malum.* Signum enim hoc eſt, principium illud primum, quod in cerebro eſt, recte animalibus ſpiritibus vti, et illud habere ſub imperio. Item alterum (b) *Spirationis autem facilitatem exiſtimari oportet, per quam magnam vim habere ad ſalutem, in omnibus morbis acutis.* Quod de cordis facultate, pulſu, teſtimonium perhibet reſpiratio, quippe de quorum conſpiratione antea monuimus: *et in comment.* GALENVS addit, *ſpirationis facilitatem ſignificare, neque thoracem, neque cor, neque pulmonem dolore affici*, et *Lib. 1. de praeſagit, ex pulſ.* idem de pulſu hoc habet; *Vehemens pulſus, cum ſemper a facultatis robore ſit, quo eſt vehementior, tanto robur facultatis eſt maius.* Notum enim eſt, Facultatem GALENI hic intelligi animae vitalis robur, adeoque iſtius principii vitalis, de quo ſermo nobis eſt, integritatem ac praeſtantiam. Hoc ſaluum ſi ſit, et ſuo robore firmum, nemo moritur:

(a) L. II. Aph 33. (b) I. prognoſt. 28.

tur: fractum prius oportet, antequam triumphet morbus: naturae enim robur horum principiorum integritate totum conſtituitur.

§. IV.

Eam vero non modo his, ſed etiam excretis licet metiri, quae ſi facile, ſi qualia peccant, ſi iuſta copia temporeque ſecedunt, optimum eſt ſignum, ſi male, prauum, ſiue naturalia illa ſint, et quae ſolent, ſiue praeter naturae leges proſiliant, ſed iuſto tempore, hoc eſt criſeos. Hinc HIPPOCRATES rurſum, (c) *In acutis ſanguinem plurimis erupiſſe, quibus autem non erupit, maximam partem periiſſe*, ait. De naturalibus vero: *Vrinam, a ſurditate liberaſſe ab abſcesſibus deiectiones bilioſas*, (d) teſtatur: Ita etiam ſudor, de quo notisſimum eſt, maximum, et quaſi vnicum ab eo in febribus expectari auxilium. Sunt enim et excretiones actionibus accenſendae, ex robore naturae vnice pendentes.

§. V.

Vt autem ex fortibus actionibus de robuſta ac valente natura conſtat, ſic ex debili de eius imbecillitate. Et cum triplici languere ſoleant actiones gradu, 1) ſi omnino tollantur, 2) ſi imminuantur, 3) ſi deprauatae edantur, *primum illum* eſſe difficillimum, et quae deiectam plane loquatur, quilibet cognoſcit. Vnde HIPPOCRATIS pronunciatum eſt: (e) *Si non videat, vel non audiat, iam debili exiſtente corpore, quicquid horum euenerit, mors proxima.* Ita ſi non ſentiunt homines, ſe aegrotare, plerumque vehementisſime aegrotant, et plane nihil appetere, neque ſitire quidem, in maxime ardentibus, prauum eſt, ita deſipientia pesſima declaratur, (f) et veras *phrenitides* plerumque lethales eſſe GALENVS exiſtimat. Talis etiam eſt *obliuio.* Secundus gradus, *imminuta actio*, ſecundo eſt loco, et minus quidem periculi, ſed debilitatam tamen naturam indicat. Tertius modus *Deprauata actio* raro hic allegatur: attamen, quandoque etiam occurrit. Vt *tremor*, ſi aliis grauisſimis, ipſique inſipientiae ſuperuenit: qualis (g) cum fiat ex reſolutis ſpiritibus ac prope conſumtis, omnino lethalis pronunciatur. Huc pertinent et conuulſiones, ſingultus, etc. verum haec ſub alio capite collocantur.

§. VI.

(c) Epid. Aph. 73. (d) IV, Aph. 28. (e) IV. Aph. 49. (f) Prorrheth. (g) ibid.

§. VI.

Paulo aliter ſe res habet in *Reſpiratione*, vbi magna ſaepe eſt debilitatis ſignum, maxime ſi ſimul rara eſt. Quae tamen rara ſimul et parua, plerumque exitium portendit: *Pulſus* quoque languidus, tardus, et paruus, ſecundae claſsis ſymptomata, debilitatae nimirum actionis, imbecillem naturam oſtendunt. Quod ſi vero *ſyncope* frequentior intercedit, primi generis et maxime omnium laborantis ſignum eſt.

§. VII.

Sed debilem etiam naturam excretiones quoque indicant, cum nimiae, tum plane tardae. Illa in phtiſicis, quibus circae finem ſuperuenire frequenter ſolent. HIPPOCRATES (h) *Quibuscunque tabo laborantibus capilli e capite defluunt, ii, alui profluuio ſuperueniente, moriuntur.* Idem vero accidit, etiam ſine capillorum defluuio. Verum et nimis pertinax aluus multo maiorem imbecillitatem naturae prodit. Hinc Apoplecticis applicatus cliſter niſi reddatur, ſed retineatur, ita debilitatam eſſe indicat, vt non amplius ſentiant ſtimulum, neque ſe contrahant fibrae, quae eſt extrema ſpirituum animalium debilitas. Denique et *malae deiectiones*, hoc eſt excreta ipſa potentias debiles denotant. (i) HIPPOCRATES etiam *Aluum turbatam et deiectiones crudas damnat et multas, et tenues:* haec enim virtutem ſtomachi et inteſtinorum deiectam ſignificant. Sed de excretis etiam alienis eadem ratio eſt. *Sputum* in pleuriticis ſi ſiſtatur, lethale eſt, et in ardentibus febribus, multisque aliis morbis circa finem; ex pectore pituita, non amplius eiecta, imbecillitatem victamque naturam indicat. Si *ex naribus ſanguis admodum paucus* ſtillat, naturae imbecillitatem ſignificat, quae exitum quaerit illi, quod ſuperfluum eſt, ſed debilis nequit excernere. E contrario in iuuene robuſtiſsimo vidimus naturam iteratis vicibus per integrum triduum ſanguinis ingentem copiam profudiſſe, et ſanatum eſſe. *Sudor*, ſi non ſatis largus, ſi non ex toto corpore profluit, malus, (k) potentiam enim debilem oſtendit. Verum de his non attinet omnia dicere. Si quis tamen ea deſideret, adeat doctiſsimum librum PROSP. ALPINI ſupra laudatum, *cap. IV. V. et ſeq.*

CAP.

(h) Aphor. VII. (i) III. Epid. 33. text. 40. (k) I. Epid. 24.

CAP. VI.

INSVPERABILES ET SANABILES MORBI QVI?

§. I.

His ita indicatis, et veluti apertis fontibus, ex quibus petere liceat ſigna prognoſeos, eadem ſub ſua genera redigere par erit, et ſub ſignis phalangibus, conſtitutis, collocare. Tria autem diximus praedici poſſe: ſalutem et mortem, longitudinem ac breuitatem morbi, et modum, quo ad valetudinem redire, vel morte perimi periclitantem futurum ſit. Nunc itaque primum ac praecipuum exequemur: quod tanti viſum eſt, vt de eo ſolo integros libros ſeptem PROSPER ALPINVS, maxime ex Hippocratica et Galenica diſciplina conſcripſerit. (a)

§. II.

Ante omnia autem, agnito morbo, id medico incumbit, vt perſpiciat, posſitne a natura, ſeque ſuperari et percurari; nec ne. Nam ſi non poteſt, ne attingendus quidem, monente et vetante vtroque HIPPOCRATE, *tum Graeco, tum Latino:* (b) quorum ille, (c) νοσηματα diſtinguit in θανασιμα, μη θανασιμα, et ενδοιαστα. In eos, qui *exitiales* ſunt, qui *non exitiales*, et quorum euentus *in ambiguo eſt.* Quam doctrinam deinde ampliſſime diduxit, et elegantisſime explicauit BRVNO SEIDELIVS. (d) Nos per compendium ſic trademus.

§. III.

Omnes morbos ex ſe ſanabiles eſſe HIER. CARDANVS (e) exiſtimauit, idque ipſius HIPPOCRATIS auctoritate roborauit, iis adductis, quae nos cap. I. adſcripſimus verbis: Ὑγιεας μεν, ποιεειν ἁπαντας τȣς ασθενεοντας, αδυνατον - - επει δε οἱ ανθρωποι αποθνησκȣσιν, οἱ

(a) PROSP. ALPINVS de praeſagienda vita et morte aegrotantium, Lib. VII. quos nuper recudi curauit Doctiſſimus BOERHAVIVS: Alia tamen, ac nos, methodo vſus, neque per genera, ſed per loca procedens. ȣ κατα γενη, ἀλλα κατα τοπȣς. (b) C. CELSO. (c) Lib. I. *de morb.* (d) Lib. *de morborum incurabilium cauſis.* (e) In I. progn. HIPPOCRATIS.

οἱ μεν πριν καλεσεται τον ἰητρον, ὑπὸ ἰσχυος της νυσυ, οἱ δε ἐισκαλεσαμενοι, παραχρημα ετελευτηταν - πριν ἡ τον ἰητρον τη τεχνη προς ἑκαςον νοσημα ἀνταγωνισασθαι. Omnes autem ſanari aegrotos, fieri non poteſt. Quandoquidem vero homines moriuntur, hi quidem, antequam medicus aduocetur, vi nempe morbi, alii vero, et vocato eo, confeſtim intereunt, prius quam medicus arte ſua morbum oppugnare posſit. Ex his, inquam, exſculpere voluit CARDANVS, id velle principem Medicorum: Omnes aegros ſanari poſſe, ſi tempeſtiue bonus medicus aduocetur; niſi diuinum quid obſtet, omnesque morbos ab initio poſſe curari; adiecit his alterum locum, vbi ait HIPPOCRATES: *Medicum, ſiquidem ſuffecerit ad cognoſcendum, ſufficere quoque ad ſanandum.* At ſufficere vbique ad cognoſcendum.

§. IV.

Verum recte eum in hoc reprehendit SEIDELIVS: Si enim tanta eſt morbi vis, vt antequam auxilia parentur, aut medicus aduolare posſit, hominem iugulet, profecto non omnes morbos eſſe ſanabiles. Verum hoc argumentum non ferit CARDANVM. Rectius negatur, omnes morbi conditiones ſtatim cognosci poſſe, quod vel vnis epidemicis patet. Itaque in ceteris plerisque licet res ſic ſe habeat, vt ſi in tempore medicus aduocetur, ſi recte morbum cognoſcat, ſi remedia idonea ſint in promtu, certo a perito medico morbus ſanari queat, niſi Diuini quid obſtet, de quo ſubnectit HIPPOCRATES, et diſertis admonet verbis: *ἁμα δὲ καὶ εἰ τι θειον ἐνεςιν ἐν τῃσι νυσοισιν, καὶ τυτυ την προνοιαν εκμανθανειν, ſimul et ſi quid Diuini in morbis inſit, eius quoque rei praeſcientiam medicum ediscere oportere*: attamen tales hae ſunt conditiones, quibus in omnibus morbis praeſtandis ſufficere nemo posſit. Accedit, quod multi morbi naturae opem magis, quam medici exposcunt: vt acuti plerique omnes, quorum ideo incertas etiam eſſe praedictiones, monuit idem HIPPOCRATES: quod ſane non accidit, quia medicus eos non cognoscit, (nihil enim facilius) ſed ex ſe, et propria natura. Ne rurſum dicam de Diuina directione, cui, qua ducit medicum, plurimum ſemper debetur, quoties in periculo verſatur aeger. Itaque merito CARDANVS inſcitiae et *ἀπειρίας* hic accuſandus, qui melior erat Philoſophus, quam Medicus, ab experientia parum inſtructus, ſed ingenio maximus.

§. V.

§. V.

Quo euicto, ita licet diſponere ordinem morborum ex mente HIPPOCRATIS et naturae. Quidam morbi *ſanabiles* ſunt, vt reſtitui in integrum poſſit aeger, quidam *deſperati*, quidam *dubii euentus.* (f) Qui *deſperati* ſunt, *alii lethales*, et celeriter plerumque, breuique tempore hominem conficiunt, quales ſunt praeter acutas, non admodum multi, vt Apoplexia, et vulnera quaedam, ab HIPPOCR. *Aph. VI. 18.* et CELSO *Lib. V.* magnam partem recitari, item inflammationes viscerum, de quibus videndus SCRETA. (g) Maxime etiam inſanabiles illi ſunt, quorum cauſa tolli plane non poteſt: vt illa Ilei, qua inteſtini pars inflammata, aut tumore obſeſſa eſt; aut pars inteſtini ſuperior ingreſſa eſt inferiorem. Alii vero non quidem conficiunt hominem, attamen *ad mortem* vsque multorum annorum decurſu *comitantur*, vt Phthiſis, et vlcera pulmonum, et aliorum viscerum magna. Et hic diuturnitate incrementa capiunt, donec aliquando mortem ſubito inferant, tales etiam ſunt *Cancer, ſcirrhus, hydrops* ex viscerum corruptione, et inueteratum *Aſthma.* De his CELSVS: (h) *Longus morbus, cum penitus inſedit, quod ad difficultatem pertinet, acuto par eſt, et acutus quidem, quo vetuſtior, longus autem, quo recentior, eo facilius curatur.* Notum et vulgo iactatum:

Principiis obſta, ſero medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.
Vidi ego, quod fuerat primo ſanabile vulnus,
Dilatum longae damna tuliſſe morae.

Recentes enim, ſed exiguos morbos adhuc vincere natura poteſt, vel parum medicina adiuta, magnos autem et inueteratos non poteſt, etiam maioribus ſubueniente medico auxiliis: nam mora dat vires, *Podagra, arthritis, calculus*, non mitigari ſolum, ſed tolli prorſus etiam poſſunt, ſi quis ſit intelligens, et medico obediens aeger, quin et praecaueri. At inueterata raro corriguntur haec vitia.

§. VI.

Horum autem duplex genus. Quidam irremiſſibili malo affligunt, vt phthiſis, hydrops deſperatus, etc. alii remittunt quidem, et con-

(f) Vide ROLFINCKII *meth. comm.* p. 19. (g) HENRICI SCRETAE *de Zarizin de febre caſtrenſi maligna.* (h) Lib. III. cap. I.

concedunt inducias, ſed quauis leui occaſione recurrunt, tandemque ita excruciant aegrum, vt conficiant, vt *podagroſi* acceſſus, *epilepſia* inueterata, *Lues Venerea*, non probe curata, et *Hyſtericae* paſſiones enormes, quales WILLISIVS nobis commemorat. (i)

§. VII.

Denique ſunt inſanabiles, qui non poſſunt tolli, ſed hominem perpetuo tenent, verum hoc ſine vllo vitae diſcrimine: quales ſunt ex internis omnes, qui a prima natiuitate inſunt, ſenſuum praeſertim vitia. *Caecitas*, *ſurditas*, defectus odoratus, quo laborantes binos nouimus fratres. Huc pertinent et muti, omnique loquela hinc deſtituti. Tales nouimus ſorores binas, qui ne ſonum quidem edere poſſunt, ceterum ingenioſisſimae ſunt, et perquam induſtriae, omnia, quae volunt, digitorum motu ſignificantes, et opificio ſubtilisſimo celebres. Tales etiam ſunt, qui poſt natiuitatem ſuperueniunt alii: *Auditus grauitas a rupto tympano*, *tremor artuum vel capitis* poſt apoplexiam, *paralyſis*, plerumque. Rarisſime etiam *Mania* emendatur, maxime, quae ex philtro eſt, raucedo ex variolis a cicatricibus in Arytaenoideis, *hernia* inueterata, *vteri prolapſus* verus, *luxata inueterata*, et *contracturae* ex vulneribus, diſſectis neruis ac tendinibus.

§. VIII.

Tot fere ſunt morborum genera, quae ex ſe, et ſua natura inſanabiles ſunt. Alii non ex ſemet ipſis, ſed ex alia cauſa tales fiunt, et, vt loquuntur philoſophi, per accidens. Vt quando ſero medicus arceſſitur, vel vbi delinquit aeger, vel adſtantes adiuuantesque aliquid committunt. De his vide SEIDELIVM, qui in aegri praecipue culpa enarranda prolixus eſt, (k) et ROLFINCII *Meth. comment.* (l) Quin et Medicorum, ac Chirurgorum plurima ſunt peccata, quae exſequitur idem doctisſimus vir (m) et his ſubnectit pharmacopoeorum errores. (n) Neque enim eſt, quod haec disſimulem. Cum enim ars ſit longa et difficilis, magnamque ſcientiam, exercitationem multiplicem, inſignem prouidentiam, et αγχινοιαν poſtulet ſingularem, hinc HIPPOCRATIS effato, medici ſunt λογω μεν πολλοι, και φημη, εργω δε παυ-

(i) Lib. de morb. conuulſ. (k) a pag. 93. ad 125. dein. ad adſtantes tranſit, ad p. 134. (l) pag. 196. (m) a pag. 45. ad 71. (n) ad p. 79.

παγχυβαιοι; et ex optimis illis etiam nemo non aliquando decipitur, *humanum enim eſt, nonnunquam, ſed quam rariſſime peccare*, vt ait GALENVS.

§. IX.

Porro ex ſe non lethales, etiam caſu tales redduntur: aetate, ſennio maxime, anni temporibus, regione, tempeſtatibus, aërisque turbatione, aut intemperie. Ita in Italia omnes fracturae cranii lethales ſunt, niſi trepanatio ſubueniat; in Germania vero, vt iam alibi diximus, ea vix eſt opus, niſi in effractura. Lutetiae Pariſiorum capitis vulnera raro ſanantur. Aliquando et accidit, vt ex alio morbo natura plurimum afflicta ſit: vt cum acutus morbus puerperae ſuperuenit, aut peſtis, item ſi grauidae, aut abortum paſſae. Vnde eſt HIPPOCR. *Aphorismus*. (o) Γυναικι εν γαστρι εχουση ὑπο τινος των οξεων νουσηματων ληφθηναι, θανασιμον. *Mulierem grauidam morbo quopiam acuto corripi, lethale eſt.* Nonnunquam et *animi morbus* ſubeſt, qui ſanari hominem non permittit: ita triſtitia multi interiere, nonnulli et ex amore defuncti ſunt, alii curis et ſollicitudine: quidam etiam imaginatione, morbo leui exiſtente. (p)

§. X.

Praeterea morbi incurabiles fiunt περι του θειου: cum Diuini quid et vis maior interuenit. Quod cognoſcitur, ſi grauioribus, quam pro more, ſymptomatibus ſtipatus incedit, ſi remedia conſueta et bona nihil iuuant. Duplex autem το Θειον ſtatuitur recte: alterum a Diuino Numine, alterum daemoniacum. Illud quidem, cum Deus vel ipſe morbum immittit, piis quidem, vt ex malis et miſeriis iſtis eos eripiat, cuius rei apertisſima exempla non deſunt; prauis autem hominibus, vt ab ipſorum tyrannide liberet mundum, aut nequitiae ipſorum finem imponat, aut auaritiam, lubidinem, ambitionem intercipiat, ſeuerisque coerceat poenis, etſi quae alia ſunt arcana eius iudicia, vbi Deus morbum immittit, exemplo HISKIAE, HERODIS MAGNI, et PHILIPPI II. Hiſpaniarum regis, quos duos poſtremos Phthiriaſi periiſſe, annales loquuntur: ne tertium addam, quem non ita pridem immanibus ventris cruciatibus miſere, non ſine conſcientiae morſu, periiſſe narratur: Vel etiam ita dirigit, vt reſiſti malo, illudque ſuperare non liceat, diligentisſima licet medici manu. De hac cauſa egit SEIDELIVS prolixe. (q)

§. XI.

(o) Lib. V, 30. (p) Hoc argumentum expoſuit SEIDELIVS a p. 134. et nos, in *Diſſ. de humani animi affectibus.* (q) a pag. 30.

§. XI.

Alterum genus *Daemoniacum* eſt, quando per incantationem, aut magiam morbus procuratur: De qua re memorabile exemplum exhibet IORDANVS. (r) Qualia etiam permulta leguntur alia, medicorumque libri eorum pleni ſunt, quicquid etiam dicunt hodierni omnium Diuinorum humanorumque irriſores, qui *Spirituum fortium* (des Eſprit forts) nomine ſuperbiunt. Nuper inſigne etiam publicauit IOH. CASPAR WESTPHALE, (s) (ſed cuius rationibus ridiculis ſane et abſurdis ſtare nolim.) De his tamen pronunciare, nonnunquam fateor difficile eſſe, quod multis fraudibus ludant non raro humanam credulitatem malitioſi homines. Aliquando etiam naturalibus cedunt tales morbi remediis; (t) vbi illico clamitant! Manifeſtum eſſe, naturales fuiſſe: ſed nulla conſequentia. Aliquando contra, et quidem multo frequentius, nulla arte, nullis remediis tolli poſſunt, niſi paracelſicis, hoc eſt itidem magicis, et quoniam Chriſtianis nobis talibus vti, etſi innoxiis etiam, religio eſt, miſerrima ſaepe, longaque morte pereundum. Et tot ſunt genera morborum inſanabilium, etiam per accidens, hoc eſt, non propria indole, ſed interuenientibus externis.

§. XII.

Qui autem neque vitae periculum habent morbi, neque inſanabiles ſunt, ſed ceteris recte habentibus, ſuperantur, multi ſunt, et reliqui fere omnes: vt ventriculi imbecillitates, diarrhaeae, tuſſes, defluxiones in muſculos, etiam Iſchiaticus morbus, quartana, tertiana, quotidiana febris, continua leuior, lippitudo, ſcabies, arthritis vaga, morbilli, variolae non confluentes, praeſertim dentium aliarumque partium dolor, menſium ſuppresſio, fluor albus, colica, et multi alii, qui carent omni periculo, et quorum cauſae notae ſunt, et poſſunt tolli.

§. XIII.

Eſt vero et tertium genus, illorum, quorum dubius eſt euentus, quos HIPPOCRATES ἐιδοιαςα appellabat ſupra. Illi vero ſunt, in quibus pro magnitudine ſua modo cedit, ſuccumbitque natura, modo vincit,

(r) *In Libro de eo, quod eſt Diuinum in morbis.* (s) Pathol. Daemoniaca.
(t) Vide CONRINGII *Diſſ. de incatament. in morbis, vt et efficacia,* it. GABROLII *obſeru.* et Cl. BVRCHARDI ſub noſtro praeſidio habitam *diſp. de morbis magicis.*

vincit, et ſuperior eſt. Quo ſenſu HIPPOCRATIS illud dictum puta: *in morbis acutis nulla certa praedictio eſt, neque ſalutis neque mortis.* Tales ſunt variolae, pleuritides, febres continuae, malignae praeſertim, tum vero et hydrops, ſoporoſi affectus, dyſenteria, hectica et ſimiles: in quibus omnibus dubia res eſt, et conualituri ſint aegri nec ne, incertum.

§. XIV.

Vt autem in omnibus morbis praecognitio neceſſaria eſt, ſic in lethalibus ex ſe morbis poſt diagnoſtica ſigna prognoſticis non amplius eſt opus. In ſalubribus autem et medicabilibus etiam non multum curant praedictionem aegri vel adſtantes, dum enim extra periculum illi putantur poſiti, quid attinet eſſe ſollicitos? Ergo de his, in quibus in ambiguo ſalutem eſſe exiſtimatur, quaeſtio potisſimum incidit. Ceterum in praedicendo ne fallaris, cautiones quasdam atque praecepta adhuc ſubiiciam, quae diligenter obſeruanda ſunt; Tametſi enim iam plurima antea ſunt exarata, non pigebit tamen ea per compendium recolere.

§. XV.

Cum omnis praedictio ex collatione virium morbi et naturae procedat, morbi autem robur conſiſtat in tribus potisſimum, ipſa morbi indole, cauſae magnitudine, et ſymptomatum turba: naturae vero totidem rebus metiri ſoleat robur, ſpirituum, cum multitudine, tum validitate, ſanguinis temperie, et partium iuſta conformatione. Ea potisſimum, et promte conferenda ſunt.

§. XVI.

Spiritium robur ex actionibus cerebri, promtitudine, rectitudine ſermonis, et motu elucet. *Sanguinis modus* ex turgeſcentia venarum, (ſed caue, ne decipiare in febribus, vbi turgent venae, non vera ſemper copia, ſed elaſtica vi ſanguinis et calore) et pulſus magnitudine, celeritate, frequentia. *Partium* vero *conſtitutio* ex conformatione externa patet oculis, interna vero ex actionibus viscerum colligitur, excretis, et quae ad primam coctionem pertinent, ex alui fecibus, quae ad ſecundam, ex vrina. Naturae ergo vis ex ſeptem rebus iudicatur: 1) ſi conſtet mens, 2) ſi appetitus ſit integer, 3) ex pulſus robore, 4) ſi excreta recte habeant, 5) ſi grauia ſymptomata eam non deiiciant, 6) vocis et ſermonis nulla fiat mutatio, nam vox clangoſa victam

naturam, debilis ac minor ſolito laborantem indicat, 7) ſi reſpiratio pro conditione morbi ſibi conſtet.

§. XVII.

Morbi vero magnitudo ex totidem etiam rebus cognoſcitur: 1) Ex morbi natura, de quo iam ante egimus, 2) longitudine eius, et ſi diu illum paſſus ſit aeger, vt ſcias nempe, an in tempore ſis arceſſitus. 3) Cauſae magnitudine, 4) partis affectae conditione, (1) an ſit nobilis valde, vitaeque neceſſaria, (2) an difficilis ſit medicamentorum ad eam applicatio, 5) ſymptomata et mos morbi, 6) nocentia et iuuantia, 7) duratio ſeu longitudo, reſpectu habito ad futurum, vt ſcias, an aeger poſſit ſufficere.

§. XVIII.

Appetitus tamen in omnibus morbis non poteſt ſibi conſtare: nam in febribus, doloribus, et imbecillitate omni natura deiectus eſt, et etiam vel leuis ſufficit, in primis maxime. Nam diaetam illae non niſi tenuem expetunt, qua ſola olim eas curauit HIPPOCRATES. Si vero imbecillis eſt aeger, cibum ſuperare non poteſt: reſtat igitur cum moleſtia a ventriculo intactus. In reliquis morbis omnibus integer, eſt bonus: conſeruat enim vires. Quin vidi in febre maligna acutaque periculoſiſſima cum multo cibo aegrum morbo ſumme lethali redditum, fuiſſe ſuperiorem, multa mea admiratione; verum hoc ſingulare eſt. Saepe tamen etiam eſt mentis alienatae ſignum, prope finem morbi, vbi redire ſolet et fallere.

§. XIX.

Spectandus etiam eſt vitae modus ac conſuetudo, nam ſi praua praeceſſit diaeta, aliaque eiusmodi, naturae debilitatae metus eſt. Aetas etiam hic multum calet, iuuenesque a ſenibus robore plurimum differunt. Tamen haec non annis, ſed viribus metienda: Sunt enim et robuſti ſenes, et iuuenes infirmi: quin his ipſis nimis bona et athletica valetudo fraudi eſt, praeſertim in acutis morbis.

§. XX.

Iuuantia quoque ſalutis indicia ſunt, et nocentia: nec exigui ſunt ponderis. Nam ſi per aliquot dies idonea medicamenta nihil afferant commodi, vix ſperanda eſt ſalus. Neque de medicamentis id

tantum

tantum affirmari poteſt, ſed etiam de conatibus naturae: vt ſi excretio, ſi ſomnus, ſi ſudor non iuuet, lethale fere eſt. Prudenter autem monet SENNERTVS, (u) non tantum naturam cum natura, aut morbo, ſed et ſymptomata cum ſymptomatis eſſe conferenda. Lege ipſum: eſt enim hic diligentisſimus et doctisſimus.

CAP. VII.

DE SIGNIS SALVTIS ET MORTIS SPECIATIM.

§. I.

De his in practicis libris ad morbos ſingulos ſtrictim quidem agi ſolet: Vtile tamen erit, et hic paucis ea complecti, et alio modo, nouoque ordine ac conatu per compendium tradere, ne vel hac parte deeſſe tyronibus videamur. Nihil vero admodum hic iis acceſſit, quae HIPPOCRATES obſeruauit. (a) Quae in compendium contraxere, et de ſignis generatim, et in vniuerſum; quae ſigna quid ſignificent; Primum indicauit PROSPER ALPINVS, libro a nobis laudato: ex quo in compendium ea egit SENNERTVS, et ROLFINCKIVS, e quibus iterum tranſſcribere de charta in papyrum, nihil attinet. Nos potius per morbos ſingulos eamus, et eorum conditiones aphorismis paucis, de morbis maxime periculoſis complectemur. Interim de ſignis bonis, quaeue in tuto eſſe aegrotum indicant, CELSVS legi poteſt, *Lib. II. cap. 3.* vti de malis aegrotantium ſignis ſequens *cap. 4*, nos inſtruit. Quin tota eius hic morborum contemplatio ad caput vsque IX. nihil aliud, quam ſigna ſalutis, aut mortis continet, vbi mira breuitate, omnia, quae HIPPOCRATES per plurimos libros notauit, magnoque iudicio complexus eſt. Sed pergamus.

§. II.

Venena, vegetabilia quaedam, mentem peruertunt, vt Solanum manicum, cicuta, (quae tamen et perimit, abundanter comeſta) ſed ad tempus. Reliqua pleraque animalia, et metallica corroſiua, in praeſenta-

(u) Inſtit. p. 707. init. (a) *In aphorismis, Coacis, Prognoſticis, et alibi pasſim: ex quo et* CELSVS *ſua transtulit.* Item SENNERT. Inſt. III. 3, 4. 5. ROLFINCK. Comm. meth. III, 2. toto. Primum legendi.

ſentaneum hominem periculum coniiciunt, et niſi cito in auxilium accurras, conficiunt.

§. III.

Omnes *morbi, malignitatis* participes, ambigui euentus ſunt, exceptis intermittentibns, qui quoniam inducias concedunt, facilius, et plerumque ſuperantur.

§. IV.

Omnes *morbi acuti* dubii ſunt euentus; verum de his tamen obſeruatur, in frigidis regionibus multo eſſe mitiores, imo et rariores, et facilius cedere, neque conditiones acutorum ſequi, ſed admodum variare. Criſin etiam vix vnquam manifeſtam habere, ſed tacite dilabi.

§. V.

Vulnera capitis omnia periculo plena, etiam quae leuia videntur, neque horum certa eſt pollicitatio, vbicunque cranium aliquid paſſum eſt, magis difficilia ſunt, ſi meninges, maxime, ſi cerebrum; etſi etiam multi ab his euaſere: idque ideo, quoniam ſanguinis effuſio hic loci vel comprimendo cerebrum, vel obſiſtendo vias, ſpiritus animales intercipit, putreſcens vero, cum hic maxime, tum et alibi putridis vaporibus humoreque ſumme nociuum eſt.

§. VI.

Vulnera thoracis dubii ſunt euentus: quia pulmones magna vaſa habent, vnde ſanguinis ingens copia effuſa in cauitate thoracis cito putreſcit, vnde mors: phthiſis etiam, vulnere in vlcus verſo, eminet, ſed hoc pertinet ad modum euentus.

§. VII.

Vulnera abdominis eiusdem ordinis ſunt: neſcitur enim, annon viſcera quaedam, aut maiora vaſa diſſecta ſint, quod ſi nihil horum, extra periculum eſt aeger.

§. VIII.

Vulnera tendinum, neruorum, aliarumque partium neruoſarum, propter febrim, et conuulſionem ſuperuenientia terrent aegrum, ſed ſi modo rite curentur, a periculo tutus eſt aeger: niſi quod difficulter coeunt, et plerumque cum amiſſione motus.

§. IX

§. IX.

Reliqua vulnera, accedente inflammatione et febre, in periculo aegrum conſtituunt.

§. X.

Deliria, febri continuae ſuperuenientia, in dubio relinquunt aegrum, quorſum euaſura ſint, ſaepius tamen reſtituitur, quam perit.

§. XI.

Lethargus periculoſisſimus eſt, ex quo pauci euadunt.

§. XII.

Soporoſi affectus omnes multum terroris habent et periculi.

§. XIII.

Mania non lethalis quidem, ſed plerumque tamen incurabilis eſt.

§. XIV.

Rabies omnis periculoſisſima, Canina, Lupina, vulpina et quicquid tandem animalium homines inflicto vulnere inficit, niſi cito ſuccurras, lethifera eſt.

§. XV.

Apoplexia, *catarrhus ſuffocatiuus*, *epilepſia infantum*, praeſentaneum plerumque habent periculum.

§. XVI.

Hydrocephalus, eſt morbus magnus, et pueris plerumque lethalis, ſi intra cranium haerent aquae.

§. XVII.

Angina, *pulmonis inflammatio*, *pleuritis*, periculoſisſimi morbi ſunt.

§. XVIII.

Vomica pulmonis, plerumque lethalis eſt: praeſertim ſi magna. Vidi, quae totum pulmonem impleuerat materia, loturae carnium ſimilis tanta copia, vt ſuffocaret continuo aegrum. Vidi tamen et paruam, quae terna vice rediens, poſt annum vnum atque alterum, feliciter eſt ſanata. An eadem iterum iterumque impleta his erat? an alia aliaque orta?

§. XIX.

Cholera, vt morbus acutus nonnunquam, ſic periculoſus, attamen raro lethalis eſt. Vide SYDENHAMIVM *de Acut.*

§. XX.

Inteſtinorum inflammatio lethalis, neque enim ſatis cognoſci, nec tolli idoneis remediis poteſt.

§. XXI.

Colica etiam mortui leguntur, quae fortasſis potius inflammatio inuenta fuiſſet, ſi licuiſſet ſecare cadauer. Forte et Ileum ſuberat. Vidi ſtudioſum interemtum colica 24. horis.

§. XXII.

Alui fluxus, aliis morbis ſuperueniens, niſi id fiat per modum criſeos, et ſiſti non posſit, lethalis eſt. Phthiſis, variolae, pleuritis, etc. ex his ſunt.

§. XXIII.

At pleuritis etiam ſaepe eo ſoluitur.

§. XXIV.

Dyſenteria, niſi in principio obſtes, lethalis euadit: inflammantur enim inteſtina, roduntur que. Vidi etiam inſanabilem, non lethalem, ſed perpetuo durantem: nec vllis remediis cedentem.

§. XXV.

Omnium viscerum inflammationes ſummo cum periculo coniunctae, et plerumque lethales.

§. XXVI.

Vlcera et abſceſſus eorum ſanari neſciunt, niſi ſingulari naturae beneficio, idque perraro.

§. XXVII.

Hydrops plerumque lethalis, et ſi curatur, ſolet tamen recrudescere. Etiam quae ad matulam dicitur, i. e. diabetes, non habet remedia, quae opponas, comprobata penitus.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Haemorrhagiae magnae, et maxime vteri, vitae periculum inferunt, praeſertim puerperarum.

§. XXIX.

Fiſtulae omnes, ſi ſinus egerint, vix curantur.

§. XXX.

Suffocationes vteri graues, quales WILLISIVS dedit, curari neſciunt, et tandem inferunt mortem.

§. XXXI.

Glanduloſae partes exulceratae, difficilem curationem habent.

CAP. VIII.

DE MORBI SALVTARIBVS.

§. I.

Multi morbi ſunt ſalutares, vel lethales, pro ratione cauſarum, ex quibus orti ſunt, illae enim ſunt, ex quibus totus morbus pendet, vt vulnera.

§. II.

Alterum eſt, partis, quae morbum patitur, nobilitas, vt ſi cerebrum laeſum, ſi cor, aut viſcera abdominis, inſanabilia. Sed horum tamen omnium exempla in contrarium. Cerebri ſaepe integra cochlearia plena exemta ſunt, pulmonum vulnera coeunt haut ſemel, hepatis ingens vulnus ipſi ſanauimus, itaque, modo maiora vaſa intacta ſunt, ſaepe a periculo tuta haec vulnera. Vnum cor, etiam non penetrante in ventriculos vulnere, ob motum continuum non videtur ſanari.

§. III.

Omnia vulnera, in quibus nec ligamenta, nec tendines, nec nerui, nec vaſa maiora, nec oſſa, nec viſcera laeſa ſunt, nec glandulae, nihil habent periculi, niſi arma venenata fuerint, aut lacerent, aut maximam contuſionem inferant, vt maiora ſclopetaria, et enſes, aſperitate inſignes.

§. IV.

§. IV.

Neque vlcera, neque abſceſſus ſimplices ſe praebent difficilia peritae manui: at ſi corrupta ſubtus oſſa ſint; cacoethea antiqua, fiſtuloſa, haud ſaepe renuunt.

§. V.

Morbi vniuerſales ex ſanguine, periculoſi, ex ſero, periculo carere ſolent, excepto cancro et hydrope, ſed diuturni et graues. Lues venerea, ſcorbutus, ſcabies, podagra.

§. VI.

Vertigo ex ſe non lethalis, ſed metus eſt apoplexiae.

§. VII.

Deliria omnis generis, cum febre, periculoſa, cetera, nihil periculi inferunt, ſed ſaepe συναποθνήσκουσι.

§. VIII.

Dolor capitis, ſi ex graui cauſa, intus latente, periculo non caret, ſi ex alia, facile tranſit. Quasdam tamen foeminas diutisſime affligit.

§. IX.

Senſuum morbi nihil habent periculi.

§. X.

Labiorum, dentium, gingiuarum et reliquarum partium oris affectus, cancro excepto, et fiſtulis, extra periculum ſunt, difficiles tamen non raro curationes habent.

§. XI.

Pulmonum vlcera, vulnera, inflammationes, vomicae, periculoſa omnia, non tamen ſemper inſanabilia, vt iam ex parte monuimus. Empyema etiam ex ſe lethale non eſt. Hydrops pectoris, cum vix ſolus occurrat, contra.

§. XII.

Tabes dorſalis, et comedones non ſunt metuenda, etſi illa nonnunquam rebellis ſit.

§. XIII.

Aſthma moleſtum, ſed plerumque non lethale; tractu tamen temporis tandem ad perniciem trahit. Vidimus tamen, qui ex itinere per mare grauisſime laeſus, eo interiit, in flore aetatis.

§. XIV.

§. XIV.

Tuſſis et raucedo pro cauſae ratione ſe habent ambigue. *Sputum ſanguinis* repetere ſolet, ſed facile tollitur, aut ſi non poteſt, tranſit in phthiſin. *Haemorrhagia* partium eodem modo ſe habet.

§. XVI.

Palpitatio cordis moleſta, ſed ex ſe non eſt lethalis: At ex polypo, eſt. Eo morbo periit IOH. FRIDERICVS Dux Hanoueranus, in itinere verſus Italiam.

§. XVII.

Oeſophagi tumor curatu difficilis ob locum, quo ſitus eſt.

§. XVIII.

Ventriculi imbecillitas moleſta admodum, ſed caret periculo. Scirrhum ventriculi lethalem vidimus.

§. XIX.

Lienteria, *coeliaca*, *diarrhaea*, haut difficiles, colicus dolor grauis eſt, ſed raro lethalis, nec *teneſmus*, nec *haemorrhoides*, niſi inflammatae, et malum latius ſerpat, nec ani affectus: ſed procidentia cum ani tum vteri neglecta inemendabilis.

§. XX.

Vermium turba exturbatur facile, attamen neglecti exedunt ventrem, inteſtina mordendo vellicant, conuulſiones cauſantur, et inflammationes. Hoc ergo caſu lethales eſſe poſſunt, et ſaepenumero ſunt. Quod infantibus, qui fari neſciunt, magis metuendum, adultioribus minus.

§. XXI.

Nephriticus dolor, niſi magnus calculus obturet vreteres, aut inflammatio renum ſuccedat, idoneis medicamentis compeſcitur.

§. XXII.

Nec *veſicae* (excepto calculo, qui tamen exſcindi poteſt) nec *penis* mala ſunt formidanda, nec ſtranguria, nec gonorrhoea, nec caruncula, nec phymoſis, nec vlcera, ad glandis radicem, etſi mali moris haberi ſolent propter humiditatem loci.

§. XXIII.

Teſtium inflammatio, tumor, &c. Medico praeſtanti facile obſecundat; Sarcocele et Cirſocele nihil magnopere metuendum habent, etſi plerumque inueterati ſint inemendabiles.

§. XXIV.

Vterini morbi, exceptis cancro, fiſtula, gangraena, prolapſu integro, ſcirrho, corrigi poſſunt.

§. XXV.

Nec *menſtrua* non queunt temperari, ſi rite omnia adhibeantur, etſi obſtructa menſtrua ne HIPPOCRATES quidem ſemper curare potuerit. vide SEIDELIVS.

§. XXVI.

Mola tamen periculoſa pariter et hydrops vteri, et teſticulorum muliebrium hydrops et corruptio.

§. XXVII.

Sterilitas anceps: ſaepe aliae, viro nubentes, foecundae fiunt foeminae, priore marito etiam cum alia ante ad generandum non inidoneo.

§. XXVIII.

Morbi cutanei, aliique externi, vt ſcabies, eryſipelas, gutta roſacea, etc. nihil habent periculi, niſi intempeſtiue repulſi.

CAP. IX.

DE IIS, QVI NON PERFECTE CVRANTVR, SED VEL POST SE RELINQVVNT ALIQVID MALI, VEL RECVRRVNT, AC RECRVDESCVNT.

§. I.

Ex morbis ſanabilibus, quidam recedunt omnino, quidam aliqua poſt ſe relinquunt veſtigia.

§. II.

Sunt vero iſta vel ἐπιγεννήματα tertii generis, vel noui morbi, aut ad eos diſpoſitiones, vel cauſae morbificae pars.

§. III.

Ἐπιγεννήματα tertii generis ἀκίνητα ſunt, et remoueri non poſſunt: vt raucedines, cicatrices, aut coecitas, aut oculorum maculae, aut ex metaſtaſi

metaſtaſi in aurem facta auditus laeſio, ex variolis, ex vlceribus, vulneribus, etc. aut ipſa vlcera mali moris, quae tamen etiam ad morbos referri poſſunt.

§. IV.

Nephriticus dolor, *podagra*, *arthritis* vaga, ſaepe aliquot hebdomadum imbecillitates membrorum; febres quoque continuae graues, et intermittentes diuturnae corporis totius, omniumque membrorum debilitatem pediſequas habent. Febres et puerperia capillorum defluuium.

§. V.

Nouos morbos, qui poſt ſe relinquunt morbi, multi ſunt: Ex vulneribus magnis partium atrophia vniuerſalis, et ſi in articulis ſint, et circa tendines, poſt ſynouiam ſuperuenientem, etiam particularis. Deinde et membri, in quo inflicti extitere, mutilationem, vel laeſionem motus ſenſusque.

§. VI.

Idem de *Vlceribus* quibusdam, diuturnis maxime, metuendum.

§. VII.

Nominatim capitis vulnera memoriae, iudiciique imbecillitas, aliquando plenaria omnium rerum obliuio ſequitur, item vt facile temulenti fiant, et hinc ſui impotentes, item Epilepſiam, vel facilem ad eam diſpoſitionem, incurrant. Nouimus quendam, qui ex alto prolapſus cranium diffregit. Exemta ſunt oſsicula, is quoties inebriabatur, epilepſiam incurrebat.

§. VIII.

Vulnera thoracis ſaepe in fiſtulam abeunt. Abdominis cum inteſtinis laeſis, vt haec coalescant intus, et ſtercus perpetuo deinde exeat ex vulnere. Sed haec ad modum euentus quoque referri poſſunt.

§. IX.

Luxationes, ſi non reponantur oſſa, motum laeſum comitem habent; fracturae ſaepe imminutum, vel deprauatum, vel curuum, et deformatum membrum, ſi male conſolidata fuerint.

§. XX.

Partus difficilis, ſi laedatur veſicae ſphincter, vrinae incontinentiam, ſi incaute tangantur ab obſtetricibus, aut malitioſe, vſum partis naturalem amittere poſſunt puerperae, aut anus et vulua in vnum coeunt, lacerato perineo.

§. XI.

Febres continuae per metaſtaſin ſaepe in abſceſſum deſinunt, aliquando membrum in maximum tumorem attollunt, vt crus alterum, quod celebri Ienenſis academiae Profeſſori contigit. Intermittentes diuturnae et male curatae in cachexiam, hydropem; ſputum ſanguinis in Phthiſin; oculorum inflammationes in caecitatem, vel vlcus vel fiſtulam lacrimalem, ſi non rite tractentur, abeunt.

§. XII.

Qui per vices redeunt, illi fere ſunt morbi, quorum cauſa tolli omnis non poteſt: In his ſunt intermittentes febres. Hemicrania menſtrua etc.

§. XIII.

In his cauſis eſt etiam diſpoſitio partis recipientis, vt in Calculo, podagra epilepſia; qui *vel ſtati vel incerti reditus* ſunt; *Alii etiam dubii*; vt redituri ſint, nec ne, incertum ſit: vt Apoplexia, Mania, Deliria quaedam, Melancholia, arthritis vaga, defluxiones ſeu Rheumatiſmi, Eryſipelas.

§. XIV.

Haec omnia praedici poſſunt, expenſa 1.) morbi natura, 2.) aegri diſpoſitione, et 3) materia, ex qua euenit. Diaeta etiam, qua ſaepe morbi magni ſola, ne recurrant, vinci poſſunt.

Haec de morbis ſanabilibus et inſanabilibus, et iis, qui medio modo ſe habent, nunc dicta ſunto.

CAP. X.

DE LONGITVDINE ET BREVITATE MORBORVM PRAEDICENDA.

§. I.

In ante dictis conſtitutum eſt, aegri ſalutem et mortem ex eo potisſimum aeſtimari, ſi vires morbi naturaeue inter ſe collati expendantur, ſic enim, an poſſit ſufficere iſta, et vim oppugnantis morbi perferre, iudicari poſſe. Hoc ergo haut parum ex longitudine et breuitate morbi pendebit, neque parua ſpes eſt in malis magnis, ſi impetum morbi trahendo, aliquis efficere, aut obtinere poſſit, vt porrigatur in id

id tempus, quod curationi locum praeſtet. Intereſt igitur, quamdiu morbus ſit duraturus, medicum cognoſcere.

§. II.

Spectatur autem longitudo morbi tum generatim, multi enim morbi ex ſemet et ſua natura longi aut breues ſunt, vel in ſingulis, ſeu vt loqui amant, in indiuiduo. Longi inde Chronici dicti ſunt, breues autem acuti: de quo diſcrimine in pathologicis prioribus eſt actum: nunc ergo paucis ea recolere licebit. Commonefecimus ibi, acutos eſſe vel peracutisſimos, qui quarto die finiantur, vel criſi ſoluente eos, vel morte interimi aegrum. Peracutos ſeptimo, acutos quarto decimo finiri. Verum apud nos raro contingit ſeptimo, rarisſime intra quartum quicquam fatale accidere. Plerumque intra quindecimum ea mutatio accidit; verisſimumque comperimus HIPPOCRATIS effatum: (a) *Omnem morbum acutum intra dies quatuordecim terminari, praeſertim febres ardentes.* (b) Quod tamen ita perpetuum neutiquam eſt, vt non diutius extrahatur nonnunquam: quin, qui moriantur, plerumque decimo aut vndecimo pereant. De acutis autem maxime, et pene ſolis his auctores hic agunt, quod de iis HIPPOCRATES et GALENVS prolixius egerint, vltro quos ſapere, iis pene religio eſt.

§. III.

Inter acutos autem breuisſimos eſt *peſtis*, quae aliquando paucis horis iugulat: magis autem maligna eſt, quam acuta, cum venenum plus agat, quam febris, et quam celerrime properet ad ſumma. Tam breuis tamen non eſt illa, vt vulgo putatur, id enim ex eo fit, quod infecti in plateis aliquando concidere illico, et exſpirare conſpiciantur. Hos autem non tum demum corripi et interimi, ſed aliquandiu iam circumtuliſſe in corpore venenum, ſenſimque id vires ſumſiſſe, exiſtimandum eſt: etſi vel disſimulauerint, vel non ſenſerint aegrotantes. Praeter vere acutos deinde et alii breues ſunt morbi natura ſua. Breuisſimi ſaepe *Apoplexia*, *catarrhus ſuffocatiuus*, *epilepſia*, quam vidimus virginem decem annorum, antea nunquam eam expertem, intra VI. horas confeciſſe: infantes vero vltra triduum eam non perferunt, ſaepe tot horis e cetu mortalium abripiuntur eae. *Dyſenteria* ſaepe intra octiduum, vel non facile poſt. XV. extinguit aegros ſuos. *Febris* diaria etiam morbus breuis eſt, ipſa notione nominis: Denique et omnes *inflamma-*

(a) *Coac. praenot. t. 153. Lib. 1.* (b) *ibid. 143.*

flammationes viſcerum, febrim continuam comitem habentes, cito iudicantur. Febres intermittentes in ambiguo ſunt, aliquando longi, alias breues.

§. IV.

Longi vero ſunt, et per menſes durant, permulti ceterorum. HIPPOCRATES (c) nominat Phthiſin, dyſenteriam, (non malignam) podagram, in ſenibus nephritin, in mulieribus profluuium album, GALENVS (d) epilepſiam (adultorum) arthritidem, nephritidem. Huc et febrim hecticam, et omnes morbos ἐν ἕξει referas: item longus eſt hydrops, quartana, quotidiana; vt non illos commemorem omnes, qui per viciſſitudines redeunt ſubinde, nec niſi in morte terminantur, quorum magnus eſt numerus: Aſthma, Calculus, et *ſcabies*. Hos omnes tanto magis cognitos habere oportet, quando ne vulgo quidem ignoti ſunt.

§. V.

Haec ex ſe longi: multi vero et per varias rationes, extra ſe poſitas, longi fiunt, pro ratione cauſae, vt *vulnera*, *vlcera mali moris*, aut prauitatis aliquid, vndecunque contractae. Eſt et cum aeger ipſe in culpa eſt longitudinis, vt ſi diaetam non ſeruet. Ratione aetatis: nam ſenes tardius ſanantur, item ſi corpus ſcatet prauis humoribus. Si malo corpus habitu: ipſa etiam, qua durauit iam diu, mora: nam ex ea vires ſumunt nonnulli, quod poeta dixit: *ſero medicina paratur, cum mala per longas inualuere moras*. Vidimus quartanam per viginti quatuor annos iam durantem. Maximum etiam momentum hic affert ipſe medicus pro curandi ratione, quam inſtituit.

§. VI.

Verum iſthaec iam prope ad ſingularia pertinent, de quibus dicendum reſtat. Quando enim medicus de diuturnitate morbi interrogatur, non de eius in vniuerſum natura, verum de eo, qui iam praeſens eſt, ſollicitos eſſe ſciſcitantes, debet aduertere, nec qualis in ſe, ſed quantus in hoc, qui decumbit, ſit futurus, potiſſimum quaeri. Itaque hic eſt, vbi expendi, et inuicem contendere oportet morbi vires et aegri. Si quis enim nouerit morbum, qualis et quantus ſit, quamdiu iam haeſerit, et natura aegroti quid valeat, quam longum tempus ſit habiturus, iudicare poterit.

§. VII.

(c) *Lib. I. de morbis.* (d) *Libr.* Ορoὶ ἰατρικοί.

§. VII.

Magnitudo autem morbi quo pacto ex actionum laeſione, ſymptomatumue grauitate ſit cognoſcenda, iam ante docuimus. Naturae autem robur ex aegri conſtitutione, viſcerum integritate, membrorum firmitate, ſanguinis calore, pulſusque valore, excretionumque, prae ceteris vero vrinae, conditionibus, vt ſciri poſſit, pariter aperui, cui accedit merito aetatis, vitaeque conditionis conſideratio, item et victus.

§. VIII.

Verum et Regio, in qua viuit, et anni tempora, expendenda. Nam ſub coelo frigido, et cum frigido ſanguinis temperamento, morbi calidi multo ſunt mitiores, adeoque et longiores; in calidis frigidi breuiores: quippe cum vehementius oppugnantur. Quod in illis internum agens, calor nimirum, eſt debilior; in his fortior. Hinc materia tardius vincitur, aut citius digeſta cedit.

§. IX.

Addunt doctores, aeſtate morbos breuiores eſſe, acutos praecipue, quae ſtatum tum propinquiorem habeant: temporibus pluuioſis etiam longiores eſſe, ſicco acutiores. Vt autem non negem, aëris conſtitutionem aliquid conferre ad morbos, tanti tamen id non eſſe arbitror, vt magnam adeo attentionem mereatur, niſi enormiter excedat, neque enim in internum calorem tanta vis externo vel humido vel ſicco eſſe, credibile, vt eum vel augeat vel imminuat multum, praeſertim in temperatis regionibus, et vbi inualidi in tectis, et bene munitis aedibus ſeruantur, ab iisque coercere aerem licet, aut corrigere.

§. X.

Sunt tamen morbi nonnulli, vbi plus poteſtatis aëris conſtitutioni conceditur: vt Aſthma, quorum cauſas manifeſto auget, proxime admiſſus. Hi ergo intempeſtiuo aëre et facilius arceſſunt, et plurimum augent malum ſuum, liberius in eum prodeuntes. Nobilem virum noui, ex arthritico, acri hyeme itinere inſtituto, retro actis incumbentibus humoribus, aſthmaticum factum, qui tamen hyemali tempore nunquam non rectius valet, auctumno inclinante, etiam breues paroxyſmos habet, aeſtate vero peius, et calidis menſibus longiores et difficiliores patitur: cum alii contrarium experiri ſoleant. Cauſa eſt, quod hoc aſthma neruinum eſt, vulgo autem notum, humorale.

§. XI.

§. XI.

Qui item multum ſibi indulgent in victu, morbos protrahere, et habere diuturniores, ipſa dictat ratio, et nimis experientia firmat. Nonnulli ita ſunt ad quemuis errorem ſenſibiles, vt vel leuisſimus medicum non effugiat attendentem. Non tamen aeque omnes ita ſe habent, ſed acuti fere tantum, quae exactisſimam diaetam exigunt: vnde HIPPOCRATIS de victus ratione in acutis extant. Eſt autem in aperto, quicquid cauſam auget, morbum etiam longiorem reddere.

§. XII.

Magnitudo morbi etiam longiorem fore praenunciat. Exemplo ſint intermittentes: qui quo longiores habent paroxyſmos, eo et diuturniores et difficiliores ſunt: niſi quod Tertiana exquiſita, qui longiſſimos habet, ſeptimum non excedit, quod ex HIPPOCRATE eſt notum iis, qui non ſpernunt veterum dogmata. *Febres*, quae quotidie eodem tempore reuertuntur, quaeque ſemper pares accesſiones habent, vel per accesſiones increſcunt, longiores eſſe, experientia docet. Continuae autem, quo celerius mouentur, eo ſunt breuiores, quo tardius, longae.

§. XIII.

Haec in vniuerſum de morbis indicia exhibent. In ſingulis quae notari par eſt ſubiungamus. Nam protenus quaedam etiam hic ſigna ſunt, ex quibus vel naturae vires, vel morbi iſtam magnitudinem colligere poſſumus: ex quorum gradu longitudo morbi procedit. 1.) *Actiones naturales* vitaeque principium, ſi debilius adminiſtrentur, citius peruinci, ſi robore polleant, contra magnum quoque morbum pugnare diutius, paruum cito diſpellere poſſe iudicatur. Facit autem indicium pulſus quidem vitae, vrina vero ſanguinis. 2.) *Eiusdem rei nota* eſt, ſi corpus ſibi pulchre conſtat, nec imminuitur. Contra hoc, ſi cito collabitur, et mutatur vultus, vigorque oculorum celeriter, finem vitae adſtiturum ſignificatur. 3.) Abiectus quoque animus, et ſibi vel non conſtans vel deſperabundus, mali morbi eſt, et breuis. 4.) Sudores frigidi longos morbos ſignificant, qui calide ſudant, citius liberantur; niſi tamen in extremo ſint conſtituti, tum enim frigidus ſudor citam mortem adfuturam prodit. 5.) A cauſis etiam προηγουμεναις colligitur aliquid, idque a GALENO, qui *Longos morbos et diuturnos fieri ratione craſſorum humorum, qui concoqui non facile poſſunt, ſed impacti et incuneati in partibus affectis haerent, vt ſcirrhi.* Omnis enim pituitoſus difficilius obſecundat, quam bilioſus morbus.

§.XIV.

§. XIV.

Citius autem morbus magnus naturam debilitatam vincet, quam ſuis viribus pollentem: ergo, ſi ad perniciem tendit, breuior tum erit morbus; ſi ad ſalutem, longior.

§. XV.

Verum et aetas, robur addens naturae, aut illud minuens, vel longiorem, vel breuiorem futurum morbum, indicabit: contra validum enim et robuſtum inimicum fortius pugnabit, et diutius ei reſiſtet in vigore conſtitutus, quam annis conſumtus et fractis viribus. De morborum puerilium terminis egregius eſt *Aph. III. 28.* HIPPOCRATIS. Quo et pertinet quodam modo *II. 39. et 40. de ſenſibus, lib. VI. 6. III. 12.*

§. XVI.

Ad ſenes pertinet quoque, quod iidem affectus in iis longiores ſunt, quam in pueris et iuuenibus; ad pueros vero, ab his acutos morbos diutius ſuſtineri, quam a iuuenibus, vidi illos per menſem ſuſtinere febrim continuam et euadere: vidi et variolis grauisſime laborantes euaſiſſe, quas iuuenum nemo ferret. Hoc non euenit, quod calidum innatum iis ſit magis vigoroſum, ſed quod ſit magis temperatum, multoque humido et glutinoſo immerſum, cum in iuuenibus ſit violentius, et ſerum tenuius, vnde multo cum diſcrimine calidos morbos ſuſtinent. Alii morbi e contrario iuuenibus citius et facilius terminantur, quod naturae vis iis ſit maior, et facilius vincit morboſam materiam.

§. XVII.

Neque poſtremum hic locum meretur genus vitae et modus non modo, quem nunc ſeruat, verum et quem ante ſeruauit aeger, ſiue in victu, ſiue in amictu, ſiue in occupatione: Ruſtici omnes morbos facilius perferunt, conſulendus RAMAZZINI, *de morbis artificum:* In longis praeſertim aegritudinibus id multum confert, quandoquidem credibile eſt, maiorem cauſam eſſe, et aegrius ſuperabilem, ſi cumulauit prauos humores, aut ſi eo vitae genere vſus ſit, quod fouet morbum: vt ſi aurifaber articulari morbo laboret; eſtque apertum, arbitror, plus temporis poſtulari ad illum vincendum, qui altius radices egit, et per multos annos inualuit, quam ſi caſu quodam ac nudius tertius natus ſit: de quo et antea actum §. V.

§. XVIII.

Denique et fiducia aegri, et conſtans animus morbum citius abiget. De quo iam olim HIPPOCRATES monuit, (e) et nos *Libr. de Animi humani affectibus* oſtendimus exemplis, et iam ſupra etiam.

§. XIX.

At paroxyſmi etiam morborum alii breues, in morbis longis, vt febrium intermittentium, et epilepſia adultorum; alii mediocres, vt calculus: alii longi, vt podagrorum.

§. XX.

Alii porro morbi modo longi ſunt, modo breues, prout vel ipſi vehementes ſunt, vel ab aegris, vel medicis tractantur: de quibus fere idem non minus quam acutis valet: nullas eſſe certas praedictiones, neque longitudinis, neque breuitatis. Eaque cauſa eſt, quod nonnulli polliceri audeant, ſe cito ſublaturos, quos alii diu iam ſub manibus habuere; idque etiam praeſtant. Verum tu caue, ne in eo ſis praeceps et temerarius; quod Thraſones facere ſolent, et qui iuuenili imprudentia, et fiducia de ſe nimis inflati, plus promittunt, quam ferunt humeri; aut qui famam quaerunt, et aliorum oppreſſione emergere cupiunt.

CAP. XI.

DE MODO EVENTVS.

§. I.

Modus euentus, vel generatim intelligitur, vbi quaeritur, euaſurus ne ſit, an moriturus aeger? de quo in priori capite VIII. diximus, vel ſpeciatim, qua morte periturus, aut ad ſanitatem qua ratione peruenturus ſit. Nam alius eſt euentus morbi, alius modus euentus. De illo actum, de hoc agendum eſt.

§. II.

Sed Medici de modo euentus ſolliciti, vix in vniuerſum de eo agunt, ſed mox, neglectis ceteris, ad criſin dilabuntur. Neque SENNERTVS

NERTVS

(e) *Primo Prognoſt. et de arte.*

NERTVS acu rem tangit, dum ſex modos euentus nobis offert. Nam morbum in alium morbum mutari, non eſt via, quam ordinariam ſibi elegit natura, ſed caſu fit et incidenter. Deinde, ad ſalutem aut mortem terminari, non huc trahendum, ſed capite ſingulari iamtum, vel ab ipſo etiam SENNERTO perſpectum eſt. Sed quia HIPPOCRATES criſin tantopere vrget, ergo, eum ſecuti coeco impetu, et hoc praecipuum ſibi negotium hic dari exiſtimant, cum tamen eiusmodi criſes apud nos ſint rarisſimae. Itaque nos paulo aliter eam rem proponemus.

§. III.

Si itaque quaeritur de modo euentus, idem eſt, ac ſi quaeratur, ſi euaſurus ſit aegrotus, qua ratione euaſurus ſit, et ſi moriturus, quo mortis genere in vniuerſum, et quomodo ſit periturus. Itaque latius multo patet hoc prognoſeos genus, et quaeri poteſt, non de acutis ſolum, ſed et aliis cum ſanationis modis, tum et mortis. Et de mortis quidem generibus nemo vsque cogitauit: de ſanationis autem aliqui, cum ad vtrumque varia ſit via. Prius autem dicendum, quot modis ſuperetur morbus.

§. IV.

Nonnulli itaque morbi citra manum medici ſponte ceſſant, praeſertim ſi robuſta ſit, et in vigore ſuo conſtituta natura, morbus autem leuior. Cuius rei teſtes quotidiani ſunt ruſtici, et agricolae, qui etiam magnos ſatis ſuperant bonitate naturae. Sed et alii *tuſſes* ſat graues, et defluxiones cum *catarrhis* plurimas citra medicamina vincunt. *Haemorrhoides caecae* non raro vltro deſinunt. *Ephemera* febris ſponte etiam ceſſat, nullo expulſa remedio. *Puſtulae, et abſcesſiui oculorum morbi nonnulli, vt grandines* et ophthalmiae leues, et dolores non pauci tolerando ſuſtinentur, ac tandem ceſſant.

§. V.

Alii ſola diaeta perducuntur ad finem: verum hi omnes tardius, et magnas interim plerumque aegro creantes moleſtias. Notandum et illud, multos conualeſcere ſine medico, ſed non ſine medicina, quod iam HIPPOCRATES animaduertit. (f) Quin noſtris temporibus in publicum prodiit quidam GEDEON HARVEVS, qui conſcripto libro, *de curatione per expectationem*, accuſare medicos non dubitauit praeuarica-

(f) et PLINIVS *L. XXIX.* c. I.

ricationis, dum multa ſuis medicamentis peruertant potius, et curare videri velint, quam curent reapſe.

§. VI.

Alii porro non niſi Medica manu amouentur, idque vel ſucceſſiue, vel ſubito; et qui ſubito, vel manifeſta aliqua euacuatione *ſuperueniente*, vel a medico *procurata;* vt ſi quis in principio acutorum purgante medicamento inſurgentem morbi materiam, antequam perficiatur, corripiat atque exturbet, de quo loquitur HIPPOCRAT. *aphor. I. 24.* *Superueniente* autem, in Criticis excretionibus, vbi tamen plus natura quam medicus praeſtat, qui eam hic dirigit ſolum et gubernat, minus autem agit; at in prioribus illis plus agit ipſe, natura vero eum ſequitur.

§. VII.

Succeſſiue vero recedunt, quorum cauſa vel *diſcuti* ſenſim amat, vel *transmutari*, vel per *epicraſin* euacuari. Illius generis ſunt omnes morbi, quorum ſedes cauſae in neruis, membranis, tendinibus, ligamentis, qui admodum difficiles et diuturni: vt Paralyſis, arthritis, iſchiaticum malum, contracturae. Idque ideo, quia durae hae partes, et frigidae ſunt, nec multum ſanguinis, adeoque nec caloris habent. At in carneis partibus, quae molles et ſanguineae, contrario ſe habet modo. Eadem ratio, quod et oſſium affectus, vt ſpina ventoſa, etc. rebelles ſunt.

§. VIII.

Tales etiam ſunt, in quibus ſanguis admodum deprauatus eſt, aut malum habitum cepit, vbi et alterandus eſt, et quod reſtat praui, educendum per vomitum, aluum, ſudorem etc. Talia ſunt *Scorbutus*, *Lues Venerea*, *Scabies :* vbi non poſſumus vna vice ducere et expellere peccantem humorem, ſi non totam naturam deiicere velimus: ergo ſenſim alterare et corrigere intus oportet. Tales etiam ſunt, in quibus neruoſum illud fluidum in prauam diſpoſitionem actum eſt. Item dicti ideales morbi : vt *Epilepſia*, *hyſtericae paſſiones*, *melancholia*, vbi tamen, quae in Idea, hoc eſt conſuetudine naturae, ad motus prauos inclinante, conſtituuntur, ſaepe in momento curantur, impreſſo alio iisdem motu. Ex uo numero febres non exemptae ſunt.

§. IX.

§. IX.

Sunt ex breuibus, qui itidem ſubito, ſed citra euacuationem ſuperantur, aut peſſundant hominem vt *Apoplexia, paroxyſmi epileptici, hyſterici, Lipothymiae*, aliique, in quibus animalis quaedam actio et facultas laborat. Item Chirurgici caſus nonnulli, vt Luxationes.

§. X.

Nonnunquam morbi mutantur in alios, vt peripneumonia in empyema, vulnera in fiſtulas, qui ſimpliciter ſunt tales, et in eadem parte manent, rurſumque febres continuae per metaſtaſin materiam morboſam in partem aliquam vel ignobiliorem deponunt, et ſanantur, vel in nobiliorem, et moriuntur. *Vide* SENNERT. *Inſt. p. 755.*

§. XI.

Haec omnia praedicimus in vniuerſum quidem ex ipſa morbi natura, quae in pathologia ſpeciali ſatis exponitur. Si quis autem ſingularibus inſiſtat, et de modo euentus ſciſcitetur, tum ex morbi indole, aegrique natura, regione, aetate, excretis et qualitatibus quandoque aliquid exſculpi poteſt.

§. XII.

Sed de mortis generibus etiam pauca dicenda. Mortis genus quidam morbi conſtans et fere perpetuum habent: vt Phthiſici ſemper placidam, et quidem ex eo, quod longo tempore extenuata corpora ita ſoleant ſenſim deficere. Vti et ſenes ideo, qui marasmo ſenili pereunt. Vocant enim hoc medici, ſi quis ſenſim ſic pereat, marasmum. Qui autem crasſi ſunt, obeſique, et multum virium habent, difficilius et cum multa anxietate pereunt. Difficulter etiam, et multum agitati, qui aſthmate, aut aliis pulmonum morbis laborant, aut multa pituita obſeſſas aſperae arteriae ramificationes habent; vt ſuffocatione iis pereundum ſit.

§. XIII.

Ab his longe diuerſum exitum habent acuti morbi, quibus correpti plerumque quidem ſenſim ac ſuccesſiue pereunt, magno cum labore et anxietate, ſenſim deficiente pulſu ac ſpiritu, praeſertim in flore aetatis conſtituti, quales plerumque ſunt, idque propterea, quia aegre vincitur conſtans ſibi natura: pereunt autem vel ſenſim deficiente pulſu, et ſpiritibus, vel conuulſi, atque epileptici: vel ſubrepente ſopore. Quo et apoplectici omnes intereunt.

CAP. XII.

DE CRISI, ET DIEBVS CRITICIS.

§. I.

Cum omnibus medicis celebratiſſima ſit criſis, atque adeo prolixe admodum de ipſa ſoleat agi, neque tamen ea fere perſpicuitate, vt res illa clare pateat; quin et longe aliter haec euenire ſoleant, quam ex GALENO et HIPPOCRATE ab auctoribus tradi, conſueuit, operae pretium faciemus, ſi qualis per experientiam nobis innoteſcit, et quomodo ex vero contingere ſoleant omnia, hic exponamus. Doctrina vero de Criſi ad Pathologiam pertinet, vbi de morbis acutis agitur, et per errorem hic traditur: tamen quia ſic vſus obtinuit, et nos eum ſequemur.

§. II.

Ceterum vocabulum Graecum, κρισις, cum ambiguum ſit, et aeque *excretionem* ac *iudicium* ſignificet, eodem errore atque ratione per Iudicationem a Latinis medicis redditum videtur, atque ἡ νυσος οξυς, *morbus acutus*, cum per excretionem commodius dicatur. Nam priſcis medicis Criſis non erat, niſi quae manifeſta eiectione quadam periculum, in quo aegrotus eſſe videbatur, diſſoluebat. Vt definiri vera definitione poſſit *Criſis: Eſſe ſolutionem morbi acuti, cum excretione manifeſta humoris.* Addi vero iure poſſet: *ad aegri ſalutem a natura inſtituta:* etſi negandum non ſit, haut raro ab HIPPOCRATE et medicis pro iudicatione tali, qualem deſcribunt, poni ſolere, et eſſe quandam inter iudicium forenſe et medicum ſimilitudinem, quoniam vna decretoria hora, quaſi de reo capitis, de homine decernatur, moriturusque ſit, an abſoluturus, dimittendusue, prout natura vel victoriam reportet, vel victa ſuccumbat.

§. III.

Eſt tamen et alia κρισις, ſeu euacuatio, qua itidem praua materia expellitur per cutem, ſed ea minus eſt tumultuaria, minusque nobilitata ac altera illa, quae in diſcrimine ſummo conſtituit laborantem, vt omnia extrema inſtare videantur, haec autem citra omne periculum eſt. Talis eſt expulſio ſcabiei ex parte, magis vero in *Lue Venerea* hoc obuium, maximeque omnium in variolis, morbillis, purpura, aliisque ebulli-

ebullitionibus ſanguinis. Minus tamen propria ea eſt in binis iſtis prioribus: vtpote in quibus natura itidem, quod ipſi graue eſt, in extrema propellit, verum id citra tumultum, aut perturbationem: quare et non tollit morbum, ſed potius abducit in peius. Sed haec quoque poſtrema differunt gradu periculi quam plurimum. Leuiter enim ſanguis efferueſcit in purpura, magis in morbillis, maxime omnium in variolis, nec minore periculo, quam in acutis reliquis, praeſertim ſi ex minoribus illis ſunt, quae confluentes hodie vocantur, quod nomen SYDENHAMIVS introduxit, quem poſtea omnes reliqui ſecuti ſunt. Conueniunt autem inter ſe omnes, quod praepedita, aut retropulſa haec criſis ſit pernicioſisſima.

§. IV.

Cauſa autem tam admirandi motus, qui non fit ſine maxima animi corporisque perturbatione, aegriue graui afflictione et periculo, idque in ſtatu morbi, vbi omnia extrema expectanda ſunt, conſiſtit in quodam ſanguinis efferati conatu, ſeſe a moleſtia, qua agitatur, liberandi: et vero, ſi alicubi erupturus ille eſt, turgeſcentia, qua ſe ab oppresſione atque onere leuare natura laborat; quoquo ergo tum fertur truditurque prae ceteris locis, et vbiubi tenuiorem ac facile ſuperabilem in extremis reſiſtentiam reperit, ibi perrumpit, fractaue quaſi clauſtrorum ianua, effunditur.

§. V.

Illuſtrari haec quodammodo poteſt, fermentatione muſti, ſeu ſucci vuarum, recenter expresſi, et in doliis iam reconditi, vel aliorum naturalium, qua, ſecluſis fecibus, quibus ad corruptionem tendere, ſi permiſta omnia maneant, erat neceſſe, in vinoſum, homogeneum, et duraturum conuertuntur. Sic enim et ſanguis, quacunque tandem de cauſa, impuritatibus ſuis et variis particulis heterogeneis inquinatus, in tumultum et motum inteſtinum actus, turget, et efferueſcit, cuius rei pulſus teſtimonium perhibet. Hoc primus WILLISIVS (a) animaduertit.

§. VI.

Eſt tamen Criſis non vnius generis, aut ſolo ſanguine per nares, vel haemorrhoides (quae fere legitimae hic viae ſunt) perficitur: ſed aliquando per ſeroſas etiam contingit: vt quando vrina, largisſime pro-
fuſa

(a) Lib. de ferment.

fuſa, morbus ſoluitur, vel ſudore, vbertim prorumpente, quod tanto frequentius accidit, quoniam epidemicae et malignae particulae ac contagioſae ſero potius innatant atque inhaerent, quam ſanguini: cum hic ſit alterius, et quidem Sulphureae naturae, vt nunc aiunt, hoc eſt inflammationi idoneus, et calido innato conſeruandi aptus liquor, ſerum autem humido aëreo aemulum, et aqueae naturae, glutine ſuo temperatum. Epidemicae autem aut malignae particulae omnes aëris ſunt ſoboles, itaque in humido aqueo et glutinoſo haerendi maxime idoneae. Haec ergo vera cauſa eſt diuerſitatis, qua natura criſin molitur.

§. VII.

Eſt tamen etiam, vbi per aluum criſis, ingenti copia excrementorum propulſa, finitur. Hoc autem fit, vbi bilis maxime corrupta eſt, aut nimium abundat, et mali ſedes eſt, particularumque ingenium illi maxime conueniens, ei adiungitur: quod vt fit rarisſime, ſic etiam rarisſima eſt iſta per aluum acutorum ſolutio: non tamen omnino non fieri, tertianae exemplo declarabo. Laborabat matrona nobilis tertiana violentisſima, ita vt vltra 24. horas paroxyſmus duraret: vnde cum nuper ex puerperio recens ſurrexiſſet, poſt tertiam ita debilitabatur, vt quartum vix ſuperatura facile iudicaretur. Recurritur ad Chinam chinae, tum non diu inuentum remedium, eiusque binis vicibus Drachmae II. aſſumuntur: expectatur effectus. Non appropinquat, acceſſus ſuſpenditur: cubitum itur. Poſt noctem mediam binis ingentibus ſedibus copiam ſummam excernit bilioſae materiae, ita vt non aliis vix tantum euacuaretur vicibus, febris non redit, ſed ita debilitatam ſe ſentit aegra, vt viuere non amplius poſſe videatur. Expergefactus medicus accedit. Illa, vix amplius ſpiritum trahens cum pulſu exili et ſudore frigido, vocisque amisſione animam agere reperitur, ac valedicere charo marito paucis verbis incipit. Erat ipſe medicus: qui celeriter omnia integumenta remoueri praecipit, vt ſudorem (colliquatiuum iudicans) inhibeat. Interea refrigerantibus cordialibus reficit deficientem: ſiſtitur ſudor, redeunt ſpiritus et pulſus. Altero mane perfecte ſanata, lectum relinquit, niſi quod vires recipiendi grat a ſubinde ſuper illum recupat. Sic China chinae ſtupendo effectu aegram, dum perimere minatur, ſeruat.

§. VIII.

Omnes autem hi criſeos modi tum demum iuuant, ſi iuſto et certo tempore fiant, diebusque praeſtitutis: qui inde dies Critici appellantur,

tur, et ab HIPPOCRATE, vel paulo ante ipſum per experientiam reperti ſunt, varii pro gradu et vehementia morbi, qui inde vel peracutisſimus, vel peracutus, vel acutus ſimpliciter appellatur, vt in pathologicis dictum eſt. Ratio autem eius rei eſt Coctio humoris, ita vocata, quod ſicut in culina certum tempus ad percoquendum cibos requiritur: ita in acutis humor, qui perturbatus ac confuſus inter ſe eſt, tempore opus habet, quo calore et comminutione particularum, quae perpetuo circuitu peragitur, ita ſubigantur illae, vt posſint ſeceſſum facere, reſiduo, quod eſt, ad frugem mox redituro. Perinde ac fermentatio vini non niſi certis diebus abſoluitur, quo facto, partim ſedentibus fecibus, partim per ſuperiora protruſis, vinum nouum ſincerum apparet. Hoc ergo coctionem lubuit appellare, pro ονοματοποιιας libertate, quae philoſophis, omnibusque artificibus in rebus ſuis, nouisque et ignotis ideis occurrentibus permiſſa eſt.

§. IX.

Quodſi vero excretio et protruſio illa humorum fit alio, quam praeſtitutum eſt, die, tum plerumque homo omnibus labentibus in peius moritur, experientia id oſtendente. Inde Criſis vel perfecta dicitur, vel imperfecta: legitima, illegitima: bona vel mala. *Bona* eſt, quae accidit abſoluta coctione, (quidni enim, recte explicata vocis poteſtate, ſeruemus recepta vocabula?) qua facta, actutum ceſſat morbi vis, et natura reſpirat. *Perfecta* eſt, qua materia peccans omnis ſufficienti copia, e corpore eiicitur; imperfecta, qua non tota, ſed eius aliqua tantum pars exterminatur, pars autem praui humoris in corpore retinetur, deficiente in opere natura. *Mala* dicitur, quae infida, et intuta eſt, qua facta, vel nihil percipitur emolumenti, vel parum, mox autem, redeunte morbo, per recidiuam ſpes omnis interuertitur, et paulo poſt tempore aeger iugulatur. *Bona* autem, quae bona fide omnem morbum momento ſoluit, nihil reſtante, quam recuperationi virium debita quiete. *Legitima* tandem illa eſt, quae legitimo die accidit: ſunt autem legitimi dies in peracutisſimis quartus vel quintus, in peracutis ſeptimus, in acutis 14. item, ſi languet magis morbus, vigeſimus, aut vigeſimus primus. Reliqui indices ſunt horum, ſiue praecurſores, vbi oſtendere ſe ſigna debent, criſin legitimo die futuram, per motum aliquem leuiorem naturae, 4. 11. 17. Quartus ſeptimi, vndecimus decimi et quarti, ſeptimus et decimus, vigeſimi index eſt.

Reliqui dies Intercidentes et vacui nuncupantur. Eſt autem eadem bona, perfecta, legitima, neque enim alio, quam critico die bona accidit. Mala autem eſt omnis illegitima, et imperfecta praeterea omnis.

§. X.

Verum haec ſemper ita in Graecia, Aſia, Romae accidiſſe, ſummorum iſtorum medicorum teſtimonia perhibent, monumenta teſtantur: At in noſtris regionibus tam rara haec criſeos genera ſunt, vt ne centeſimus quisquam criſin vere talem, et perfectam patiatur: vt fere ſuperuacaneum ſit, ea diligentia, qua GALENVS, ceterique ſunt vſi, eius rationes ſubire, et ſubtiliſſimis iſtis perquiſitionibus tempus terere. Memorabile eſt, quod excellentiſſimum PECHLINI ingenium, *Diſp. de Haemorrhagia narium* prodidit: artic. VIII. *Diebus criticis oborta haemorrhagia critica iudicatur. Sed nec hodie ibi, vbi tanta dierum criticorum olim auctoritas, neque hic apud noſtros vnquam certa eius rei et perpetua indicia. Soluta nunc legibus natura, aut, ſi mauis, intemperantia noſtra dierum criticorum iugum excusſiſſe videtur.* Vtile tamen, dierum criticorum et reliquorum numerum exacte notare: aliquando enim contingere criſes, non ſinunt nos dubitare obſeruationes etiam noſtratium, ſubinde conſignatae; Praeſertim vero, quae per inſudationem fiunt: nam febres continuae perſaepe ea ſoluuntur, quamuis dies critici non aeque ſemper conſueto olim more obſeruentur. Etenim et regio et ſanguis ipſe in noſtris hominibus temperatior, vt efferueſcere per id ſpatium, quo ibi, non queat, niſi temperatura caloris altius efferatur, quam pro more. Vide tamen SYDENHAMIVM, qui intento digito viam monſtrat, HIPPOCRATIS veſtigiis, quantum fieri poteſt, inſiſtendi. Cui nunc adiungi BAGLIVVS poteſt, qui Medicus Romanus licet, vbi feruidiſſimus eſt aër, fatetur tamen, (b) *Criſes, licet ſint conſtantes naturae motus, variare tamen, prout variae adhibentur medendi methodi, varia anni tempora, regiones, vitae genera ſunt, et temperies aegrotorum. Quin et in ſeptentrionalibus regionibus raro criſes perfectas obſeruari, vt Germani, aliarumque regionum frigidarum medici abunde teſtentur.*

§. XI.

Non tamen ita inique agit nobiscum natura, vt nunquam criſes fiant. Ipſe ingenti copia ſanguinis per nares effuſa iuuenem robuſtum reſti-

(b) *L. II. cap. 12.* quod CENTAVRVS inſcribit.

reſtitui, qui quidem, cum ſiſtere auderem per integrum (quod nunquam fieri ſolet) triduum aliquoties repetentem, nulla arte id potui efficere. Tandem criticum eſſe agnoui. Sed rarum eſt, haemorrhagia morbum ſolui, vnde et ipſe BAGLIVVS eius mentionem non facit, ſed ſudoris, vrinae, alui profuſionis, quae apud nos quoque non omnino infrequentes ſunt, ſudores potiſſimum. At vero vrinae primum perturbatio, dein ſubſidentia, in nulla non febre ſalutaris, ſiue intermittente, ſiue continua obſeruatur, et tanquam ſignum coctionis reperitur: cum ſaepe praeter ingentem copiam, per ſedimentum ſecedentem, nihil aliud ſecretionis obſeruetur. Neque tamen etiam diffitendum, multas criſes, curandi ratione temere adhibita, vel inuerti, vel turbari: quod de ſuis etiam medicis BAGLIVVS conqueritur, vbi tamen longe magis obuiae criſes ſunt: De his poſſum teſtari experientia, quoties hoc fit, in ſummum periculum adduci aegrotum, et vix euitare, quin ſuccumbat.

§. XII.

Cum autem in eo diſſentiant duo maximi viri, SYDENHAMIVS puta, et BAGLIVVS, vt hic in Epidemicis non obſeruari iubeat criſin, in quibus omnem cunctationem eſſe pernitioſam putat, alter vero et his eas largiatur, mea quidem experientia non omnes criſes habere, neque omnes ea carere, conſtat, itaque mos et conſuetudo morbi hic prae ceteris obſeruanda atque ſequenda eſt. Certis enim nonnunquam temporibus, diebusque eiusmodi aliquas mutationes accidere, compertum eſt. Vti ante annos circiter VIII. talis epidemica continua hic loci communis per aluum ſoluebatur quam frequentiſſime.

§. XIII.

Ceterum varia criſis perficitur, pro varia diſpoſitione humorum. In plethoricis enim, et vbi *ſanguis* nimia abundantia ſe ipſum accendit, dum calore efferatus, plus occupat ſpatii, vbi ad ſummum elaſtica vis perducta eſt, quam inuenit facillimam viam, per eam erumpit, vt iam ante monui. *Serum* vero tum ſolet ſecerni, vbi inteſtino pariter et externo motu, quaſſationeque attenuatum, et ex glutinoſis, quibus inhaerebant, reliquae particulae deprauatae excuſſae ſunt: quae deinde cum vrina ſecedunt. Vbi autem *ſudor*, vel initio a medico, vel die critico a natura expellitur, tollit morbum, quia ſimul fermentum eli-

minatur, quod in illo natat, vel aliae particulae epidemicae aut malignae, et hae quidem ſaepe ſub initio, crudaeque, eiiciuntur. *Vomitu* etiam, ſi ad ſtomachum per glandulas gaſtricas, aut bilioſam cyſtim mittatur, ſecedere ſolet. Natura enim ex arbitrio agit, prout vias has, illasue faciliores inuenit, quoue humoris et particularum modi viis his illisue magis idoneae ſunt: vel *inteſtina grauans* materia per hepar et pancreas ſuccedit.

§. XIV.

Non ergo Lunae curſus, non aſtrorum conſpiratio criſeos cauſa eſt, prout ſomniant Iatromathematici, ſed habet natura ſuas leges, quibus, vt poma, pyra, vuae, ſic et humores noſtros, certo tempore ad maturitatem perducit, excutit. Quod ſcire, ſufficere poteſt ratione vtentibus, idque indicat verum eſſe, quoniam perpetuum non eſt, criſin fieri, ſed permulti morbi citra illam omnem deſinunt, taciteque discusſi finiuntur. At eiusmodi aſtrorum influxus vbique iidem ſunt, et perpetuo deberent fieri. Cecidit etiam dudum dierum criticarum certitudo, quod praecipuum erat theſeos firmamentum, nam incertam rem eſſe, iam *Aſclepiades*, et *Celſus* nos monuerunt, et diebus non criticis ſolutas acutas febres teſtantur. Quin et ab ipſo SENNERTO ex HIPPOCRATE et GALENO aliqua exempla recenſeantur criſeos, diebus non criticis factae, et nihilo minus bonae et ſalutaris. pag. 757. 771. 772. 793. Tamen in eo multum et operoſe laborauerat SENNERTVS. Itaque cum criſis non omnibus acutis accidat, ſed pleraeque febres per vrinam ſoluantur, ſolaeque in ea hypoſtaſi apparente, ceſſent, contra nulla apparente, plerumque lethales ſint, quid Lunae, quid aſtris hic negotii foret?

§. XV.

Quin imo vidimus epidemicarum genus, quod etiam talem non habuit, ſed ſenſim vrina, ex nonnihil rubra ad naturalem ſtatum reuertente, citra vllam aliam mutationem reducebatur ad priſtinum, et febris ſuccesſiue ſic recedebat. Quod quia rarisſimum, hic annotare volui. Erat vrina paulo vltra aurantiorum colorem ſublata, indeque ſenſim, ſine vllo ſedimento recedebat iterum ad naturalem, tenuis ſemper et clara. Eſt etiam, vbi ſingulis noctibus ſudor in morbis iam victis, ſed grauibus, erumpit, ſenſim a ſupremis ad infimas partes eodem

dem ceſſante: vt prima nocte totum corpus, altera, exemto capite, tertia, pectore, quarto ſoli pedes et quidem integri, quinto crura, ſexto ſoli pedes extremi inſudarent. Quale quid mihi ipſi poſt febrim malignam contigit. Vidi vero etiam tertianas ſic ſolutas; vidi per μεϑαςασιν in parotides glandulas propulſam materiam; verum haec aliena ſunt.

§. XVI.

In Epidemicis et communibus morbis praedici poteſt exitus, qui plerumque eodem modo in omnibus ſolet contingere. In ſporadicis vero nonnunquam criſis accidit, et praedici poteſt, ſed plerumque nulla accidit, pro ratione cauſae, temperamenti, cum aegri, tum aëris. Aliquando licet eam anteuertere prouidentia, nedum peruerti imprudentia medicantium. At in malignis admodum etiam non critico die accidere criſin, credibile, quia fermentatio ex maligna cauſa et rebelli excitatur, quae non audit naturae praecepta, cum fortuita ſit: talia autem legibus non obediunt. Itaque in extreme malignis nihil certi expectandum, vnde et ſine mora et intermisſione medico aduerſus eum aſſidue pugnandum: vt in peſte.

§. XVII.

De cauſis autem dierum criticarum poſt ea, quae §. XIV. dicta, prolixior non ero: Plane aberrant a vero, quicunque eas extra hominem quaerunt. Sunt enim in humoribus, id eſt in ſanguine, et modo fermentationis febrilis vnice quaerendae, fiuntque omnia ex legibus naturae cum vniuerſae, tum humanae. Quod qui non vident, nihil ſane vident. Itaque in febribus recte ordinatis dies critici praeuideri, et praeſagiri poſſunt, in reliquis, malignis praeſertim, nec praeſciri nec expectari.

CAP. XIII.

DE SIGNIS CRISEOS.

§. I.

Poſteaquam criſeos rationem omnem ſatis diligenter excusſimus, idque in hoc, vt praecognoſci posſit, etiam ſigna, ex quibus colligi poteſt, tradenda-ſunt. Primum autem ſciendum, an criſis euentura ſit, ſecundo loco, quando, et denique qualis illa ſit futura.

§. II.

FVTVRAM eſſe oſtendunt, Primo ipſa morbi indoles: neque enim aliis, praeter quam acutis contingere ſolet: quales ſunt. 1.) Febres continuae acutae, 2.) Epidemicae, 3.) Pleuritis, 4.) Peripneumonia, 5.) variolae et morbilli, et purpura. Omnes hi morbi febrim continuam comitem habent, eaque opus inſtitutum proſequente, iudicantur. Deinde, cum febres continuae non ſint eiusdem indolis, adeoque criſin aliquae etiam nullam patiantur, quaenam paſſurae ſint, ex ſignis coctionis maxime omnium et certisſime coniicitur, ſi diebus indicibus accidant, vt ſi in vrina quaedam mutatio, nubecula nempe aut conturbatio apparet. Porro et robur naturae conſulendum, nam citra iſtud criſis nulla accidit: robur hoc autem tum ex omnibus actionibus bonis, tum maxime ex pulſu colligitur, frequenti et celeri quidem, ſed vi ſua pollente ac forti, vsque ad tempus criſeos.

§. III.

Indices autem dies, ſi criſis decretoria inſtet, cum ſymptomatis grauioribus, anxietatibus, perturbationibus animi et humorum, tum et coctionibus in vrina, produnt ſe. Quando enim conturbatio in vrina indicatorio die apparet, proximo huic critico die criſis fit. Quae doctrina ab HIPPOCRATE exculta, a SENNERTO deſcribitur, et explanatur. Verumtamen hodie rarisſimae hae obſeruationes nos fideliter inſtruunt, ſed etiam, his non apparentibus, criſis contingit. Sed et 5.) antecedens victus ratio, et 6.) locus, vbi viuit aeger, et 7.) aëris conditio, et 8.) conſtiutio anni, et 9.) aetas, vix enim vnquam ſenibus criſis accidit, et 10.) temperamentum (non ſane tam facile frigido euenit) haut parum ad criſin vel promouendam vel ſuſpendendam conferunt:

runt: neque ſudor ſalutaris, nec vomitus, nec alui deiectio nec tumores poſt aures, nec ſanguinis profluuia ante coctionem apparere ſolent, nec vnquam vllus alius morbus criſi ante coctionem ſolutus eſt. (a)

§. IV.

His indiciis conſtat, futuram eſſe Criſin. QVANDO autem futura ſit, ipſi dies medicatorii et ſigna coctionis perhibent. Nox etiam antecedens criſin, turbatior eſſe ſolet, non bonae ſolum verum et malae: neque natura, ſibi conſtans, ſine renitentia et pugna proſternitur. Tum enim de vita et morte quaſi certant. Pulſus ergo inaequalis, modo magnus, modo cedens, intermittens, laborans, terrere non debet medicum, cetera bona ſi ſint, tempus puta, locus, et paulo ante praecedentia. Proxime autem inſtantem et iam adfuturam criſin optime GALENVS deſcribit (b) ex HIPPOCRATE. Ceterum certius praedicitur, non niſi perfecta futura criſis,vbi omnia ſigna bona apparent; incerta eſt imperfecta et praua, quia extra naturae leges nihil certi promittere poteſt.

§. V.

QVALIS denique criſis futura, difficilius exiſtimatur: vtrum nempe per ſanguinis e naribus fluxum, ſudorem, vomitum, largam alui depoſitionem, vrinam, vel per metaſtaſin in locum corporis ignobiliorem deponenda ſit praua materia. Eaque vero vel perpetua eſt, qua membrum quoddam in omnem futuram vitam corrumpitur, quale quid accidit illi, qui ex febre continua crus quadruplo amplius altero portauit, et ſi quis caecus aut ſurdus fiat, quod nonnunquam contingit. Vbi tamen fortasſis ſufficere poteſt, iterum monuiſſe, frequentisſime per ſudorem, raro reliquis excretionibus vel ſecretionibus criſin his regionibus contingere.

§. VI.

Si tamen aliquando id futurum eſt, ſigna quaedam peculiaria habet HIPPOCRATES, ſed quae tamen vix apparere ſolent ſingula: vt labii tremor, *vomitum* praecedens, fulgor ante oculos apparens, et rubrae maculae in futura *haemorrhagia*, item rubor faciei, dolor capitis tenſius, et pulſans, obtuſio ſenſuum, internorum et externorum, oculorum illa-

(a) GALEN. *de Criſ. I.* (b) *III. Criſ. c. 1.*

lacrimatio, praecordiorum tenſio, anxietas, aurium ſonitus: *Sudorem* futurum eſſe indicat, ſi aluus et vrina ſupprimatur, pulſus mollis ſit et vndoſus, non durus et ſerratus. Rigor etiam paulo ante criſin accidere aſſolet. In mulieribus, quibus *per vias menſtrui fluxus* erupturus eſt ſanguis, neceſſum eſt, vt menſtruum tempus inſtet, ſic enim facile natura, adſueta ad has, per eas ſe exonerat, lumborum quoque tenſio tum adeſt: ad *haemorrhoides* adſuetus, per eas excernit ſuperfluum, quae omnia ex aegro exquirenda ſunt, vt eo facilius ex iis Medicus coniecturam faciat. Deinde, ſi *per aluum criſis* futura eſt, flatus, et ſtrepitus in inteſtinis, murmura et ventris tenſio atque inflatio oborientur, et mox deiectiones euenient.

§. VII.

Reliquum quod eſt, bonae et malae, legitimae et illegitimae criſeos ſigna, perfectae et imperfectae his fere ſponte iudicari poſſunt: ſi nempe die critico, ſi ſignis coctionis et indicatoriis praecedentibus, ſi largiter, vt ſufficiant, ſi denique cum ευφορια contingant, et mox pulſus ad priſtinum redeat ſtatum ac naturalem, ſi omni anxietate exſoluatur agrotans, et ad ſe redeat; Haec omnia prolixiſſime SENNERTVS, et plane ex mente veterum, exponit: verum ea omnia hac luce et conditionibus noſtrae regionis, temperamenti, aëris vix eſt operae pretium, tam curioſe expendere. Sciri tamen et memoria teneri, digna ſunt: nam et ea, quae raro accidunt, ſi accidant, medicum fallere, indignum eſt.

PATHO-

PATHOLOGIAE VNIVERSAE
APPENDIX

EPISTOLICA DISQVISITIO

DE

PVLSV

ANNO MDCXC. HELMSTADII EDITA

NVNC VERO REVISA

ET DENVO HIC SVBIVNCTA

VBI

OMNIS EIVS RATIO

AD MECHANICAE NATVRALIS LEGES

TRADITVR

ET SIMVL

VARIORVM DE PVLSV DOCTRINAE

EXAMINANTVR.

PATHOLOGIAE VNIVERSAE
APPENDIX
DE PVLSV.

§. I.

De pulſu plurima dubitari poſſunt:

1) *Quis eum repererit, et quo tempore innotuerit?*

2) *Quid ſit, et quae eius natura, quaeue ac quam varia eius ratio?*

3) *Quid indicet, et quae ſciri de morbis per illum poſſunt?*

Primum non adeo magni momenti eſt, ſcitu tamen iucundum et elegans, illis praeſertim, qui inter Medicos χαριεντες nomen ſuum profitentur. Et quoniam his maxime pulſum pernouiſſe neceſſarium eſt, quippe qui vnice per omnem vitam circa humanum corpus verſantur, eiusque habent curam, nullum eſt dubium, iis primum innotuiſſe. Non autem exiſtit hodie in iis auctor HIPPOCRATE COO antiquior, neque excellentior, vt omnibus conuenit: adeoque annon is etiam illum habuerit cognitum, ſtatim hic quaeritur. Quod non modo negari non poteſt, quum in ſcriptis ipſius aliquoties eius mentionem faciat (a): verum etiam eum primum vocem *Pulſus* (σφυγμȣ) arti intuliſſe, docet GALENVS (b). A quo diſſentit LVDOVICVS

 MAR-

(a) *In Coacis praenotionibus* meminit Pulſus in Collo, in febribus obſeruandi; itemque in *Libro de Diaeta* ait: φλεβων διαφυζιες, και διαπνοιης πνευματος καθ' ἡλικιαν, και συμφονα, και διαφονα, και νοσȣ, και ὑγιειης συμεια cet. De morbis mulierum, quum Lochia ſubſiſtunt, dicit: Σφυγμοι βληχροι, και ὁτε οξεες, αλλοτε αἱρομενοι, αλλοτε ελυποντες. Imo in febribus acutiſſimis, IV. Epidemicorum, *pulſum eſſe magnum et frequentem*, πυκνοταῖȣς και μεγιςȣς, teſtatur. Quae loca adducit IOH. FLOYERS in Pulswath. Inſpice etiam BELLINVM circa finem de pulſibus, vbi plurima loca ex HIPPOCRATE cumulauit.

(b) De Differentiis Pulſuum Lib. I. cap. 1. *Omnium inquiens, quorum ad nos memoria peruenit, princeps* (primus) *arbitror nomen pulſus HIPPOCRATES litteris prodidit.*

MARCATVS, Patauinus Medicus (c), vbi: *ſcripſit* GALENVS, *veteres ante* HIPPOCRATIS *aetatem pulſus nomen ignoraſſe; ſed vt mea mens eſt, non frequenter eo vſos fuiſſe; tempore tamen* HIPPOCRATIS *inualuiſſe magis, et ob id illi fuiſſe tributum primo, et ſic dicimus, omnium primum illud ſcripſiſſe.* Sed nulla ratio eſt, cur MERCATO potius, quam GALENO credamus in re, de qua hic longe certius teſtimonium adferre poterat, iſte nullum. Propior enim GALENVS iſtis temporibus poterat veterum ſcripta legiſſe, et radices eorum inſpexiſſe: quod ſane non licebat MERCATO, qui id mera coniectura ſic putat. Neque vlla cauſſa erat GALENO, quare id falſo veteribus adfingeret. Eſt potius veroſimile, vt alia naturae arcana, ita et pulſum Medicos per iſta initia latuiſſe, aut non ſatis fuiſſe perſpectum, etiamſi perciperet nonnunquam, quod intus palpitaret. Neque enim fas erat, inciſis corporibus viuentibus, ſcrutari, quid eſſet, vt proprio nomine inſigniretur, nec vlla poterat ipſis incidere ſuſpicio, arterias ita pulſare, quas nihilo magis habebant perſpectas.

§. II.

HIPPOCRATIS vero quantumuis tot ac tanta exiſtent teſtimonia, longe illi rerum Medicarum, corporisque humani peritioris non tamen plenam, ſed valde inperfectam, de pulſu ſcientiam fuiſſe, ipſa, quae laudauimus, loca recte expendentem facile poſſunt perſuadere. Vnde GALENVS etiam eodem loco eum, *quamuis non videatur ignarus artis, quam complectitur, tamen hanc artis partem reliquiſſe iutactam*, ait, *neque cuilibet arteriarum motui hoc tribuiſſe nominis,* Nimirum nec vnde proueniat venarum, vt ait, pulſus, perſpectum habebat, et, ſi cordis ſtructuram non ignoraret, (d) nec duplex eſſe earum genus, pulſabile, et placide labantem ſanguinem vehens, ipſi ignotum fuiſſe videtur: neque dubium eſt, quibusdam antiquis aliquando obuium factum, qui tamen, quid eſſet, neſcirent, adeoque nomen ipſi imponere nondum poterant. Dignum quoque notatu, HIPPOCRATI neque in Aphoriſmorum opere, neque in prognoſticis, in quorum vtroque de morbis acutis exacte et diligentiſſime tradidit, pulſus nusquam mentionem fieri. In epidemicis vero (e) ſcribit quidem: *Si in hypochondriis pulſus inſit*

(c) De pulſibus Lib. I. tr. I. (d) vid. Librum de Corde. (e) II. Epid. *Ἐιδε και σπυγμος ἐνειη εν τω ὑποχονδριω* (FOESIVS in praecordiis reddidit.)

inſit, perturbationem aut delirium indicari: at ibi naturali lege pulſus numquam eſt, niſi quum forte inflammatio hepatis ſubſit. De cetero pulſum non niſi paucis in locis ac partibus corporis eum obſeruaſſe, animaduertimus, in quibus carpi nulla fit mentio, ſed colli, capitis (interni reor in cerebro) temporum et brachii, vbi dicitur eſſe ſignum Maniae, quod forte in carpo fuit, vbi admodum eſt vehemens: temporum vero Libro de Flatibus. Sed ibi tam obſcure loquitur, vt ſatis adpareat, quam fuerit tenuis ei pulſus cognitio: cum exiſtimet, ab obſtructis a flatibus arteriis eum prouenire; vt hinc adpareat, non temere GALENVM prodidiſſe, non cuilibet arteriarum motui id nominis tribuiſſe.

§. III.

Poſt HIPPOCRATEM PRAXAGORAS et HEROPHILVS potiſſimum doctrinam de Pulſibus excoluerunt: ſed de his nihil hodie reliquum nobis eſt, praeter ea, quae GALENVS inter ſua conſeruavit. HEROPHILVS autem ſubtilius, quam opus erat, doctrinam illam coluiſſe accuſatur, *in muſicos pedes iis deſcriptis, per aetatum gradus*, vt loquitur PLINIVS: itaque etiam *nimiam propter ſubtilitatem deſertus fuit*, eodem memorante. Operae pretium forte eſt, ipſum audire: nam forte aliquid in eum locum monendum eſt. Sic ait: (f) *Arteriarum pulſus in cacumine maxime membrorum euidens, index fere morborum. In modulos certos, legesque metricas, per aetates, ſtabilis aut citatus, aut tardus deſcriptus ab* HEROPHILO, *Medicinae Vate, miranda arte, nimiam propter ſubtilitatem deſertus: obſeruatione tamen crebri aut languidi ictus gubernacula vitae temperat.* Vbi id primum animaduertendum eſt, PLINIVM perperam et obſcure transtuliſſe haec ex graeco, in quo exſtat *ἐν τοῖς ἄκροις, in extremis partibus corporis*, non autem in *cacumine*, quod nemo intelligit: ex quo PLINII ſcribendi ratio ſimul patet, et quam non ſemper, quod in graeco eſt, bene reddat. Ex quo colligitur, et ſequentia, quae itidem plana non ſunt, ſed intricata, eodem vitio laborare. Videtur autem illa deſcriptio in modulos legesque metricas de rythmo intelligenda, de quo poſtea videbimus. Quod ſi ita eſt, profecto non ineptum quidem, attamen an Natura hos modulos ſeruet, merito dubites, etſi poſſint occurrere. Itaque non videtur neceſſe, vt per omnia hic ſectemur Muſicos, aut metra. Nam vbi preſſa eſt

(f) Lib. XXIX. cap. I. et Lib. XI. cap. 37. in fine.

Natura, et ſub iugo, non poteſt regulas certas ac leges obſeruare. Recte itaque hoc loco HEROPHILVM poſteriores deſeruere. Interim crebrum et languidum pulſum male etiam PLINIVS componit: crebro quippe rarus, languido fortis et robuſtus potius opponitur. Sed redeamus in viam, dicamusque potius, multos nihilominus HEROPHILVM ſecutos, Sectam Herophileam conſtituentes. Nec dubito, ipſum GALENVM multa de pulſu ab HEROPHILO eſſe mutuatum; qui ita poſtmodum artem illam excoluit, vt nemo quicquam potuerit addere: quin potius idem, quod HEROPHILVM, fatum ipſum manſiſſe, infra adparebit, multaque nimis ab eo ſubtiliter nimium disputata reſcindenda eſſe videntur. Quod vt adpareat, ipſius pulſus natura potius, quam auctorum ſententiae excutiendae ſunt: ad quod nunc accingimur. Sit autem.

DEFINITIO I.

Pulſus, qui in partibus corporis quibusdam, Carpo maxime, admotis digitorum apicibus, aut pollice percipitur, eſt palpitatio arteriae, repetitis perpetuo vicibus in eos momentaneo quodam motu incurrens.

Tametſi et alibi percipiatur pulſus, in temporibus maxime, regione ipſa cordis, in collo, vbi arteria Carotis externa aſcendit, ſaepe et oculis cernenda, tamen Medicis Carpum potius, quam alias partes tangere vſu eſt, propter opportunitatem loci, qui hic nunquam non obuius eſt, quum alibi veſtitus inpediat, alibi prohibeat pudor. De his omnibus conuenit, vt non opus ſit pluribus. Interim euolui poteſt GALENVS. (g)

DEFINITIO II.

Palpitatio eſt motus, quo aliquid obtectum intus attollitur et remittit.

Quum itaque pulſus ſit palpitatio arteriae, quae in locis, cute tectis, admotorum digitorum pulpam ferit, palpitatio autem ſit motus quidam, ex quonam motus genere, et quid ſit, quod ita ſe moueat, et palpitet, primo loco definiendum erat. Compertum autem iam dudum id nobis per anatomen.

PROPOSITIO I.

Motum hunc eſſe arteriae, ſubſultorie ita in digitos incurrentis.

Et hoc quidem iam inde ab antiquiſſimis temporibus notum, ac forte

(g) De Differentiis Pulſuum Lib. I. cap. 1.

forte HEROPHILO primum deprehenſum, vel Praeceptori eius, PRAXAGORAE, vel AEGIMIO VELIENSI, indeque ad reliquos translatum perpetua traditione.

PROPOSITIO II.

Motum hunc arteriae non eſſe proprium, ſed ab impulſo à corde in ejus cavitatem ſanguine pendere.

Haec quidem aſſertio iam olim ab antiquisſimis usque temporibus controverſa fuit. Legimus enim ap. GALENUM (h) Praxagoram modo nominatum, et Photinum aſſeruiſſe, arterias propria virtute moveri: quos ibi refellit Pergamenus, et facultatem iſtam ipſis a corde communicari ſtatuit; non quod immittat ſanguinem, ſed quod arctisſime cum eo arteriae connectantur, eo modo, quo tremorem corporum videmus per continuatas vibrationes ad finem decurrere. Quod ita GALENVS credere inductus eſt, quia ſanguinis motum ignorabat, viderat autem, ſectam arteriae partem, vel filo ligatam poſt ligaturam non amplius pulſare. Tertiam ſententiam vir incomparabilis GVILIELMUS HARVEUS invexit, moveri a ſanguine. Omnium vero antiquisſimam illam recoxit nuper THOMAS WILLIS (i) Arteriae fibras circulares carneas adſcribens, quibus moveatur. Verum cum has fibras carneas praeter ipſum conſpexerit nemo, neque ego tam linceus ſim, vt in neruoſa membrana, vel (quod iubet fieri WILLISIUS) poſtquam in calidam etiam aquam iniecta eſt, diſcernere eas queam, poſſetque iis ſine omni incommodo natura carere, vt iamiam patebit, merito exploditur inanis et nimis ſollicita iſthaec eius ſapientia.

Non moveri ergo ex ſe arterias plane conſtat, idque binis praeterea robuſtisſimis argumentis vlterius firmatur, quorum alterum eſt meum: Quiquid in corpore fibra muſculoſa deſtituitur, id non habet in ſe vim ſeſe movendi. Nam praeter hanc nullum inſtrumentum motus natura animalibus concesſit: tali autem manifeſto arteria deſtituitur. Alterum a Galeno mutuo acceptum, et relicto corde, ſanguini aptatum: eſt autem tale: Quicquid fluido quodam impulſo, ſimili porſus ratione cum illo pellitur, eo ſublato, tali impulſu caret, reſtituto, in eum reſtituitur, illi non poteſt aliunde, quam ex hoc fluido

(h) *Libr. XVII, de Placitis Hipp. et Plat, c. 7.* (i) *Pharmaciae Rationalis Part. I.*

fluido motus iſte accidere. Contingere autem hoc in arteriis non Galeni tantum experimento diſcitur, ſed tam eſt manifeſtum, vt languidius etiam contracto corde, ita vt ſanguis fortiter allidi arteriae non posſit, nullus pulſus ſentiatur: quod iamdudum laudato quoque HARVEO eſt notatum (k) His accedit, quod citra vllam arteriarum propriam actionem tam diaſtole earum, quam ſyſtole accidere queat: prout ſequente propoſitione oſtendetur. Nulla ergo eſt fibrarum iſtarum necesſitas, imo nulſus uſus: nihil autem fruſtra natura conſtituit. Quae omnia convellendo nov-antiquo illi WILLISII dogmati abunde forent idonea, niſi inſpectio rei veritatem ſola patefaceret.

PROPOSITIO. III,

Habet itaque ſangvis ſe vt inſtrumentum, arteria vt mobile, ſeu motum, cor vt agens primum, et praecipuum.

Diſcendum itaque nobis primum erit, et perquirendum, quid ſit arteria, tum, quomodo ſanguis pariter et cor illam agitent. Quibus perſpectis, ex legibus mechanicis erit is explicandus; quae vnica eſt in talibus ad ſcientiam via.

PROPOSITIO. IV.

Arteria eſt corpus molle, tenſum tamen, indeque flexile, reſiliens.

Id quod ad ſenſum patet, et prius quidem a GALENO etiam notatum eſt, (l) ubi ſic per Linacrum interpretem loquitur: *Iam ex eo quoque inventionis difficultas oritur, quod poſt mortem non perinde vt venas, ſic etiam arterias in ſe recidere videmus. Illae vt primum vacuae ſanguine ſunt, prorſus in ſeipſas ſidunt, ita vt ſuperna earum tunicae pars cum inferna committatur, arteriae ſemper diſſidentibus cernuntur partibus.* In quam rem elegans, quod ſequitur ibidem, dubium afferre ſuperſedeo, etſi legi mereatur. Sed et poſterius, quod mireris, eidem perſpectum, ab animo tamen occupato neglectum et praetermiſſum eſt. Locum deinceps adferemus, contenti monuiſſe interim, quod ipſum ex priori ſponte conſequitur. Quia enim eſt mollis arteria, neceſſum eſt etiam, ſit flexilis, cedatque irruenti: tenſa vero etiam cum ſit, ſimul eſſe reſilientem oportet: ita enim exigunt naturae leges. Et vero ita eſſe, ad oculum patet, diſſecta quauis magna arteria, quae vel

(k) *de Motu Cord. et Sangu. cap. 3.* (l) *Lib. de Vſu Pulſ. c. 5.*

vel in rotunditatem flexa, vel in latitudinem explicata, nunquam non reſilit, et ad canalis formam redire illico nititur. Vnde patet, etiamſi fibris circularibus carneis eſſent inſtructae, ad WILLISII mentem, inutiles tamen eas fore, cum rigida eiusmodi corpora in anguſtiorem formam cogi, comprimive non poſſint, niſi eodem, quo ſtringuntur, momento ſimul extrahantur in longitudinem, quod in arteria fingere, nimis abſurdum eſt.

PROPOSITIO. V.

Sanguis eſt corpus fluidum, a calore plurimum expandi, eove ceſſante, in ſe conſidere aptum.

Hoc ita ſe habere, vel oculorum fides quemvis docet, qui turgentes in extremis, ubi magis conſpicuae ſunt, venas, ſi incaleſcant, intuetur, quae ex adverſo refrigeratae, non minus, ac ſi magna ſanguinis pars ſubtracta eſſet, contrahuntur. Tanta enim haec eſt diverſitas, vt calamum exequantes ſcriptorium, mox filamenta referant, nulla interea contingente evacuatione ſenſibili. Huius aſſerti vſus in pulſus magni demonſtratione patebit: interim hic obiter meretur notari, quod ex dictis fluit: venas ſcilicet non minus, quam reliquas partes membranaceas dilatari et ſponte conſtringi idoneas, ſanguinis refluxum haut parum compreſſione ſua promovere.

PROPOSITIO. VI.

Cor eſt muſculus ſui generis, in id conditus, vt perpetua vicisſitudine recipiat ſanguinem et expellat, in cuius contractione, parietibus undique ad ſe accedentibus, tahlami eius, eiecto omni ſanguine, euacuantur, laxatione facta implentur.

Quae propoſitio, plura licet contineat, nemini tamen non artis perito ignota aut obſcura eſſe non poteſt. Omnia enim iſta cum admirabilis idem HARVEUS, tum et LOWERUS certisſimis rationibus evicerunt, a quorum placitis ne latum quidem vnguem recedo, muſculum ſui generis aſſerens: ſtructuram enim ſpectavi, quae talis equidem eſt, qualis nullius alterius muſculi occurrit.

His, tanquam certis et indubitatis principiis, quae nobis ſint loco definitionum, ſtabilitis, quo conſtet, quid ſingula agere vel pati idonea ſint, ſubiungamus iam axiomata quaedam, ex intimis natu-

ralis illius mechanicae legibus depromtis, quibus cognitis, demum de pulſus natura, ſi non omnia, pleraque ſaltim exactisſime conſtabunt. Et primum quidem id certum et indubitatum arbitror:

AXIOMA. I.

Cum pulſus ſit motus, quicquid de motu in vniuerſum aſſeritur, id etiam de pulſu concedi oportere: quicquid vero de illo nequit affirmari, nullo etiam modo huic eſſe adſignandum.

Quod ſane in propatulo eſt omnibus, vel ex Logicorum notisſima illa lege, qua docent, omne id, quod de genere dicitur et affirmatur, etiam de ſpecie, ſub eo comprehenſa, ſecure credi poſſe, et contra. Et eſt quidem hoc natura notum, nec facile eos, qui literis vel tantillum navarunt operae, poteſt latere: adeoque de motu quoque admittendum eſſe, nemo poterit dubitare.

Cum autem motus plurima ſint genera, conditiones autem etiam pro cuiusvis natura admodum diverſae; illud cumprimis explorandum iam nobis incumbit, ad quodnam horum pulſus pertineat, et quo modo peragatur. Igitur ſi omnia, quae ad hunc concurrunt, ſatis expendimus diligenter, varia illa eſſe, multumque inter ſe diverſa, nec unum motus genus nobis exhibere deprehendemus. Alius ſane eſt cordis motus, alius ſanguinis, alius denique cedentis arteriae: Quae cum vulgo negligantur, et confundantur, non potuit non pulſus cognitio eo admodum obſcurari.

Cordis ſcilicet motus, cum cor ſit muſculus, non poteſt eſſe alius, quam veteres optime ſyſtoles et diaſtoles nominibus inditis ſignificarunt. Hic cum ab HARVEO, LOWERO, aliisque doctis viris quam clarisſime ſit expoſitus, actum egerim, ſi de eo verbum amplius addam. Neque illud enarrare attinet, vt contractione ſtringi cor, et, parietibus invicem accedentibus, ſanguinem excludi omnem contingat, iam tum enim in Propoſ. 6. id monuimus.

De ſanguinis vero motu paulo magis opportet nos eſſe ſollicitos, quod haut pari diligentia eius ratio hactenus quidem fuit perquiſita. Id tantum conſtitit, a corde per arterias propelli, ſingulisque pulſibus eius reſpondere pulſum ſubſultantis arteriae, quali autem motus generi hic ſit accenſendus, nondum patuit: vario nimirum artificio vt ſolida, ſic etiam fluida de loco moveri conſtat, et vel trudi, vel exprimi, vel proiici, vel denique percusſione pelli; quorum vt extruſio eſt omnium placi-

placidiſſima, ſic percusſionem vehementiſſimam eſſe, in aperto eſt, quae, praeterquam quod protrudit, cum impetu etiam eiicit et vere pellit. Quis igitur ex his in praeſenti negotio motus locum habeat, expediendum eſt: Qua in re non opus eſt anxia ſollicitudine; res patet, et diſtinctio abhibenda eſt. Is enim, quem cor includit, ſanguis ab eodem contracto exprimitur, idque impetuoſa celeritate, qua eum, qui in arteria eſt, non leviter ferit, ſed percutit plane, et cum impetu ſemovet e loco. Patet ergo ultimum illudque omnium fortisſimum movendi genus naturam ſibi elegiſſe, nec multum abludere hoc ab eo, quo clauus malleo adigitur, aut in arundine, aut ſambuci trunco haerens medulla admoto cuneo eiicitur. Id tamen intercedit differentiae, quod illic ſolidum ſolido, hic fluidum fluido tunditur: quae cum eſſentiam rei non attingat, recte et convenienter hunc ſanguinis motum percusſionem nominari arbitror, vel quia pulſum conſtituit: id enim dicitur a pello, nihil autem percusſione promtius fortiusque pellit. Cum enim ſurſum deorſumue, idque per canalem coniformem multiplicem, in minima vaſcula ex amplo principio deſinentem, adigendus eſſet ſanguis, non placide, ſed cum vi ac magno robore agendum hic erat, ideoque motus ille eligendus, qui et commodisſimus erat fluidis pellendis, pariterque fortisſimus. Eſt autem talis percusſio, quod partim ex ſe iam patet, partim ex dicendis magis conſpicuum fiet. Neque alia ratione mouetur arteria, iteratur enim ad eam ſanguinis appulſus, et ipſam vicisſim percutit, ni forte quis, trudi eandem potius, quam percuti, velit contendere, cum ſanguis movens illi ſit maneatve contiguus, qua de re cum nemine litigabimus. Ex percusſionis igitur principiis omne hoc negotium, ſaltim quousque ſanguinis motum ſpectat, explicari poteſt: ſicque de pulſu multo apertius conſtabit. Ante tamen, quam id moliamur, praemittenda ſunt bina adhuc axiomata de fluidorum percusſione, cuius longe alia eſt ratio, quam ſolidorum, quae et magis reſiſtunt, adeoque difficilius mouentur, et in vnum, quo impelluntur, feruntur locum: Illa vero ictum non ſuſtinent, ſed diffluunt percuſſa et disſipantur. Et vero de vi ac natura percusſionis, cum generatim omnium, tum et ſolidorum maxime, doctisſimum habemus IOHANNIS ALPHONSI BORELLI, quem ſuo de motu animalium inſigni operi praemiſit, commentarium, de fluidorum vero ſeorſim percusſione qui aliquid ediderit, mihi quidem adhuc innotuit nemo. Et vero id

id omne pro dignitate nunc exequi, et longum foret, et a praeſenti inſtituto eſt alienum: erit autem alterius fortasſis aliquando operae, nunc id tantum notabimus, quod ad rem facit: nempe

AXIOMA II.

Fluidum vel impulſum, vel percuſſum, ubi cedere libere non poteſt, ſolidi rationem induit.

Hoc vt oſtendamus, ſupponendum eſt, quod omnino ita eſſe conſtat, fluida corpora a ſolidis eo differre, quod non tam arcte ſibi particulae, ex quibus conſtant, cohaereant; ſunt enim non continuae, ſed contiguae. Quod ſi iam impleas vas quoddam minimis corporibus ſolidis, ſitque talis vaſi figura, vt tacta externa quadam vi, cedere eidem haut posſint, manifeſtum eſt, futurum, vt percuſſa disſiliant illico, et ſpargantur in orbem. Idem vero in fluidis videmus euenire: Quod ſi ne id quidem posſint, ſolidi vnius corporis vices agent, ictumque excipient omnes illae particulae immotae. Quod fluidis quoque contingere neceſſum eſt, dum in ſe cogi percusſione quidem nequeant. Hinc videmus, lapillos fluidis oblique immiſſos non findere ea, ſed celerrimo impetu reflecti, et elegantisſimis ſubſultationibus ſuper ea incedere, donec vi impreſſa privati, proprio pondere mergantur; idemque de globulis ferreis ex bombardis eiaculatis contingere compertum eſt. Id quod non ita accideret, ſi adſtantes proxime fluidi partes tanta celeritate, quanta eſt opus, cedere percusſis et admittere corpus immiſſum quirent. Conſtat etiam, latiores gladios in aquae ſuperficiem forti ictu illiſos non minus in fruſta disſilire, ac ſi ſolidis impingantur. Quin et oſſa animalibus, ſi non caute in aquam deſiliant, frangi, non eſt novum: patet ergo ſolidi tum rationem habere, quod erat demonſtrandum.

AXIOMA III.

Si fluidum, cedere neſcium, in ſuperficiei parte aliqua percutiatur, impetus impreſſus ſtatim imminuitur, et fere eliditur. Si vero tota ſuperficies recipiat impetum, et cedere id fluidum posſit, pro varia continentis conditione varie ſe habet. Æquali enim illud ſi ſit amplitudine, vti cylindrica, impetum per omnes ſui partes a principio ad finem aequalem conſervabit, ſi turbinatum ſit ſpatium, non ſuſtinebit, ſi vero conica ſit figura, non ſuſtinebit tantum, ſed et augebit, viresque addet, non obſtante, quam in eum habet, renitentia.

Hoc

Hoc axioma partim proxime praecedenti, partim priori illi innititur. In eo enim differt a ſolido fluidum percuſſum, quod, ſi eiusdem generis fluidum circumſtet, quod cedere poſſit, impetum non totum vt ſolidum ſuſtineat, ſed recedendo expellat proximum, quod dum propter grauitatem reactionem et renitentiam habet, multum imminuit receptum impetum, vt a principio ad finem fluidi non pertingat, ſed diſperſus ad latera, pereat ſenſim. Vide IO. A. BORELLVM. (m) Et hoc quidem et vulgo notum eſt. Si vero certo incluſum ſpatio tota eius tangatur ſuperficies, illudue ſpatium a principio ad finem aequalis ſit amplitudinis, aequaliter etiam impetus toti fluido communicabitur, quoniam ex axiomate priori ſolidi cylindri tunc habet rationem. Omne autem ſolidum in ſe totum aequaliter ictum ſeu impulſum recipit, nulla per partes reactione; adeoque nec fluidum, in ſolidum quaſi mutatum, renititur in qualibet parte, ſed in toto ſolum et eodem momento temporis. Quod ſic demonſtro: Sint ſolida corpora eiusdem molis eiusdemque figurae plurima, quorum ſuperficies exacte inuicem non reſpondeant modo, ſed etiam ſe tangant, arcteque ſibi iungantur, ita vt nec quicquam ſit intermedii, ſed recta linea per ſatis longum ſpatium idque vacuum protendantur. Certum eſt, primo eorum percuſſo, omnia reliqua cum ipſo ſimul pulſum iri, nec plus habitura reſiſtentiae, quam ſi vnum eſſet corpus ſolidum, omnia in vniuerſum mole aequans. Eadem autem prorſus ratio eſt fluidorum, quippe quae ex eiusmodi plurimis corporibus compoſito ſolido prorſus reſpondent, ea tamen cautione, ſi ſolido incluſa aequalis amplitudinis, integram ſuperficiem percutiantur. Si enim turbinis in modum ex anguſto in amplitudinem deſinat, diffluent, et ſe diffundent partes poſticae, nec ſuſtinebunt, aut recipient impetum, quod nulla eget probatione, cum cuiuis ſit in propatulo. Tertium quod attinet membrum, ſi per conicum ſpatium propellatur fluidum, quod ſenſim in anguſtum deſinit, videtur quidem frangi ſenſim impetus: et omnino etiam patet, multo plus reſiſtere fluidum, tali figurae incluſum, quam ſi in cylindro teneretur, vbi reſiſtentia prorſus eſt nulla, niſi quam habet ipſa moles; verum enim, ſi penitius rem inſpiciamus, deprehendemus, rem non ita eſſe certam, vt primo intuitu apparet. Cum enim contrariorum contrariae ſint rationes, contraria primum naſcetur ſuſpicio ex iis, quae de turbinata figura diximus. Deinde, etſi negari

(m) Prop. XXIV. cit. loc.

gari non poſſit, primo illo impetu vim percutientis nonnihil retundi, cum illa fluidi pars, quae cedere non poteſt, et hic ſolidi rationem induat. Neque tamen ſenſim id fit, ac continuo, ſed vno illo momento, quo eam ſuſtinet, poſtea vero, quam retinuit, potius augebitur creſcetque eundo; quia ad parietes appreſſae atque alliſae particulae agitati presſiue humoris reſiliunt, et in eum, qui eſt in medio, accedit, nouo impetu incurrunt, magisque vrgent ſponte ad exitum properantem. Fit enim, vt vna illa pars, quae expellitur, totum impetum propulſionis a reliquis partibus ſimul vrgentibus in ſe vna recipiat. Sed et experimenta fidem huic aſſerto faciunt: nam per ſiphonem in anguſtum deſinentem pulſus humor non debilius proiicitur, ſed potius fortisſime erumpit, et quo anguſtius eſt foramen, ſeu oſculum, eo longius maioriue cum impetu excurrit: quod non fieret, ſi vis impulſiua, fluido communicata, ſenſim minueretur, vti fit in figura, huic oppoſita.

AXIOMA IV.

Fluida, ſpatio idoneo incluſa, et percuſſa, non ſolum eo feruntur, quo pelluntur, ſed etiam in latera vaſis incurrunt, illaque vrgent.

Conſtat nempe, et a Cl. BELLINIO peropportune eſt notatum, liquida preſſa quaquauerſum niti, truſa autem (quod nos addimus) fluere, et quidem maiorem habere impetum eo verſum, quo pelluntur; maxime, vbi ſpatio circumſcripto incluſa ſunt, quod in tractatu de Auditu ante aliquot annos vberius declarauimus, ſed tamen etiam in orbem diffundi, et, quantum licet, diffluere. Eſt autem percusſio ex trudendi conatu, et presſionis vi compoſitus motus: duplicem igitur habebit impetum, antrorſum verſus, et ad latera, quod erat demonſtrandum.

AXIOMA V.

Tale ſpatium idoneum eſt concauum, conicum. Huic igitur incluſa, et feruntur verſus extrema eius, perque aperta oſcula cum impetu exeunt, et in latera non minori impetu incurrunt.

Hoc quoque ex dictis perſpicuum eſt. Quia enim liquidi presſi rationem habet, in latera vaſis impetum facit, eademque ratione per repertum exitum propellitur, quod minus in cylindrico, minime omnium in turbinato fiet, vbi presſione remota, ſimplex tantum expulſio deprehenditur.

Haec

Haec ſunt, quae praemittenda putauimus. Quae, etſi ex immediatis non ſint, quoniam tamen ad prima illa quam proxime accedunt, et pari certitudine eſſe deprehenduntur, vt reliqua ex iis demonſtrari tuto posſint, eorum loco eſſe et haberi tantiſper poſſe exiſtimamus.

PROBLEMA I.

Pulſus rationem omnem ex dictis demonſtrare, et in aprico conſtituere.

Conſtituimus antea, pulſum cum ratione ſanguinis propellendi, tum vero etiam arteriae eum conſtituentis ad percusſionis genus eſſe referendum; quod nunc plenius dabimus expeditum. Scilicet vt fiat percusſio, et corpore potentia inſtructo opus eſt, quae in propellendum deriuetur, et inſtrumento, quod percutiat, et hanc de ſe in illud fundat, tum vero et tertio, quod impetum in ſe recipiat: quamuis enim duo illa, quae primo memorauimus loco, in vno corpore non infrequenter iuncta reperiantur, non tamen id perpetuum eſt, quod vel ipſomet noſtro patet exemplo, et vbi ita eſſe deprehenditur, e re tamen eſt, ſeorſim illa contemplari. Apparet autem, hic potentiam iſtam in corde eſſe collocatam, inſtrumenti loco eſſe ſanguinem inde eiectum, percuti illum, qui in vniuerſo et multiplici arteriae tubo continetur, et huius denique ictum arteriam ipſam excipere: vt hic non ſimplex aut vna percusſio, ſed compoſita fiat aut multiplex. Res autem omnis aperta magis erit, ſi locum, per quem pellitur, hac percusſione ſanguis, et continentis arteriae, ipſius denique ſanguinis naturam ad allata axiomata conferamus. Habet enim ſe fluxus ſanguinis eo modo, quo per ſiphonem liquor quilibet ex anguſto foramine ſeu orificio expellitur, cum arteria nihil aliud ſit, quam maximae longitudinis ſiphon, cuius tubus ex ampla latitudine multis diuaricationibus in plurimos ſemper magis magisque anguſtatos ramoſos ſiphunculos abiens, tandem in minima oſcula eaque innumerabilia terminatur. Per hunc tubum pellendus erat ſanguis, idque perpetuo fluxu: cui rei opus erat inſtrumento, quo pelleretur, quod in ſiphonibus arte factis ſolidum eſſe ſolet, capite accurate aequans tubi amplitudinem: pilus appellatur. Quale in corpore locum habere non poterat. Hic igitur, Lector benevole, ſubſiſte mecum pauliſper, vt aeternam ſapientiam Supremi Conditoris noſtri dignis laudibus celebremus: En tibi ſummum, quod quidem humanae mentis imbecillitas complecti posſit, artificium, ex quo vita haec mortalis tanquam ex filo ſuſpenſa eſt. Inuenit enim huic ſiphoni pilum

Auctor

Auctor omnium non ex oſſibus aut cartilaginibus, ſed maximo rerum compendio iusſit ſanguinem ſolidi corporis vices ſumere, et ſanguinem ipſum pellere, mox eodem ſibi ſimili pellendum, ſimulque efficit, vt hic liquidus pilus, etſi euaneſcat ſingulis ictibus, nunquam tamen deficiat. Cor enim tanquam carnoſum ſacculum, membrana intus munitum, ſiphoni huic appendit, in quo, ne vnquam humor deſit, quantum ſiniſter ſinus in aortam ſanguinis eiicit, tantundem dexter in pulmones, mox illi ſubminiſtrandum emittit: vt hic exiſtat veluti perpetui cuiusdam fontis ſcaturigo, qua ſubinde, iteratis vicibus vitalem liquorem eructet, et pilum hunc liquidum, ſed ſolidi viribus inſtructum in pellendum hinc ſanguinem emittat: nullo morborum maleficio frangendum, nullo vacui metu, aut inani eum retrahendi labore, in vulgatae fabricae ſiphonibus ineuitabili. Hic ergo annon aequum putas, vt cum Dauide in ſanctam rapti et operis, et Fabricatoris admirationem, venerabundi exclamemus: *Glorificor Te, Domine! quod mirifice me fabricatus es, et hoc probe agnoſcit anima mea.*

Equidem, vt iam innuimus, cum non vnus isque perpetuus hic ſit pilus, ſed alius atque alius ſingulis momentis e corde depromatur, et in ſanguinem excurrat, nullo cum artificio humano comparandum hoc eſt. Etſi quis enim cogitet corpus vnum vel plura in ſiphonem quendam manu ſubinde repetitis ictibus adacta, valde tamen haec rudis ſimilitudo eſt, nec opus totum exhaurit, aut animum explet, imo cogitari quidem poteſt, perfici autem et in vſum perduci nequit.

Et ſic quidem eo ſanguinis promotionem vnice explicandam puto: Quod ſi quis tamen et percuti ſimul, et trudi ſic ſanguinem contendat, adeoque motum hunc velit eſſe compoſitum, per me licebit id quoque. Simplicem vero truſatilem hunc motum, quod repetitis ictibus incurrat, adeoque vera etiam fiat percusſio, vocari nolim; praeſertim cum trudens trudendo contiguum non ſit, ſed e corde, tanquam e cauerna in eam irruat et effundatur.

Dictum eſt hactenus, quo modo ſe habeat principium et fons mirandi huius motus: nunc et reliqua detegere conabor, et per fiſtulam hanc membranaceam incedentem ſanguinem proſequar, in ea ipſa quid accidat luſtraturus. Non erit autem nobis in hoc deprehendendo multum adeo laborandum: ex propoſitionibus enim axiomatum loco poſitis antea, poteſt conſtare, quomodo ſe gerat, vbi noui ſanguinis excepit impetum. Recipit nempe ictum non ſine notabili quidem reſiſten-

tia,

tia, ob figuram conicae et varia ramificatione flexuraue gaudentis fiſtulae, ex Ax. III. (quod non fieret in cylindrica eius, ſi talis contingere potuiſſet figura, ex qua ſane citra vllam reſiſtentiam, niſi quantam ipſa haberet moles, prout ibi oſtenſum eſt, expelleretur,) vincitur tamen et cedit, tantoque hinc maiore cum impetu et poſtice et per latera preſſus erumpit ex oſculis. Et quoniam tota haec ſanguinis maſſa, vbi percutitur, rationem ſolidi induit, vi axiomatis ſecundi, fit vt illa eius pars, quae in medio ad centrum canalis eſt, dum is, qui in peripheria ipſi incumbit, fertur extrorſum, a principio ad finem verſus oſcula omnia vno eodemque momento moueatur, eoue ipſo temporis puncto, quo ex corde irruit noua ſanguinis portio, et in aortae principio adſtantem ferit, extremis inhians eructetur, ac verſus venas iter cogatur ingredi: haut aliter ac ſi totus hic ſanguis eſſet ex ligno, aut cera, aut quouis corpore duro fabrefactus, cuius acuta pars ibi extruſa prorumperet.

Cum autem, ex Axiomate IV. non eo tantum verti percuſſa liquida conſtet, quo diriguntur impreſſo impetu, ſed quaquauerſum niti, et in orbem, quantum licet, ſe diffundere, itemque ex conico canali incluſa et impetuoſe per extrema exeant, et in latera eius incurrant, id etiam in ſanguine accidere ex V. manifeſtum eſt. Vnde, diximus eum, qui in peripheria reliquo accumbit, ferri extrorſum, et in arteriae parietes incurrere, impetus parte in eos translata. Quapropter, cum corpus arteriae non ſit corpus durum, quod illum impune ſuſcipiat, ſed molle et flexile et dilatari aptum, ex Defin. ſeu Prop. IV. cedit vrgenti ſanguini, et attollitur, digitorumque admotorum apices ferit. Neque per partes hoc, vt forte vndoſa fiat arteriae ſuperficiei linea, ſed ſimul vndique, et eodem momento, a principio ad finem tubulorum omnium aequaliter. Indeque eſt, quod vbicunque digitos applices, ſubſultantem arteriam pariter ſit deprehendere, eodemque temporis puncto vbique per totum corpus pulſantem percipi contingat, modo non vel minor ſit, quam vt carnis pulpam poſſit attollere, vel altius abdita ſenſum eludat: nam et minores pulſare arterias contra, quam arbitrati ſunt adhuc circulationis ſanguinis aſſertores plerique, et cum his noſter, mox fiet apertum. Qui vt in eorum plerisque, quae hactenus expoſita fuerunt, ſatis praeclare ſe geſſit, ita non eſt in his ſua defraudandus laude, quam prolixam ſane promeruit. Sed et recte fecerimus forte, ſi ea quoque protrahamus in lucem, quae eius diligentiam fefellerunt: Ex quibus forte primum eſt, quod putat, eodem puncto temporis, quo conſtringitur cor, ſeriem quoque vniuerſam arteriarum reſilire et pelli extrorſum.

ſum. Si enim quam accuratisſime rem ponderamus, paulo tardius haec arteriarum fiet, quam cordis pulſatio, etſi tantillum hoc ſit, vt percipi vix posſit: quantum ſc. ſanguis ſiniſtro ſinu erumpens opus habet, vt in ſanguinem in arteria contentum incurrat, illumque pellat e loco, ad quod omnino aliquantulum temporis, paululum licet, requiritur. Omnis enim motus cum fiat in tempore, aliquid etiam temporis hic conſumi certum eſt, et tantum fortasſis, vt arteria attolli incipiat, vbi cordis contractio abſoluitur: ſed minutiae ſunt iſtae, vſumue habent in arte nullum. Alterum paulo maioris eſt momenti: Apparuit nempe, ex quarta definitione, arteriam eſſe ex eo corporum genere, quae cum mollia ſint ac tenſa, ſi inflectantur, reſiliunt, id quod etiam agnouit ex parte Doctisſimus ſcriptor, ad diſtracta enim, vt loqui amat, et rigida inflexa arterias refert. Non autem expendit, hoc admiſſo, vibrantem arteriam vbi recurrit, non in centro vibrationis conſiſtere, nec in eum, quo erat ante ſanguinis incurſionem, locum ſimpliciter reſtitui, ſed in oppoſitum eam reciproce excurrere, et ſpatii interioris partem occupare. Ea enim eſt conditio omnis vibrationis, vt corpora trementia vi eadem qua inflexa ſunt, reſiliant, nec prius ſubſiſtant quam reciproca vibratione vtrinque punctum naturalis ſuae ſtationis aliquoties ſint ſupergreſſa. Sic igitur etiam arterias vti extrorſum, ita etiam introrſum vltra centrum vibrationis ſe extendere neceſſum eſt. Non erat autem negligendus hic excedens centrum reſilientis arteriae impetus. Fit enim hoc, vt non tantum per immiſſum ex corde ſanguinem in iis iam exiſtens expellatur, ſed etiam ab ipſa recurrente arteria: hanc enim vibrationem non eſſe multo minorem in altera ſui parte quam erat in prima, ex legibus flexilium et elaſticis fibris gaudentium corporum patet. In illo igitur receſſu haut parum etiam ſanguinis ex eorum oſculis eiici nouo hoc impetu cognoſcitur, adeoque duplex eſt principium motus ſanguinis in arteriis, vnus enim fit a cordis conſtrictione, alter ab arteriae reſultorio motu pendet. Et ſane fatetur auctor noſter, eousque vniuerſam ſeriem arteriarum in motu extrorſum perſiſtere, quousque recens intruſus ſanguis intra easdem continetur. Ergo extruſa hoc pacto parte ſanguinis, arteriae in diaſtole conſtitutae adhuc ſubſiſtunt, ac praeter naturam ſuam dilatatae ſunt, et tamen impletae: neceſſum eſt autem ſubſidere et in naturalem ſtatum reuerti. Id igitur, dum fit illico poſt ſublationem, cedere oportet ſanguinem, qui ſuſtulerat easdem, et locum dare ſubſidenti arteriae: quoniam autem in ſeipſum cogi non poteſt, fatente id BELLINIO, qui inde *incom-*

pres-

preſſibilem nominat, ſubducet ſe ergo et cedet loco: non poterit autem cedere, ſi non aliquid eius viciſſim cedat locum huic, et cum ſpatium, quo abeat, in ipſa arteria non ſit, vtpote quam totam repletam adhuc eſſe oſtenſum ſit, neceſſum eſt, illum exire et verſus venas capillares effluere. Neque vero perexiguum hoc eſſe, exiſtimandum eſt: nam cum eodem puncto temporis attollantur omnes arteriae, neceſſum etiam eſt, eodem temporis puncto omnes ſubſidere. Quod vbi accidit, partem ſanguinis ſatis notabilem quoque, minorem tamen quam antea, ex ſe expellent. Eo vero iam poſito, atque ſatis, ni fallor, aperte oſtenſo, primum hoc nobis naſcitur conſectarium: ſanguinem in arteriis non minus atque in venis perpetuo, inaequali licet motu moueri. Etiamſi enim aliquod inter ſubſidentiam arteriae et inſequentem expanſionem, ſeu ſyſtolen et diaſtolen temporis ſpatium concedamus, (vti quidem omnino concedendum videtur) non tamen plane quieſcere ſanguis poſt receptum adeo recenter impetum poteſt, ſed lente et placide ſaltim fluet. Neque verendum eſt, ne hoc conceſſo, cum aliquid ſpatii inueniat ex corde irrumpens ſanguis, minus inde arteriam ſublatum iri, cum conſtet, nonnihil laxa eiusmodi corpora, mollia et tenſa, facto impetu facilius cedere, et longius proiici, quam ſi nimis adſtricta ſint. Porro autem ex his iam aeſtimare licet, quantum ſanguinis ſingulis pulſibus ex arteriis effluat. In quo docendo ſibi vix conſtat BELLINIVS, qui etſi fateatur, perparum eſſe, quod ex corde influat, inſignem tamen eius quantitatem in venas putat deriuari, quod eſt ἀδύνατον. Non enim tantum non plus extrudi poteſt, quam ſuccedit, ſed ne aequalis quidem portio. Aliqua enim ſanguinis pars locum occupat, quem relinquit arteria, ab ipſo extrorſum pulſa, donec, ea recurrente, reliquum eiiciatur: et tum demum extruſi ſanguinis copia molem impulſi exacte poteſt aequare: cuius nec plus exire poteſt, nec minus. Si enim minus, ad ſingulos cordis pulſus augeſcendo, tandem rumperet arteriam, aut dilataret in immenſum; ſi vero plus, plus etiam in dextrum ventriculum influeret; ſi hoc, plus itidem per *pulmones* in ſiniſtrum mandaretur, et *ſic* plus etiam ab eo reciperetur, alias enim ſtagnaret: plus ergo reciperet, quam recipere poſſet, quod eſt abſurdum. Vnum adhuc monendum reſtat, huius generis, quod pulſum ipſum ſpectat, ſcilicet, dum vir eximius exiſtimauit, frangi ſenſim receptum a ſanguine impetum reactione liquoris, indeque lentius eum verſus extremas arterias, ſegniusue moueri, pulſumque ipſum adeo magis magisque imminui, ac poſtremo tandem deficere, in eo inſignem induſtriam ſuam

 eum

eum feſelliſſe: in ſolidis enim, atque iis, quae eorum naturam imitantur, renitentiam per partes non inuenire locum, Axiomate IV. liquido a nobis eſt oſtenſum; quin in canalibus conicis, quales ſunt arteriae, potius augeri patuit. Quod de iis, quae in ſe non recedunt, et comprimuntur, affirmare potiſſimum licet. Talem autem eſſe ſanguinem, et non ſolidi tantum rationem habere, ſed etiam eſſe ex *incompreſſibilibus*, ipſe BELLINIVS fatetur. Manifeſtum eſt igitur, reactionem non niſi vnam fieri, dum impetum in ſe accipit ſanguis. Et vero contrarium mihi potius videtur conſtare ipſo ſenſuum teſtimonio: ſi enim ita eſſet, multo ſane minorem oporteret in carpo pulſum reperiri, quod remotiſſimis partibus ſit proximus, et fortaſſis adeo debilem, vt percipi vix poſſet: nunc vero non minor eſt, quantum aeſtimare licet, quam aliarum arteriarum. Sed in digitorum extremis non ſentitur pulſus arteriae: id vero non ex eo eſt, quod ibi nullus ſit, ſed partim quod minimae, partim quod intra carnes abditae deliteſcant, non poteſt autem minimus ab his editus motus illam incumbentium fibrarum congeriem attollere. Non ignoro quid ea de re doctiſſimus WALAEVS, ipſeque auctor circulationis HARVEVS ſenſerint, meque ab eorum hic doctrina diſcrepare, quippe qui in infantibus febricitantibus tantummodo illum percipi perhibuere: quod quidem fieri eſt verum, non autem propterea naturae lege in valentibus et adultis non pulſant, licet non ſatis fortiter pulſent, vt percipi poſſint. Si enim ex ſenſu ſtatim argumentum ſumere liceret, ne in metacarpo quidem eas pulſare eſſet ſtatuendum, ſed mox poſt ipſum carpum omnem ſupprimi motum arteriae. Equidem quid tantis viris impoſuerit neſcio, ego vero in adultis quoque rectiſſime valentibus, (turgeant modo venae) pulſum vel in extremis digitorum apicibus non ſemel obſeruaui, et poteſt quilibet in ſe ipſo, quoties turgent, iisdem fortiter ad ſolidum corpus appoſitis, eius rei experimentum capere.

Et ſic iam putamus problemati abunde eſſe ſatisfactum, cum, quod ad pulſum pertineat, nihil ſupereſſe videatur. Quod ſi ita eſt, recteque omnia a nobis fuere expenſa, reliqua etiam phaenomena, quae in pulſu nonnihil immutato ſunt obuia, explicari ex his poterunt, ea enim eſt conditio verae demonſtrationis: hoc igitur iam a nobis praeſtandum eſt. Prius tamen, quam id aggrediar, veram pulſus ex dictis definitionem ſtruere, non erit ab re noſtra alienum. Eſt enim hoc problematis explicati veluti.

CON-

CONSECTARIVM.

Omnis ſcilicet definitio eſt oratio, quae a demonſtratione non niſi poſitione terminorum differt: ea igitur deſiderata, nullam ſtrui poſſe definitionem, inuenta vero, ſponte ex eadem naſci, in aprico eſt. In ea vero tradenda multiplici BELLINIVS errore lapſus eſt, etſi vulgatas definitiones tum obſcuritatis, tum falſitatis accuſans, magnam de ſe ſpem fecerit meliorum. Dabis veniam, Vir doctisſime, in gratiam iuuentutis noſtrae, cuius iam omnis manibus liber eius verſatur, paulo vberius oſtendenti, quomodo circa illam ſe geſſerit praeclarus alias Auctor. Duas nempe exhibet definitiones hac vſus excuſatione. *Quia*, inquit, *vſus obtinuit, vt nomine pulſus non ſolum motus vere percutiens, ſed etiam alter, ſubductionis ſimul intelligatur, manifeſtum eſt, pulſum ita ſumptum, ita nempe, vt vtrumque motum, incurſus et ſubductionis comprehendat, dupliciter definiri poſſe, et reſpectu digitorum, ipſum percipientium, et reſpectu ſolius arteriae, quae mouetur.* Quibus ſane verbis male inter ſe conuenit: nulla enim eſt ratio, quia vſu obtinuit, pulſus nomine vtrumque, attollentis ſe et recedentis arteriae motum comprehendi, definiri poſſe duplici modo, reſpectu ad digitos percipientes, et ad arterias pulſantes: potius illud inde ſequitur, quia ſic pulſus nomen accipitur, non niſi reſpectu arteriae definiri poſſe, cum digiti nihil ad hoc conferant, quos ſiue admoueas, ſiue retrahas, pulſus ſemper eodem modo perficietur, nec forte, cui aliter eſſet viſum, vnquam repertus eſt, excepto vno BELLINIO. Ni fallor tamen, aliud in animo fuit noſtro, quam in verbis eſt: id nempe voluit dicere: quoniam a digitis non niſi incurſus arteriae in exteras partes percipitur, reſpectu digitorum alio eſſe eum definiendum modo, quam ſi in ſe ſpectetur. Sed neque hoc tueri aſſertum poterit. Primum enim id longe eſt certisſimum, cum vnius rei non niſi vna ſit, vt Philoſophi loqui amant, eſſentia, eiusdem non niſi vnicam eſſe definitionem: cuius indoles non patitur, vt alio reſpicias, quicquid imperitum hic doctorum vulgus contra exemplis audeat pugnare. Deinde reſpectus ille ad digitos non eſt niſi modus perceptionis, qui ſane a re percipienda plurimum eſt diuerſus. Porro autem nemo medicorum ſollicitus eſt de perceptione digitorum, ſed in eo vno occupatur, vt ipſius arteriae agnoſcat motum. Ergo et ſuperflua eſt talis conſideratio, nec vllius vtilitatis: qualia perperam coaceruare, non eſt boni doctoris, cuius eſt officii inutilia omnia reſcindere, ne confundat diſcentium animos,

et inanibus rerum formis laruisque impleat. Et ſane eadem opera quis contendat ſonum duplici modo definiri poſſe, reſpectu colliſorum corporum, et reſpectu auris, itemque colores reſpectu refractionis radiorum luminis et oculorum, ſapores reſpectu linguae, et ſic in caeteris. Quod quis vnquam auſus eſt dicere?

Videamus iam alteram definitionem, quae ad arteriarum pulſationem attinet. Eam vero nihilo forte quis dixerit iis, quas falſitatis accuſat, meliorem, cum dilatationem et conſtrictionem arteriae eſſe contendat, quam ad vibrationem pertinere, niſi fallor, ſatis luculenter a nobis eſt oſtenſum. Qui cum bene ſatis conuenit quidem dilatationi, at conſtrictionem cum eadem conciliare, fuerit perquam difficile, quum admitti non poſſit, niſi poſitis febris motricibus, quarum tamen hactenus auctor nullam fecerat mentionem.

Rectius multo feciſſet vir clariſſimus, poſtquam omnino animo inſederat duplex illa definitio, ſi aliam pulſus cordis, aliam dediſſet arteriarum, quae duo ſane maxime inuicem diſtant.

Eſt enim pulſus cordis motus eiusdem muſcularis, ſeu conſtrictiuus et relaxatiuus, (verbis vti liceat Philoſophis conceſſis) ſanguinis et caloris per corpus diſpenſandi gratia a natura inſtitutus, a liquoris neruei (admittamus tantisper Bellinianam hypotheſin) cum ſanguine concurſu, perpetua viciſſitudine redintegrandus.

At pulſus arteriarum, qui hic maxime ſpectatur, et cuius nunc vnius ratio nobis habetur, eſt motus earundem reciprocus, extrorſum et introrſum factus, ſeu expanſiuus et recurrens ad diſpenſationem ſanguinis perpetuam rectius conſeruandam et promouendam, ab impetu eius, in eam irruentis, proueniens.

PROBLEMA II.

Attributa et affectiones pulſus omnes inuenire et demonſtrare.

Poſtquam ex principiis primis, iisque, vt ſpero, veris ac propriis, quid ſit pulſus, accurate indagatum detectumque eſt, non amplius erit difficile, ſi modo vera et genuina illa fuere, omnes eius affectiones et proprietates quam clariſſima in luce ponere. Hoc itaque nunc tentandum quoque nobis erit.

Attributa autem et affectiones voco, quas vulgo differentias ſolent nominare, perſuaſus, pulſum eſſe vnius generis, nec veras differentias admittere, etſi varie poſſit affici, et per gradus augeri minuiue: quam-

quamuis de nomine lites cum quoquam ſuſcipiendas minime exiſtimem.

Apparet vero illico, cum pulſus ad motum referatur, varias eum ſubire mutationes. Quandoquidem enim omnis motus intendi poteſt et remitti, de pulſu etiam recte id affirmari exiſtimandum eſt: hoc ipſum vero etiam cum pro diuerſis motus generibus varie posſit accidere, praecipue cum ſimplex ille non eſt, ſed compoſitus ac multiplex, qualem eſſe hunc noſtrum ex antea dictis iam patet, ſingulas eius partes excuti, ſi plene rem cognoſcere eſt animus, erit neceſſarium.

Ad percusſionem vero et motum liquoris per fiſtulam pulſum pertinere, non licet forte poſt ea, quae attulimus hactenus, dubitare. Cor enim vbi contrahitur, ſanguinemque excludit, percutit is, pilique in modum vrget eum, qui in arteria continetur: is pellitur rurſus, et partim quidem erumpit foras, partim in arteriam incurrit, quae dum dilatatur, aſſurgit in digitos, eosque ferit, mox retrocedit, vicesque reddit ſanguini. In his vero omnibus peragendis cor primus eſt motor, huic ſanguis obſecundat, illique arteria.

Recte igitur facturum me arbitror, ſi tria iſthaec, cum diuerſisſima ſint indole, ſigillatim perueſtigando, quibus mutationibus ſingulorum motus ſint obnoxii, porro exquiram. Primas autem hic ſibi cor iure ſuo vendicat, quod et primum moueatur, et ſit omnium praecipuum. Huius ſpectari poſſunt, vel ictus ſinguli, vel iterati. In ſingulis occurrit robur et celeritas. Poteſt enim omnis muſculus et celerius tardiusve moueri, et fortius ac languidius. In iteratis frequentia eſt attendenda, ſaepius enim vel raro iterari contractio cordis poteſt. Veruntamen, ſi recte calculum ponimus, fortasſis omnis cordis pulſatio eſt celeris, nulla tarda. Sana enim ſi exemta ex viuacibus animalibus corda intuemur, vel aperto in aliis pectore ea ſpectamus, tam celeriter moueri deprehendimus, vt vix oculorum acies aſſequi, imo ne quidem aſſequi motum ſatis posſit. Neque vero non et carpo admota manus redarguet id negantem, vix enim diſcerni tempus illud poteſt, quo ſe arteria attollit, tam eſt exiguum. Et vero eſt muſculus, de quo agimus, isque vigore et numero fibrarum inſtructisſimus, antagoniſta carens, nulli leuando ponderi, ſed modico, imo pauxillo ſanguinis eiiciendo dicatus, cuius vtique reſiſtentia eſt non magna: quae ſimul omnia miram celeritatem muſculis conciliare idonea ſunt. Qui ergo aliter fieri poſſet, quam vt cor celeriter admodum moueatur?

Verum

Verum enimuero, quantumuis nullum tardum eſſe pulſum, ex his facile colligatur, certoque conſtet, celeritatem tamen illam intendi poſſe, et maiorem fieri, neutiquam eſt dubitandum. Praeterquam enim, quod motus ea ſit naturalis indoles, vt augeri poſſit et minui in infinitum, vehementia etiam pulſus eius rei praebet documentum. Quoties enim cordis pulſus vehementior fit, (fieri autem, nemo adhuc vsque dubitauit) toties etiam augeri velocitatem neceſſe eſt, quum vehementia nihil aliud ſit, quam energia celeritatis, ſeu menſura velocitatis eius, prout IOH. AL. BORELLI, vir perſpicaciſſimus, erudito illo opere, quod antea laudauimus, praeclare docet, et res etiam ipſa id ſatis aperte loquitur. Nullus igitur impetus velocitate carere, neque vlla ratione, niſi eadem aucta, augeri poteſt. Patet ergo, vehementiorem reddi pulſum non poſſe, quin etiam fiat velocior, intendi ergo nonnunquam pulſus celeritatem, quod erat demonſtrandum.

Ratum igitur eſto, cor et fortius conſtringi poſſe, et languidius, itemque celerius; an vero etiam tardius poſſit moueri, conſiderandum. Quamuis enim id fieri non repugnet, imo ex natura motus ipſius videatur omnino concedendum, experientia tamen ſi conſulatur, alia omnia reperiri arbitror, nec quenquam medicorum facile aſſerturum (modo a praeiudicio ſit liber) notabilem quandam pulſus tarditatem ſe vnquam deprehendiſſe: aut ergo nulla erit, aut ſi eſt, ſenſum tamen fallit. Non autem eſſe, perſuadere videtur, quod vbi magnitudo eius et robur decreſcat, celeritatem intendi obſeruetur, id quod in acutis nunquam non eſt obuium. In chronicis forte aliter ſe res habet, et in extrema virium deiectione languidius cor ſe contrahit: verum tum demum, cum ſanguine deficiente, ad extremam paruitatem pulſus redactus eſt, vbi cum diaſtole integre percipi nequeat, multo minus de cordis ipſius contractione inde poteſt conſtare, et tarditas a languore diſcerni: vt etiam tum percipi ac diiudicari vix ac ne vix quidem poſſe videatur.

Quaeritur etiam, an pulſus fortis et vehemens cordis differant, et qua in re illa diuerſitas conſtituenda ſit? Puto ſane omnino differre; aliud enim eſt fortiter aliquid agere, aliud vehementer. Ad illud enim robur et magnitudinem inſtrumenti, quod percutit, ſufficere apparet: robur enim a mole eſt; hic contentio etiam accedat oportet, et, vt modo oſtendimus, celeritas: poteſt enim quid tarde moueri et tamen fortiter, vt ingentes ſolent in aequore fluctus, non item tarde et vehementer. Quod noſtro idiomate percommode exprimunt, dum diſcernunt

nunt iſta: *Der Puls ſchlägt ſtarck, und der Puls ſchlägt heftig.* Fit igitur vehemens omnis motus, ſi ad robur addatur celeritas, et quia illa ipſa reduplicatur, cum e longinquo fit, requiritur ad pulſum vehementem et hoc, vt cor totum ſit expanſum, tamque fortiter quam velociter mucro eius baſi admoueatur. Vnde eluceſcit, vehementem hanc contractionem non eſſe ſimplicem motus affectionem, ſed ex pulſu forti et celeri compoſitam, adeoque ad ſimplices pulſuum differentias minus accurate a noſtratibus referri. Debilem vero pulſum, qui vehementi opponitur, eundem et tardum eſſe, non eſt opus: fracto enim robore, nihil ad vehementiam confert celeritas, imo vel ipſa ceſſat: ad omnem enim motum celerem magna potentia opus eſt. A languida itaque debilis cordis pulſatio diuerſa non eſt: vti quidem vno verbo populares noſtri vtrumque denotant: *Er ſchlägt ſchwach*, nec aliud, quod ſuo *heftig* opponant, occurrit.

De frequenti et tardo non opus eſt agere prolixius. Cum enim pulſus ſit iterata percuſio, et inter vnum atque alterum motum aliquod temporis ſpatium interponatur, huius vtique etiam ratio habenda erit. Quod cum longius et breuius eſſe queat, hinc pulſus illi, vel rarius, vel frequentius recurrent et iterabuntur. Cui etiam placito experientia reſpondet, vt vnicuique in his non hoſpiti perſpicuum eſt.

Ex his omnibus conſtituuntur tandem haec genera: Motus vel contractio cordis

1) Fortior ac debilior, vel languidior;
2) Celeris, } oppoſita ratione carentes;
3) Vehemens, }
4) Frequens ac rarior.

Eaque ſunt attributa, quae in ſe et ſimpliciter ipſi competere poſſunt, omnia; quod patet ex inductione: quicquid enim excogitaueris reliqui, ad horum aliquid nulla opera reducetur, languido, debili et tardo, ſi quis eſt, nihil inter ſe diuerſis.

Expenſo cordis motu, de ſanguine ſollicitos nos eſſe conuenit, qui a corde, excluſa illa eius particula, quam ſiniſter modo acceperat ventriculus, veluti telo ex arcu excuſſo percutitur. Quod enim alias fieri eſt notum, vt primi motoris potentia, inſtrumento impulſo communicata, pro eius, in quod incidit, corporis conditione mutetur, indeque accipiat modum, id etiam hic eſſe expectandum apparet, cum cordis energia illi ſanguinis particulae commiſſa transferatur in reli-

quum ſanguinem, illumque dirigat, quo motus natura viaeque ratio ire eum permittit. Qua de re vt conſtet, et ipſe, quem diximus, ſanguis, et arteria eſt examinanda.

Sanguis igitur, ſi nimius eſt, vt arteriae admodum ſint repletae, difficilius dimouebitur, et impetum irruentis liquidi illius pili haut paulum retundet, arteria vero iam tum diſtenta cum difficultate amplius extolletur; et quia inſuper cor onerabitur, celerem eius contractionem, adeoque et vehementem haut dubie impediet. Idem vero eueniet, ſi, paucior licet, ſit crasſior tamen, quippe quem ex capillaribus oſculis non tam facile ac tenuem expelli, manifeſtum eſt; fracto igitur cordis impetu, ſegnius etiam arteria ſubſultet neceſſe eſt. Quod ſi mediocris ſatisque fluidi ſanguinis copia venas implebit, tum vero et cor pulſare alacrius, et facilius ipſe poterit cedere; arteria vero promtius altiusue exurget: ſin vero exigua ſit quantitas, iam neceſſum eſt, et celerem fieri cordis contractionem, non exiſtente, quod illi reſiſtat ſatis, ponatque modum, et debilius feriri arteriam, tanto magis, quod cor non extendetur in priſtinam iuſtamue amplitudinem, quoniam totum non impletur, adeoque breuior via muſculoſis fibris conficienda eſt. Quod ſi tenuis valde praeterea ſit ſanguis, celerrima eius reddetur contractio. Et haec de ſanguine, cuius in crasſitie et copia varietas omnis videtur quaerenda, nec quicquam amplius ſupereſſe.

Reſtat, vt arteriam quoque contemplemur, etſi iam tum aliqua attigiſſe videri posſimus, quae ad eam attinent. An vero aliquod hic diſcrimen occurrat, merito dubites: vt enim vni homini prae altero crasſior et robuſtior contigerit, (quod in omnibus corporis partibus accidere ſolet) aeque tamen omnis fuerit flexilis, et impulſum ſanguinis in ſe accipere et repellere apta, quamdiu naturae praeſcripto conueniens deprehenditur. Credibile etiam, naturam aequabili ratione viſcerum, nominatim cordis, et horum canalium robur diſpertiri: minime vero putandum eſt, eiusdem corporis arterias ex morbis mutari, duriores, molli oresue effici. Meminiſſe etiam oportet, nos attributa pulſuum ſectantes, ſingulorum, non vniuerſae naturae varietatem inquirere. Nulla igitur pulſui diuerſitas ex arteria poteſt euenire. Illud praetereundum ſilentio non eſt, in aliis magis apertas iacere arterias; tactuique patere, in aliis profundius eſſe abditas: itemque in emaciatis morboue conſumtis, euaneſcente ſenſim pinguedine, fibriſue carneis collapſis, in aperto magis poſitas, in bene ſaginatis vero contectas abſconditasue. Hinc vtrinque cautio eſt, ne vel profundius iacens

cens arteria ſpecie debilitatis imponat, magnusue qui eſt, exilis videatur, vel contra magnus nimis habeatur, qui carnium iuſta obductus copia mediocritatem forte non multo excederet.

Et nunc tandem, his omnibus penſitatis probe, de pulſu certi quid ſtatuere licebit, quod, vel vno horum neglecto, fieri commode non poterat. Neque enim ſufficiebat cordis motum habere perſpectum: quantumuis enim in eius notitiam venire deſideremus maxime, neque tamen hunc ſolum expetimus diſcere, et pulſum arteriae, non cordis exploramus, quod tangere eſt nefas. Qualem igitur percipiunt digiti in arteria micare, talis nobis deſcribendus, nominandusue veniet, nec cum cordis pulſu, quod vulgo fieri conſueuit, erit confundendus; vt recte monuit primus, qui pulſum curatius explorauit, Auctor HEROPHILVS, de quo (*) ita ſcribit GALENVS: *Videtur omnem vir ille motum arteriarum, quem habere nos a primis vitae temporibus ad mortem vsque percipimus, pulſum appellare, ex quo praeſentem ſtatum cognoſcimus, praeſcimus venientem, nec pulſum, qui in corde eſt, vel in cerebro, vel in membranis eius, requirimus.* Cuius exemplum vtinam ipſe GALENVS eſſet ſecutus. Talis autem pulſus arteriarum deprehenditur:

I.

Fortior cordis contractio cum ſanguinis abundantia pulſum conſtituit, quem magnum appellamus.

Magnum ſcilicet, quia et arteria altius extollitur, et plenius ſpiſſiusue pulſat, manifeſtoque, et leniter in digitos impellitur. Vt autem, qui iſtuc fiat, aperiamus, ex iis, quae diximus, haec recolenda ſunt: inſigne cordis robur, vbi magna ſimul exiſtit in corpore ſanguinis copia, et in eiusdem ſinus hinc plurimus influit, illosue diſtendit, vehementem molietur contractionem, ſed mole ſanguinis expellendi laborans, vix perficiet gnauiter, impetu igitur eius nonnihil retuſo, celeritatem non aſſequetur. Sed parum hoc tamen fortaſſis conatum eius remorabitur: at vbi eiectus hinc liquidus pilus multum adeo ſanguinem offendit, preſſumque arctius in diſtenta arteria, difficilius amouebit, fortiter licet incurrens, arteria altius quidem aſſurget, ſed nec celeriter, nec ſine difficultate: naſcetur ergo pulſus, qualem in plethoricis et febrium initiis obſeruare eſt, qui Magnus appellatur.

(*) IV. *de diff. Pulſ.*

II.

Fortiter ſe mouente corde cum ſanguinis iuſta, id eſt magna quidem, ſed quae intra mediocritatem ſtet, copia, naturalis; at vbi celeritas accedit, vehemens naſcetur pulſus.

Iam tum innuimus, pulſum vehementem cordis non ex ſimplicibus eſſe, ſed compoſitis eius generibus: quod nunc clarius etiam de illo, quem edit arteria, eluceſcit. Componitur enim manifeſto ex ex magno et celeri. Paradoxon forte proferre videor: contra omnium enim hoc videtur eſſe medicorum ſententiam, niſi quod *Magnum*, neſcio quem, idem ſenſiſſe olim, diſco ex GALENO, (*) vbi Archigenes aduerſus eum disputans citatur. Sed ita fert cauſa veritatis, et res eſt nimis manifeſta, quam vt negari queat, quicquid etiam de medicorum auctoritate ſit futurum. Fefellit enim eos, quod ſolus hic, compoſitus cum ſit, nomine gaudeat ſimplici, cuius fallaciae quanta ſit vis, qui ARISTOTELIS de Sophiſticis elenchis primum caput inſpexit, non poteſt ignorare, vbi incomparabilis vir praeclare de ea re monuit. Quod tamen non omni ex parte fefellit Galenum, vtpote quem, ne ab illis diſcederet, ſolus retinuit vſus loquendi, ſic enim legitur libro laudato tertio: *Quam ob rem, ſi mihi nomen ſit inſtituere liberum, ſimplicem pulſuum renitentium qualitatem et euertentium tactum, vim vel robur, vel contentionem appellem, vel quid tale aliud, quae vero ex hac eſt et celeritate conflata, vocem vehementiam.* Haec ille. Sed rem ita eſſe, vt diximus, inde eſt liquidum, quod cor, ſua potentia inſtructum, vbi iuſta ſanguinis parte impletur, et, quantum ſat eſt, extenditur, nec nimis ab eo oneratur tamen, expeditius ſe mouebit, et naturae conuenienter aget. Concitatum vero forte a cauſa morboſa, velocius motum, maiore cum impetu ſanguinem eiiciet, qui in proximum eodem impetu incurret, is vero hinc in arteriam: non poteſt enim, quia non nimius eſt, frangere impetum propulſoris. Eam igitur et celerius attollet, et inde etiam altius, vnde naſcetur pulſus vehemens: qualem in febribus intermittentibus, vel primo ſtatim initio, vel paroxysmis aliquot praeterlapſis ſemper obſeruari, itemque in animo commotis. Sed non admodum craſſum ac ponderoſum oportet eſſe ſanguinem: talem enim celeritatem non admittere, iam antea monuimus. Sed quoniam hic pulſus celeris facta eſt mentio, tempus eſt, eum deſcriptum dare.

(*) *Lib. III. de differ. Pulſ.* cap. I.

III. *Quoties*

III.

Quoties breuiore, atque aſſolet, temporis ſpatio cordis mucro ad baſin admouetur, ſi ſanguinis ſit homini non nimium, neque is crasſitie et ponderoſitate laboret, edetur pulſus celer.

Iam haec innuimus, et in aperto res eſt collocata; opportune tamen hic moneri poterit, quod ad copiam ſanguinis, in triplici eſſe eam differentia; vel enim abundabit, et tum celeritas locum non inuenit, vel mediocris eſt, et cum magno iungetur, vehementemque arteriae ſubſultationem efficiet, vel denique exiguum eius ſupereſt, tum vero et celer, modo cordi ſuum conſtet robur, et ſimul paruus fiet pulſus, qui, cum non minus quam vehemens ſit compoſitus, nomine vero ſingulari careat, pulſus interim celer et paruus appellatur: vnde robur accipiunt, quae de vehementi ſupra attulimus. Tum vero notandum et hoc: quo minus in venis eſt ſanguinis, eo celeriorem pulſum edi poſſe, neque enim ſolum thalami cordis non expandentur, adeoque breuior erit fibrarum decurſus, ſed etiam minus inuenient reſiſtentiae. Idem etiam de attenuato valdeque fluido ſanguine tenendum eſt: vt oppoſito modo ſe habet craſſus, lentus, ponderoſus, qui dum difficilius amouetur et excedit ex oſculis, plus renitentiae habebit, et vel cum celeri cordis motu pulſum tamen arteriae celerem fieri prohibebit.

IV.

Quandocunque exigua in venis eſt ſanguinis copia, paruus fiet pulſus.

Parui pulſus alia nonnihil eſt ratio, quam magni, qui non fit ſine cordis robore et contractione plenaria, hic vero a ſolo ſanguine pendet. Quanto enim cor tandem vigore ſe contrahat, vbi ſanguis deficit, non poterit fieri magnus pulſus. Exigua enim pars ſanguinis, cum arteriam ne impleat quidem, multo minus poteſt attollere: vtrumque autem horum oportet fieri, vt magnus edatur, ſtante eo, quod aſſeruimus: arteriae, non cordis pulſum nos metiri. At enim, ſi omnia recte expendamus, forte cum exigua ſanguinis quantitate magnum cordis robur neutiquam adeſſe ſimul poteſt, vt nec cum paruo pulſu copia ſanguinis. Etſi enim debilem etiam pulſum cum mediocri eiusdem quantitate ſit nonnunquam obſeruare, id tamen fere in ſolis oppresſionibus vel malignis, vel hyſtericis contingere ſolet, vbi non deeſt robur cordi, ſed opprimitur, prout a ſpirituoſis particulis oppresſis fieri, non obſcure mihi videor obſeruaſſe: id quod etiam lipothymiae confirmant, ſaepe obruentes, quos caetera omnia pulchre valere conſtat. Sed de hac

re deinceps ad problema poſtremum vberius agere eſt animus : nunc id interea ſupponemus. Paruus pulſus in declinantibus ad finem febribus, aliisque morbis obſeruatur : paruus vero et celer in intermittentium diuturniorum paroxyſmis occurrit.

V.

Vt primum a cordis contractione celeritas abeſt, parum autem ſanguinis reſtat in venis, fit pulſus debilis.

Non opus eſt,vt lente cor contrahatur, modo non celeriter id fiat, ad languidum hoc pulſum edendum ſufficit. Dubitari quidem poſſet, an non cum copia ſanguinis ſatis magna debilis fieri pulſus queat? Verum hoc rectae rationi puto aduerſari. Vt enim vehementem non niſi magnum eſſe, ex iis conſtat, quae modo in medium ſunt allata; ita nec debilis poteſt concipi, niſi ſimul ſit paruus, contrariorum enim, quod docent Philoſophiae magiſtri, eadem eſt ratio. At porro etiam, cum vehementem ex magno faciat ſola celeritas, ex paruo, ſimul ac contractio cordis eadem deſtituitur, fieri debilem neceſſe eſt. Debilis poſt paruum, in magis inclinato, mortique proximo febrium et aliorum omnium morborum ſtatu deprehenditur.

VI.

Tardus autem fit pulſus, cum notabilis eſt ſanguinis reſiſtentia, a cordis autem contractione celeritas ſemota.

Dum cordis pulſum vnquam tardum fieri in antecedentibus iuimus negatum, neutiquam et arteriae pulſum tardum eſſe non poſſe, aſſertum voluimus. Poteſt enim ab intermedio ſanguine plurimum ille mutari, quemadmodum ex modo allatis exemplis deprehendere eſt. Si enim robur cordis ſit imbecille, vt admodum velociter non moueatur, ſed naturali celeritate ſolummodo ſe contrahat, ſanguis autem aliqua valeat renitendi vi, non totum egeſti in ſe ſanguinis impetum recipiet, ſed nonnihil fractum : lentius ergo mouebitur, quam mouebatur in ipſum ſanguis, et cum ipſum etiam eiectum ſanguinem paulo placidius quam cor moueri credibile ſit, (reſiſtentiam enim habet) tertiumque frangatur haec communicata energia ad arteriam, tardiorem poſtremo huius pulſum fieri concedendum erit, etiam ſi cor non ſine celeritate aliqua moueatur. Et hinc etiam magnum pulſum tum demum fieri aſſeruimus, ſi robur cordis ſit conſtantisſimum. Si igitur fractum hoc eſt robur, cum paruo et tenui ſanguine, mollius arteriam feriente, pulſus

ſus erit debilis, non enim niſi pars diaſtoles ſentietur; cum multo vero aut craſſiore tardus euadet. Vt enim ille a corde communicatam potentiam in arteriam exſerere et transferre nequit; ſic eandem franget huius ponderoſitas, et ſupprimet. Haec de pulſu ſingulari, reliquum eſt, vt de intercurrente ſpatio notemus.

VII.

Frequens cordis et rara pulſatio nullam a ſanguine aut arteria mutationem ſubit, ſed qualis inde prodit, talis ad hanc incorrupta deuoluitur.

Ratio omnibus patet: cuncta enim, quae ex mobilium ſunt cenſu, percuſſa in ſpatio idoneo, cedere aſſolent, idque vtprimum, et quotiescunque a percutiente impelluntur: ſanguis autem et arteria his accenſenda ſunt. Frequens in omni febrium genere nunquam non offert ſeſe, et cum calore earum eſt pathognomonicum: rarus autem in ſuppreſſionibus vterinis, hypochondriacis et talibus; ſed nec in his perpetuo, verum per vices regnat.

Et tot quidem modis a naturali illa mediocritate, quae recte valentibus eſt propria, deſciſcere pulſus poteſt, cuius inde exurgunt, remoto ex ſimplicium numero vehementi et debili, diuerſitates ſimplices omnino tres:

1. Magnus et paruus;
2. Celer et tardus;
3. Frequens et rarus.

Ex quibus vulgo neſcio quot genera compoſitorum tradunt oriri: ego vero reducenda arbitror ad ſequentia:

1. Cum magno combinari poteſt frequens et rarus, ſed vterque nullo exceſſu notabilis, celeritatem autem ſanguinis copia, tarditatem vero cordis robur vix admittunt: ſeruabit igitur in his mediocritatem.
2. Celer cum mediocriter magno vehementem conſtituit. Inter hunc autem et tardum medius cum paruo erit debilis. Nam tardum ipſum cum paruo ſtare non poſſe, ſupra eſt oſtenſum. Idem cum paruo etiam facillime et frequentiſſime coniungitur.
3. Frequens cum omnibus generibus ſubſiſtit, praeterquam cum tardo.
4. Paruus celer eſſe poteſt, non tardus, frequens etiam potius, quam rarus, non tamen hic nunquam cum illo occurrit.
5. Tardus mediocri magnitudini iungitur, itemque frequentiae mediocri.

6. Rarus

6. Rarus cum magno, paruo, debili, tardo concurrere obſeruatur.

Conſurgent igitur Compoſitae VIII.

1. Magnus et frequens.
2. Magnus et rarus.
3. Magnus et celer, vehemens.
4. Magnus et tardus.
5. Paruus et frequens.
6. Paruus et rarus.
7. Paruus et celer.
8. Paruus et mediocriter tardus componunt Debilem.

Decompoſitae vero, ſeu tergeminae IV.

1. Vehemens (ſeu magnus, celer) et frequens.
2. Vehemens (ſeu magnus, celer) et rarus.
3. Debilis (ſeu paruus, nonnihil tardior) et frequens.
4. Debilis (ſeu paruus, nonnihil tardus) et rarus.

Tot nempe, nec plures ratio admittit, confirmat experientia; a qua duplici cynoſura vel latum vnguem declinare nefas eſt. Qui id faciunt, vel ingenii luſu decepti, vel vulgatis opinionibus, aut auctoritate inducti cenſendi. Vnde non poſſumus in reliquis BELLINIO noſtro ſubſcribere, qui non cordis modo et ſanguinis, ſed arteriae quoque cauſa pulſum cenſet immutari, et pro varia eius tum amplitudine, tum duritie alium fieri. Notandum enim, pulſum conferri poſſe et ad pulſum alterius, et ad ſe ipſum: et hoc quidem, prout vel aetate, vel ex morbo fit alius: quae duo neutiquam ſunt confundenda. Sic pro ratione totius generis humani non eſt dubitandum, in corporibus grandioribus etiam ampliores eſſe arterias, imo forte et cordis amplitudini ac moli arterias accommodari. Neque eſt, qui non videat, pueris et minores eas eſſe et molliores: ſed hoc non iam inquiritur. Cum enim ars verſetur circa ſingularia, illud dubium eſt, an ex morbis etiam talis arteriis accidere poſſit mutatio. Vbi quidem cauſam nullam video, cur amplitudinem ex iis augeri ſtatuamus. Neque enim experientia id conſtat, nec credere vlla cogit ratio: cum ne quidem in Aneuriſmate arterias, vt nonnulli exiſtimarunt fieri, amplientur. Alia ratio eſt duritiei: nam arterias, aquae feruenti commiſſas, ſtatim indureſcere, experimento licet diſcere, vt non ſine ratione Galenus videatur pulſum durum introduxiſſe. Attamen ſi penitus rem inſpicias, neque is videtur facile admittendus. Primum enim, an in humano corpore idem

euenire

euenire queat, merito dubites: eo enim admiſſo nemo amplius, qui ſemel calido aliquo morbo, aut vel intermittente laborauerit febre, pulſum naturalem reciperet, cum ex molli quidem dura reddi arteria poſſit, ſed a duritie ad mollitiem non ſit regreſſus: alia autem omnia docet experientia. Sed et in aquam tepidam, vel eius caloris, qualis ſanguis aeſtuans in febribus eſſe posſit, ſi arteriam mittas, non aeque ſuccedit experimentum. Concedamus autem, et hoc fieri: non tamen ideo pulſus durus ac mollis poterit inde appellari, cum motum quendam durum mollemue dicere abſurdum ſit, at vero pulſus eſt motus, ergo ex Axiomatis I. virtute durus dici non poteſt. Verum hoc forte Galenus aliquis dixerit eſſe litigationem de nomine: arteriae enim duritiem ſentiri. Primum itaque loquatur is perſpicue, vt illum videam, nec pulſum, ſeu diſtenſionem arteriae duram vocet, ſed arteriam ipſam: deinde faciat periculum, vt certo illi conſtet, duritiae ſenſum in pulpam digitorum per integumenta corporis transmeare: quod vbi exploratum habebit, circumſpiciat de tam exquiſitae disquiſitionis vſu, et dicat mihi, an aliud praeter calidae intemperiei exceſſum adaperiat? Quod ſi non inuenitur, valeant cum ſuo pulſu duro, quicunque eum hactenus aſſeruerunt, cum de illa ſatis ſuperque aliunde et ex ipſiusmet pulſus reliquis differentiis queat conſtare. Et quid tandem fiet de pulſu arteriae induratae? profecto nil aliud, quam quod pulſus erit minor. Cum enim tam promte vt antea neque extolli, neque dilatari amplius durior arteria posſit, paruus erit pulſus: quod ſi ita eſt, ego demiror in diuturnis febribus, et quartanis biennalibus eum non plane deficere, quibus tamen ſuperatis pulſus a naturali nulla ſentitur diuerſitas. Et vero pulſum non durum, ſed paruum fieri, agnoſcit hic, et cogitur BELLINIVS fateri, leuius digitos preſſurum tunc pulſum inquiens: ergo ſane paruus erit, non durus, quippe qui fortius erat preſſurus. Quomodo autem ſui oblitum, diuerſum adeo deinde ſentire eum contigerit, non patet: ſi quid tamen perſpicio, abripuit illum vulgata, ſed erronea Galenicorum doctrina: qua a Magiſtro docti, inter pleuritidis pathognomonica etiam pulſum durum referunt, metuentes, ne forte illo amiſſo eam non poſſent amplius agnoſcere. Sed enim vereor, ne in vniuerſum doctisſimo huic viro contigerit, quod magno accidiſſe nouimus Galeno, qui cum alibi, tum in doctrina de pulſu maxime, magis ſpeculationibus, quam veris rei momentis animum intendiſſe videtur, nec pauca inania et ſuperflua congesſiſſe, quae excogitari quidem facilius, quam ipſo opere deinde deprehendi potuerunt. Quamuis, ſi

legas cum cura eius libros de pulſibus, non tam ipſummet nobis finxiſſe iſthaec, quam ex ingenti multitudine ab aliis ante ipſum effictorum reliquiſſe eum appareat, cum in quam multis eorum refutandis haut parum conſumat operae. Quicquid autem huius ſit, certe ex reiectaneis etiam eſt illa diſtinctio, qua pulſus plenus aut vacuus eſſe exiſtimatur, quem a magno et paruo non alia ratione differre conſtat, quam qua cauſa ab effectu. Si enim plenae ſint arteriae, magnus erit, ſi inanes, paruum eſſe conuenit: cauſa autem pulſus non poteſt eſſe pulſus ipſe, nec nomen ita ſimpliciter eidem impertire ſuum, multo vero minus nouam differentiam conſtituere: Vt taceam, motum plenum et vacuum dici citra abſurditatem non poſſe: adeoque nec pulſum; quod oſtenditur ex eodem axiomate modo citato. Quapropter et ipſe *Galenus* eum eliminat, et examinatum reiicit, libro *de Differ. pulſuum* et *tertio* et *vltimo*. Quo magis miror, etiam illos, qui eum vbique habent alias in oculis, hunc pulſum poſt ipſum auſos fuiſſe ex orco reducere.

Sequitur pulſus celer ac tardus; de quo quam ſibi non conſtet noſter, quilibet videt. Nam de hoc vltimo mecum equidem facit, et in ſtatu naturali eum non occurrere ſatis probe perſpexit, mox tamen in vniuerſali arteriarum obſtructione eum fieri poſſe ait: quae ipſa arteriarum obſtructio cum per naturae leges accidere nunquam poſſit, facile apparet, quid de eo ſit ſentiendum; vti etiam de arteriis, prorſus exhauſtis, ex quibus non celerem, ſed paruum fieri, manifeſtum eſt.

Poſtremo aduertendum eſt, doctiſſimum virum in eo non parum recedere a doctrina vulgata, quod compoſitas pulſuum differentias cum reſpectiuis confundit. Verum id cum ex Inſtitutionibus ſit notum, tyronum cauſa vno verbo monuiſſe ſufficiet. Reſpectiuas autem differentias vocari conſtat, cum vel pulſus ipſius, vel intercurrentis quietis tempora inuicem conferuntur.

Pulſum autem ad pulſum conferri poſſe, ex ſe elucet, cum vnus altero queat eſſe celerior, maior ac vehementior; nec minus de quiete id verum eſt, cum inter duos pulſus modo plus temporis intercedere queat, modo vero minus: vnde vtrinque inaequalitas pulſus naſcitur. Nihil autem a vero aberrauero, ſi neque cum magno, neque cum vehementi inaequalitatem frequenter obſeruari aſſeram. In tertianis tamen vna alteraue vice eam memini me reperiſſe: nec dubito, vel multitudinem ſanguinis, vel aliquid malignitatis eius rei fuiſſe cauſam. Vbi enim pulſus magnus eſt, multum eſſe ſanguinem plane oportet, quo-

cum debilitatem cordis ſtare non poſſe, ex antea dictis conſtat: relinquitur ergo, vt vel oppreſſa eius potentia motiua, vel onerata deficiat. Cum magno celeritas etiam inaequalis poteſt occurrere. Quae ſi per vices augetur, vehementem magno intercurrentem conſtituet. Duplici igitur ratione pulſus ad pulſum collatus inaequalis erit: in magnitudine et vehementia. Quod ſi cum paruo celeritas varia ſe exſerat, debilis huic vel vehemens dicetur itidem interponi. Sed in frequentia et raritate quoque ſpectari poteſt varietas; quae ſi tanta ſit, vt ſpatium intercedentis quietis duplicetur, erit pulſus intermittens, ſi tam exiguum, vt bis feriat eo, quo ſemel attolli ſolebat, momento arteria, intercurrens poterit appellari: ſi cum extrema exilitate intermittat, deficiens, qui parui ſeu debilis quidam veluti exceſſus habendus eſt.

His in vnum collectis in inaequalitate iſta emergit pulſuum varietas:

1. In magnitudine ſimpliciter tali.
2. In magnitudine et celeritate, vnde vehemens naſcitur, magno per vices interpoſitus.
3. Quod ſi celeritas cum paruo concurrat, ſimpliciter celer interponetur; ſi vero ſimul et in magnitudine variet, vehemens quoque fuerit.
4. Frequentia ipſa vero etiam inconſtans, cum magnus eſſe poteſt, tum vehemens, itemque debilis et paruus. Hanc enim affectionem omnibus pariter pulſibus conuenire, ſupra iam docui.

Et in his, vt ego quidem arbitror, poſſumus acquieſcere. Nam reliquas omnes minutias et miras tricas, quibus excarnificantur ingenia diſcentium, tempusque illis ediſcendis inutili conſumitur diligentia, ne hilum quidem aeſtimanda puto, maxime vero illam, quae in ſingulari pulſu perhibetur obſeruari inaequalitas. Myurum hinc, Impar citatum, dicrotum, caprizantem, vndoſum, vermiculantem, formicantem, ſerratum, et ſi quae ſunt febriculoſa commenta ac pulſuum portenta alia, reiicienda opinor omnia, quibus otioſa ingenia oblectamentum et pabulum quaerant; illi autem, qui vita breui artem longam exercere cupiunt, nullum certe capient fructum. Qui enim haec naſci, aut quibus cordis afflictionibus excitari vnquam, imo qui percipi posſint non patet, cum ſenſus tactus homini omnium ſit crasſisſimus et obtuſus maxime, neque alias etiam motus iudex adaequatus, vtpote qui ad qualitates tactiles non referatur. Quod ſi quis tam ſe eſſe felicem praedicet, vt internoſcere haec posſit naturae an artis ludibria, illum ego tam egregia de ſe concepta exiſtimatione frui non tantum lubens permit-

tam, ſed etiam optabo, vt publico artis et aegrotantium bono hic prorſus decipiatur mea ſtupiditas; interea tamen eundem obteſtor per Genium ſuum, per ſuam fidem, quam inde vtilitatem ſperet, ediſſerat. Cum enim omnes iſti pulſus, paucis ſaltim exceptis, aegro exitium portendant, et in extremum locum redactum eſſe, faciant fidem, reliqui cum nihil certi ſignificent, cui vſui obſecro haec tam ſollicite iubentur diſcerni, aut tanto cum labore ediſcuntur? Sed quid opus eſt verbis, in hanc rem inutiliter profuſis, cum in promtu ſint clarisſimorum virorum teſtimonia, qui percipi aut vſum habere neutiquam poſſe, fatentur vltro: quale eſt illud IOANNIS BAPTISTAE MONTANI qui etſi tam acris ac diligens GALENI fuerit ſectator, vt eius genius quibusdam viſus ſit, et anima illius in eum tranſiiſſe dicatur, non tamen dubitauit aperte fateri, *ſe minutias illas pulſuum cognoſcere non potuiſſe, ſeque credere* GALENVM *in his aliquid Graeci* (Graecam fidem innuit) *habuiſſe, cumque iſta ſcriberet, et pulſuum genera ad minima diuideret, riſiſſe.* Cui accedat alterum HERC. SAXONIAE, (*) *eas differentias, quae ad artem nihil conferunt,* inquit, *plurimi proponunt, non quod ipſi ſenſu eas cognouerint, ſed vt* GALENI *mentem, obſcuris verbis inuolutam, quoad fieri posſit, plenius aperiant, aut nihil, quod a* GALENO *aliquando propoſitum fuerit, neglexiſſe videantur.* Quod ſi viri illi, in quibus ſummum ſtudium, ingenium vero maximum ac felicisſimum viguit, qui in arte facienda conſenuere, eiusque vſu omnes ſui temporis medicos aequarunt, ſi non etiam ſupergresſi ſunt, illeque ipſe GALENI Genius haec capere non potuit, quid de aliis ſperem, facile Lector eruditus coniecturabit. Iactet ſe, qui velit, ſe his eſſe ſagaciorem, ego hic non modo plus non ſapere, ſed cum his etiam deſipere videri non renuam.

Supereſt vt de Rythmo etiam paucis agamus, ne quid omiſiſſe aut neglexiſſe videamur, quod ad pulſuum doctrinam pertineret. Idque tanto lubentius facio, quod video, nullibi hanc doctrinam recte proponi, ſed vel imperfecte tradi, vel plane a ſcopo aberrari, quod Rythmi naturam prae ignorantia Muſicae artis ignorent plerique Medicorum, adeoque hic micent in tenebris, et Andabatarum more aërem fruſtra flagellent. Vt vt autem a teneris huic ſtudio deditus fuerim, eiusque principiis ac ſcientia nonnihil inbutus; ſic eo facilius prae ceteris mihi erit, iſtam artis partem clarius percipere, et pro tenuitate ingenii emendare. Veniam autem merentur noſtrates, cum erroribus atque incertitudine ſua iis praeiuerit dux gregis

(*) Libro de Pulſu.

gis Galenus, qui dum in ſolo dilatationis et contractionis tempore inter ſe collato rythmum poſuit, duplici nomine meretur reprehenſionem. Primum enim falſum plane eſt, haec tempora poſſe vnquam inaequalia fieri: cum enim non proprio motu arteriam contrahi, ſed inflexorum rigidorum more reſilire oſtenderim, certa naturae lege reciprocum hunc motum inaequaliter edere prohibetur. Deinde, etiamſi concedatur ipſi ſpontanea arteriae per fibras contractio, tamen hoc ſolo ſpectato, vix minutam rythmi portionem tetigerit, quem multo latius patere, et per omnem pulſus inaequalitatem ordinatam ſe diffundere pateſcet; in qua cum multus, imo nimius ſit Galenus, turpe ipſi profecto eſt hoc ignoraſſe, cum propter ſolam iſtam ignorantiam imperfectam illam doctrinam ſuam relinquere ſit coactus. Multo rectius autem adiunxiſſet ſubſidentiae quietis tempus ad rythmum iſtum ſuum conſtituendum, in quo faciendo praeluſerat HEROPHILVS, quem ille in hoc genere doctrinae principem vocare ſolet, neſcio vero quo genio in transuerſum actus, hic ſine vlla ratione ab eo defecit, pariter atque ab ipſis Muſicis, quod tertio eius de dignoſcendis pulſibus fatetur, quem locum, cum parum vulgo ſit notus, operae pretium arbitror tibi integrum exhibere. Talis ille eſt: *Verum quid interpretetur rythmum* (HEROPHILVS) *difficile eſt inuentu, temporisne diſtenſionis ſolius ad tempus contractionis ſolius proportionem, an ipſum etiam quietis tempus, quae comitatur vtrumque motum, iis attribuat: neutrum enim eius oratio plane oſtendit, neque confirmare rerum natura poteſt. Quod ſi iam alteram ſententiam tueamur inſtituto muſicorum, tempora quietum praecedentibus motibus adiiciemus; ſin, quod facit ad praeſagiendum, motum cum motu comparantes, ſeparatim quietum tempus aeſtimabimus. Cum igitur alterutrum ſit neceſſe, aut notionem nominis labefactare, aut peruertere vſum, vtrum faciamus potius, implicati tenemur, Tamen, quandoquidem alterum eligendum eſt, repudiato muſicorum nomine, quod conducit ad praeſagiendum, potius ducam.* Ex quo apparet, et HEROPHILVM, et Muſicos alium iniiſſe computum in rythmo, quam Galenum, qui de eo agentem, quia non arriſit, non potuit HEROPHILVM capere. Nulla autem erat ratio, cur peruerteret nominum vſum, praeſagiendi gratia, quod multo commodius fiet retentis HEROPHILI placitis: nam quietem niſi adiungas, nullam in rythmo fieri diuerſitatem poſſe, nimis eſt perſpicuum. Quod vt fiat apertum, quo pacto ſibi vlterius conſtet, pergamus ad rem, et noſtram ſententiam tibi exponamus. Cum autem ipſum Rythmi vocabulum ex illa arte ad noſtram traductum ſit, nullam eſſe exiſti-

exiſtimandum eſt viam aliam, qua deuitemus hic errores, quam ſi a Muſicis doceri nos patiamur, quid ſit rythmus. Neque tamen ab hodiernis e triuio hoc petendum aut exquirendum eſt Muſicis, qui id plerumque non magis perſpectum habent, quam Thebarum portas, aut ſeptem oſtia Nili, ſed ab antiquis illis Graecis, qui hoc regere animos poterant, imperare affectibus, et flectere illos, quo vellent: quo artificio noſtri pene toto deſtituuntur. Si fateri enim volumus, quod res eſt, in Germanorum cantu nullus prope rythmus obſeruatus hactenus fuit, pauca modo ſcenica, quae Hamburgenſium conatus nuper, Italicum imitati idioma, nobis dedere, et vnum alterumque genus a Latinis imitatum excipias. Quamuis et Italicum rythmo omni deſtitui, vir ſtupendae eruditionis, et qui vnicus hac in parte ſapere mihi videtur, IS. VOSSIVS exiſtimet: quod, ſi artem ipſam ſpectes, omnino ita eſſe deprehenditur, quamuis caſus aliquem nonnunquam finxerit et vſus diuturnior, inſcio forte artifice. Quo autem ſecurior incedam, liceat mihi hunc optimum huius artis magiſtrum, et genuinum veteris Muſicae interpretem in ſocietatem aſſumere, teſtemque laudare. Ipſe igitur, poſtquam tria in cantu notanda eſſe, aduertit, harmoniam, ſermonem, et rythmum; hunc tandem eſſe docet concinnum cantici motum, aliquid ſignificantem, qui cantum animet et affectibus mouendis, vel ſolus ſine verbis ſit aptus. Conſtare autem ex pedibus metricis apte inter ſe ordinatis. Et ſane ita eſt: quod in ſoluta oratione eſt numerus, id pedum ſymmetriae in Poëtica, et in Muſica rythmo adſcribendum venit, niſi quod huius multo maior vis eſt, et plane *ἑλκυστικόν τι*, imo rapiens. Hoc igitur ſi ad pulſum iam transferre animus eſt, facile apparebit, quam varie hic a noſtris fuerit peccatum. Quod tamen mirum videri non debet: cum enim ad numeros quidem olim pulſus fuiſſe exactos conſtet, qui autem hanc artem ex veteribus docuerit, ſuperſit nemo, atque interim ita illa interciderit, vt ne quidem rythmi vlla notitia nobis reſtet: qui potuerunt, quotquot tandem id opus aggreſſi ſunt, non abduci in errores, poſtquam ipſum etiam, qui vnus ſeruare eam poterat nobis, Galenum Muſices imperitia ab his ſacris arcuit? Sed ad rem accedamus: vbi, quo rectius aliquid de rythmo pulſus dici poſſit, ipſa illa pedum metricorum hiſtoria ad memoriam reuocanda eſt. Cum enim hi rythmo ſint ordine priores, niſi illi in pulſibus ſpectari queant, nihil ſpei eſt reliquum, ad rythmum perueniri poſſe. Sunt autem pedes, vel accentus, vel temporis inaequalitas; quod ita, inuitis licet omnibus noſtri aevi ſcriptoribus

ptoribus poëticis (non tamen forte VOSSIO, vt qui p. 11. opuſculi nitidisſimi non temporis ſolum, ſed et elationis et poſitionis habendam eſſe rationem monet, vbi ſi per elationis verbum non intelligit accentum, ego eum non capio) aſſerere cogor, aut veritatem prodere: niſi accentum ad rythmum quis referre malit, quod tamen ſatis commode fieri poſſe non video cum rythmus ſit ex pluribus pedibus compoſitus, accentus vero, vel in biſyllabo obſeruari posſit. Teſtantur hoc vernacula noſtra poëmata, in quibus nihil frequentius eſt, quam integros verſus ex meris ſyllabis longis conſtantes legere, quibus tamen ſola recitatio verum conciliat rythmum, ſublata alterne ſyllaba, vt vel iambus, vel trochaeus videatur. Idem teſtántur tympana, in quorum pulſu rythmum vnice ſupereſſe, doctisſimus VOSSIVS contendit, quorum ſaepenumero non tam ictus acceleratus tardiorve, quam altius immiſſus conciliat illam diuerſitatem ſoni, quae tanta cum efficacia concitat animos, accendit et percellit. Verum idem apertius multo teſtatur pulſus inaequalis arteriarum, qui, vt patet ex dictis, duplici modo ſpectari poteſt: vel enim in magnitudine, quam accentui comparare; vel in frequentia varius occurrit, quod tempori, et ſyllabarum productioni aut breuitati conuenire exiſtimandum eſt. De frequentia recte obſeruatum eſt hactenus, in naturali pulſus conſtitutione ſyſtolen diaſtolae aequalem eſſe oportere, (de quiete poſt ſubſidentiam arteriae controuerſia nunc exulet) id quod etſi obſeruari non posſit, (neque enim ſyſtole digitorum ſenſui ſubmittitur) nunquam non accidere exiſtimandum, quia natura reciproci motus ita fieri poſtulat. Pendulum enim tantum in vna, quantum in altera vibratione, tantumque in recurſu, quantum in primo excurſu conſumit temporis, nec ad aliam normam lex omnium ex flexu motum reciprocantium exigenda venit. Quod ſi itaque aequalia ſint pulſationis et quietis tempora, ſpondeum, qui e duabus longis conſtat ſyllabis, pulſus imitabitur. At ſi ab iſta perfectisſima ratione corde diutius feriante, eundem vero pulſus modum ſeruante, receſſerit, iambus naſcetur, vel trochaeus, cuius altera breuis, altera longa eſt, et productior temporis menſura: hicque in ſimplici ex pulſationis et quietis tempore oriunda differentia numerus occurrit. Quod ſi eandem attendamus diuerſitatem in magnitudine, eosdem pedes referri videbis ad accentum inita ratione. Si enim paruum pulſum magnus ſemper inſequitur, iambum imitabitur, aduerſo vero modo ſi ſe habeat, trochaeum referet. Sic etiam triſyllabos pedes repraeſentare poteſt: intercurrentibus enim perpetuo binis

nis breuibus, inter duos longos, anapaeſtum appellaueris, vel dactylum, ſi longi totidem duobus paruis interponantur, Baccius aut hyperbacchius erit; quemadmodum quidem pulſus frequentisſimus aequalis meros Pyrrichios aut tribrachyn continuatum conſtituit, et ſic in ceteris. Quemadmodum vero, vt modo oſtendimus, rythmus ex pedibus his metricis inter ſe compoſitis conſtituitur, ita tum demum, ſi quid ſimile in pulſu contingeret, verus rythmus poſſet appellari. Quoniam vero varia vocis acceptio eſt, vt probatisſimis etiam ſcriptoribus pes, metrum, et rythmus idem prorſus ſint, hinc vel ſoli ad pedes modo enarrato exacti pulſus numeri, rythmi nomine venire queunt, et ſic pulſuum inaequalium varietates in iuſtam redigi poſſent ſcientiam, ſi inde ſperari aliquid aut peruenire ad nos commodi exiſtimari posſet. Verum ego quidem valde vereor, vt eiusmodi conatus illi ſint, in quibus, quod operae pretium ſit, fiat. Ad id enim opus eſſet, vt non tantum de τȣ̃ ὅτι, et tales pulſus reapſe in morbis obſeruari, certa et indubitata conſtet veritas, verum etiam τὸ διότι minime eſſet ignorandum, vt ex eo, quid ſinguli eiusmodi pulſus rythmici ſibi velint, conſtitui posſit. Haut immerito vero tam prius, quam poſterius humano ingenio patere, quis dubitauerit: non enim qui ſpiritus hos regit artus, in morbis ita ſibi relictus eſt, vt liberrime et ex lege certa agere posſit, multo minus morbi id praeſtare idonei ſunt, qui toto genere praeter naturam, nihil certi, nihil ordinati habent, quod posſit tales pulſationes efficere, adeoque haec omnia tandem exhauſiſſe, inutilis foret labor, ac nudum ingenii exercitamentum. Quapropter illis inhaerere non eſt pretium operae; quae vero a me allata ſunt, in id dicta velim exiſtimes, vt tandem de ea re rectius conſtet, et SENNERTI aliorumque in iis erroneae opiniones pariter et lubricum rei totius fundamentum apertius conſpiciatur, quo deſinant tandem rei medicae ſcriptores rebus incongruis ac vanis implere chartas, et eorum, quibus haec ex praeſcripto addiſcenda proponuntur, memoriam excruciare.

Reſtat vltima et praecipua huius doctrinae pars mihi excutienda, de ſignificationibus pulſuum. Vt enim quae hactenus diſſeruimus, ad naturam pulſus et cauſas pertinent, et ad Phyſiologicam partem referenda ſunt, licet in illa adhuc comparere nondum ſint viſa, ita in iis inquirendis Philoſophum egi: medicam vtilitatem ad has vltimas pagellas reſeruaui; quod niſi iſtis probe perſpectis, plena haec et abſoluta dari non posſint. Sit igitur ſecundi Problematis

CON-

CONSECTARIVM.

De pulſuum ſignificationibus.

Hoc poſtremum vero, etſi ſatis arduum videri poſſit, non tamen adeo magni, ſi modo hactenus non ducti ſumus in errores, erit res laboris, vt non poſſit facile ſuperari. Cum enim arteriarum motus, quem pulſum dicimus, ex impulſu ſanguinis oriatur, hic autem ex cordis contractione muſculari, tanquam prima origine proueniat, in aprico eſt, aliqua horum ex pulſu poſſe cognoſci; minime tamen omnia: multo vero minus illa, quae huc non pertinent. Quaeritur ergo, quaenam pulſus manifeſtet, quae vero non? Ad quod reſponſio in facili eſt: cum enim pulſus ſit motus, ea tantum cognoſci per illum poſſunt, quae a corde et ſanguine fiunt, qua inſtrumenta ſunt huius motus. Ea autem eſſe in ſanguine quidem tum quantitatem, tum ex parte etiam tenuitatem et craſſitiem, in corde autem ipſum eius motum, et a quo hic peragitur, robur, quilibet videt: vlterius autem, cum in corde ac ſanguine principium vitae ſit potiſſimum et vnice collocatum, et huius circulatio cum ea pari ambulet paſſu, vndecunque tandem cordis ille motus tanquam a primo principio oriatur, certe principium vitae, totaque facultas vitalis per illum diiudicari poterit: adeoque vniuerſum naturae robur. Non autem nec ſanguinis propria conſtitutio, nec ſpirituum animalium, nec viſcerum reliquorum vitia, multo minus artuum, quaecunque tandem illa ſint, ex pulſu fieri poterunt manifeſta, nec reliquae affectiones, quae in ſanguine nidum ſuum habent, tanquam in ſubiecto cauſae, vt quidem loquimur. Nam quod Galenus putauit, et cordis ipſius intemperiem, et aliorum quoque viſcerum, quia cor iis affectis trahatur in conſenſum, ex pulſu etiam manifeſtari, in eo haut parum deceptus eſt: nam vtrumque horum ſuppoſitorum falſum eſt, et intemperies illa aeque ac conſenſus prorſus nullus. Vnde etiam in enarrandis pulſibus illis admodum friget ipſius oratio, quod librum III. et IV. de Praeſag. ex Pulſ. expendentem non latebit. His poſitis primo ſtatim intuitu apparet, inane eſſe commentum, et rerum naturae e diametro aduerſum, quod de Sinenſium medicis nonnulli, qui eius regionis deſcriptionem dedere, narrare ſolent. Aiunt iſti, vbi ad aegrum vocati accedunt, lecto aſſidentes, per horae dimidium nil agere quam vt pulſum explorent: quo facto, totius morbi initia, cauſas, ſingularumue dierum accidentia ac ſymptomata omnia ad illam

vsque horam quae contigerint, quam accuratisſime enarrare. Quod ſane niſi magicis artibus ab ipſis peragatur, aut fraude, quam ſit ἀδύνατον, cum nulla horum omnium cum pulſu poſsit eſſe cognatio, nemo eſt, qui non queat cernere: maxime quoniam vbi ad curationem accedendum eſt, (quod iidem ſcriptores teſtantur) nihilo ſint noſtratibus feliciores. Quod ſane ſecus fieri fas erat, ſi iſta omnia ex arte callerent: ſine cauſarum enim cognitione id fieri non poſſet, quas qui nouit, niſi in methodo aut facultatibus medicamentorum pernoſcendis ſit plane rudis, facile is ſane morbum quemcunque e medio ſuſtulerit.

Sed neque ex altera parte Bellinio noſtro fides habenda eſt, dum pulſum omnino fallacem et incertum indicem eſſe, it perſuaſum: nihili enim ſunt rationes, quas affert in medium, et fallaces ipſae. Dum enim ait per aetates, temperamenta, animi et corporis motum, ſomnum et vigiliam, anni tempora, regiones, et tempora poſt paſtum diuerſa, etiam in naturali ſtatu omnes pulſuum differentias in diuerſis hominibus reperiri, (quod ex Galeno videtur primum fluxiſſe, qui Libello ad Tyrones has omnes differentias tradit) in eo ſane prorſus eſt falſus. Neque enim tanta eſt, quam haec inferunt, pulſuum diuerſitas, (quod ipſe videtur ſupponere) aut ad omne pulſuum genus ita conformata, vt iſti receſſus diſcerni non posſint, aut peritum medicum fallere. Solus animi corporisque motus videtur ad febrilem pulſum propius accedentem producere; ex quo tamen nulla pulſus naſcitur incertitudo, cum corporis motus ex reſpiratione, animi vero ex aliis manifeſtisſimis ſignis ſtatim in oculos incurrat. Neque excuſationi locus eſt, quod dixerit *ex ſe, et ex pulſu ſolo.* Nihil enim cauſae erat, cur ob tam leuem et puerilem, ſi quis eam afferret, obiectiunculam, quae merum eſt ſophisma, totam pulſuum rationem ſuſpectam redderet, quippe cum hinc neutiquam ſequatur, quod mox ſubiungit, non poſſe cognoſci, ſitne in hoc, vel illo homine pulſus non naturalis nec ne. Quis enim neſcit a medicis exigi, vt in carpi tentatione non quodlibet tempus aut quaeuis occaſio imprudenter arripiatur, ſed obſeruentur leges artis: quod ſane in omnibus rebus atque artibus fieri neceſſum eſt, niſi quis falli amet: non tamen propterea licet de omnium artium earumue axiomatum veritate ſtatim dubitare, illaque pronunciare incerta. Et vero quid Bellinio acciderit neſcio, me pulſus per integros duodecim annos medicinam facientem nunquam adhuc fefellit, ſed ſaepe tantam peperit mihi animi certitudinem, vt diem ipſamque horam

ram mortis, ei ſoli confiſus, ſim auſus praedicere, et in illo quidem vix vnquam temere, in hoc vero non raro etiam euentum expectationi geminum habuerim. Eiusmodi ſane crude adeo prolatae ſententiae plurimum diſcentium animos turbant et quidem iniuria, anſamque porrigunt cauillandi artem noſtram obtrectatoribus non leuem, itaque omnino reprehenſione dignae ſunt. Sed quid opus eſt pluribus? ad ipſam accedamus rem, et oſtendamus reapſe aſſerti huius vanitatem, pulſumque ab hac iniuria per ſui ipſius dignitatem vindicemus.

Vt vero ea, quae diximus, ex pulſu diiudicari nunquam non poſſe, modo abſit occulta malignitas, (de qua tamen aliunde poteſt nobis conſtare) eſt longe certisſimum, ſic fortasſis etiam plura licet ex eo coniicere. Iſta enim, vel ſolus magnus ac paruus nobis indicant: eſt autem pulſus inſuper adhuc et celer et frequens. Et vero optandum eſſet, non tantum cordis motum, ſed etiam varii illius motus primas cauſas nobis magis eſſe apertas. At cauſam primam motus cordis nemo adhuc, vel Medicorum, vel Philoſophorum ex coetu repertus eſt, qui nobis manifeſtauerit. Quamdiu vero iſtam ignoramus, a quo quid pati aptum ſit, ſciri non poteſt. Valde autem vereor, vt eius exactam notitiam vnquam acquiramus: ſufficere ergo nobis debet ad eam quam proxime ſi posſimus hariolando accedere. Qua de re, quid mihi ſit compertum, et in quo putem eſſe acquieſcendum iis, qui cum moderamine et modeſtia ſapere cupiunt, libere ediſſeram: ea tamen lege, ne quisquam vlterius progrediendi ſpem ſibi his praecluſam autumet. Pro mei enim exilitate ingenii, cuius mihi ſatis ſum conſcius, haec a me prolata eſſe, velim intelligi.

Primum itaque facultatem illam inſignem, quo cor ſe mouet tam ſtrenue, tam ordinate, tam conſtanter, ita vt nullum remittat tempus, quamdiu ſumus in viuis, id eſt per annos in grandaeuis prope centum, inſitam illi eſſe arbitror et connatam: eo potisſimum perſuaſus Peripathetico, quod antequam cerebri, vel neruorum corpora perficiantur (ſupponamus enim iam, ſimul rudimenta omnium partium in ouulo adeſſe) punctum ſaliens ſe mouere, vitaeque choream incipere videatur; nam ſanguinem hoc eſſe merum, cum celeberrimo HARVEO non autumo. Et hanc quidem pulſandi vim vnde habeat, ignoramus, nec licet vlterius progredi. Facultatem Galenus vocauit, non quod nudam qualitatem eſſe crediderit, vti quidem improbi eius obtrectatores, qui vbique eum ſugillant, legunt nunquam, ex ignorantia aſſertum eunt, ſed quia deerat verbum, quod melius rem declararet. Ita

enim I. *de cauſis pulſuum*, ſcribit: *Quam quidem cauſam licet eius eſſentia nos fugiat, quod facultatem tamen habeat faciendi pulſus, illam facultatem vocauimus.* Sed in id inquirere neque noſtrum eſt, neque ad rem attinet, ſed ad Philoſophos: Nos contenti eſſe poſſumus, ſi ſciamus, quae pulſum alterent: vti id quidem peregregie citato loco oſtendit Galenus, eſtque dignus, qui illis, vel inuitis, conſulatur. Vt autem primam eam pulſus originem nec ſciam, nec cognoſcere multum laborem; illud tamen et ad praeſens negotium puto eſſe vtile, et mihi videor ſic ſatis habere perſpectum, cor omne ſuum robur ſanguinis copiae et qualitati ferre acceptum, maxime vero copiae, et prout haec ſeſe habet, vel alacrius moueri, vel languidius, nec vnquam cum multo ſanguine debilem, vel cum paruo fortiorem eius motum coniungi poſſe. Quod non experientia duntaxat me docuit, ſed ipſamet etiam ratio confirmat, ſi a poſteriori rem intueamur: Quo enim maior eſt ſanguinis copia, eo maiorem eſſe illius, qui in arteriis eſt, reſiſtentiam neceſſe eſt: quo maior vero haec reſiſtentia, eo maiore opus eſt robore ad eum propellendum, alias enim ſtagnaret; robur autem illud in corde eſt. At nunquam ſtagnare deprehenditur, ſenſim enim in arteriis auctus cor tandem opprimeret. Concedendum itaque omnino eſt, magnam ſanguinis copiam cum cordis debilitate conſiſtere non poſſe: et cum eadem ſit ratio contrarii, idque iterum experimento reſpondeat, nec cum parua robur iungi.

Quod tametſi ita ſe habeat, non tamen et hoc aſſeruerim, quotiescunque tandem vehemens cordis pulſatio deprehenditur, ibi magnam etiam adeſſe ſanguinis copiam: aliud enim oſtendit motus eius conuulſiuus, et cordis palpitatio, hyſtericis ac hypochondriacis exſanguibus etiam ſuperueniens crebro. Nondum praeteriit menſis alter, quod epilepſia laborantem puellam nouemdecim circiter annorum, nunc reſtitutam, curaui in hoc ipſo oppido, quae diebus quindecim, quibus decubuerat, vix tantum cibi, vel potus aſſumſerat, quantum alia ſoleret in vna leuicula coena, adeoque non poterat iam eſſe inſtructa multo ſanguine, vehementisſimas tamen quouis paroxysmo cordis patiebatur palpitationes. Verum haec nihil me mouent: cum a neruorum fluido plurimum quidem cordis naturalem motum poſſe turbari, multumque ſibi id in eum vendicare poteſtatis, inde eluceſcat quidem, non autem totum hoc, quantumcunque eſt, ex eo cordi communicari, iuſta ſequela deduci posſit: plane enim alterius generis hic motus eſt, quam eſt naturalis cordis motus, vnde nec pulſus cognomen ipſi iure tribuitur,

tribuitur, ſed qui eiusmodi nobis experimenta naturae opponet, committet μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος; quod Logices periti fieri vetant.

Firmo igitur ſtat talo aſſertio mea, naſciturque nobis iterum hoc de principio motus cordis aſſertum, ſeu.

CONCLVSIO I.

Cordis robur omne ad pulſum edendum a ſanguinis copia primo, dein ab eius qualitate, verum id ſecundo loco, omnino dependet.

Vtinam vero de celeritatis et frequentiae cauſa aeque certa afferre poſſem, quorum prorſus aliud videtur conſtituendum principium. Experientiam enim ſi conſulimus, non modo haec vtplurimum coniungi reperimus, quare et iunctim de iis ago, verum etiam variis de cauſis accidere, maxime tamen in recte valentibus ab animi commotione; in aegris a calore interno. Et celeritas quidem vel robur cordis, vel inopiam ſanguinis videtur ſupponere vt conditiones neceſſarias, frequentia vero neutrum horum, quin potius iſta, vtroque deficiente magis ac magis augeri cognoſcitur, vt in eo videantur quam longisſime disſidere. Suſpicio autem ex his eſt, neruorum fluidum ſpirituoſum multo plus quam ipſum ſanguinem ad vtrumque conferre. Eius enim, vel ſi vis, animalis ſpiritus potisſimum opus eſt cogitatio, quae nihil aliud eſt, quam motus horum ſpirituum in cerebro, adeoque et animi commotio, quae citra cogitationem nunquam accidit, eos autores habet. Nihil tamen adhuc ea de re certi ſtatuere licet: experimentis enim pluribus deſtitutus nondum rem omnem habeo exploratam; intra terminos igitur anguſtiores includam ſententiam, et dicam, quod certum eſſe autumo, nempe vtramque hanc motus affectionem ab irritamento eſſe, vel agitatione et contentione naturae. Alteram tamen magis ad ipſum cor pertinere arbitror, alterius vero in ſanguine potius haerere cauſam. Celeritas enim etiam nulla ſanguinis labe, ſed vel a calculo, vel polypo, vel alio impedimento propius cor afficiente efficitur quam frequentisſime: creber autem pulſus vix niſi cum iſta, maxime in febribus omnibus obſeruatur. Commoueri tum igitur ſanguinem ab interno principio, et ad frequentem pulſum edendum concitari credibile eſt, ſiue illud iam fermentationem, ſeu inteſtini motus vitium cum quibusdam appellare malis, quibus nominibus, diuerſis licet, idem tamen negotium deſignari exiſtimo, idque ſic ſatis commode, multoque commodius, quam per primi elementi Carteſiani tranſitum impeditum, in quo nonnulli mire adeo hodie ſibi placent, explicari arbitror, quicquid de eo

etiam denique ſtatuatur. Irritat autem tunc ſine dubio cor ipſe ſanguis, vti alias, dum in corde eſt motus celerioris principium, animalis nuncupatus ſpiritus concurrit.

Haec habui de cauſis horum, quae afferrem, plura de iis perſpecta habere daemones, experimento certior ſum factus, quod horum aliquem Patauii, in obſeſſo ſub altari celebrati illius Antonii detento, qui Patauini cognomento hinc notus eſt, quoties diuinus Antiſtes nomine ſanctisſimi Saluatoris iniungebat, vt febrim in ipſo excitaret, pulſum talem frequentem et celerem concitaſſe illico, eiusdem vero nomine interminante ſacerdote, iubenteque vt febrim faceret ceſſare, in momento ſtitiſſe iterum naturalem, compertum habeo. Eum igitur, vt ſuum genium CARDANVS, aliquis ſuper hac re conſuleret fortasſis: quamuis an vera extorquere ex eo posſit, adhuc dum foret meo quidem iudicio incertus. Interea et plura de his aliquando, illucente mentibus noſtris diuina gratia, reperiri poſſe, ex eo ſpem eſſe reor. Quod dum fiat, ratum interim eſto:

CONCLVSIO II.

Celerem pulſum a contentione cordis ab aliqua re irritati prouenire.

CONCLVSIO III.

Frequentem ab eadem, ſed ſanguinis interna commotione conſpirante ſuſcitari.

Quibus ita admisſis, rectius forte et plenius nunc de ſignificationibus ex pulſuum diuerſitatibus petendis poterimus diſſerere.

Sponte autem eluceſcit, pulſum ad naturalem quam proxime accedentem ſemper eſſe maxime ſecurum: qui autem ab eo nonnihil recedit, modo abſit malignitas, non admodum eum eſſe damnandum; vti quidem vel in ſanis etiam, quod concedendum vtique eſt, eius turbari rationem, non eſt inſolens, et iam a nobis oſtenſum. Eſt enim cor noſtrum res valde mobilis, et quae a leuisſima re poteſt affici, a nulla tamen facilius, quam animi motibus. Quod elucet etiam ex obſeruatione GALENI, quam habet. (*) *Qui expergiſcuntur*, ait ibi, *e veſtigio pulſus magnos, vehementes, celeres, crebros, et cum quadam vibratione habent, qui mox mediocritatem aſſequuntur.* Id quod certisſimum eſt. Neque tamen, vt de facultate vitali haec teſtantur, ita etiam de vniuerſa valetudine inde conſtare poteſt. Vtpote cum in omnibus illis morbis, qui vel

(*) *Lib. de Pulſ. ad Tyr.*

vel in aliis viſceribus, vel corporis extremis extant, vt quidem oſtendimus, niſi cum ſanguine communicetur malum, nihil ex pulſu colligi poſſit. At vbi mutatio fit ſatis notabilis, quod peritus Medicus admota manu facile diiudicat, tum vero a ſtatu naturali recedere eum putandum eſt, quod tot accidit modis, quot eorum a nobis ſupra enumerati ſunt.

Prima autem circa ſimplices, altera circa reliquas, ſimplicibus ſuis ſubnectendas ſollicitudo noſtra occupabitur.

I. *Pulſus* igitur *Magnus* cum cordis robur et ſanguinis copiam cauſas habeat, ambasue requirat, primum inde de naturae conſtabit viribus, quas maximas prodit, ſed ſimul eandem ſanguinis abundantia onerari, conſtare poteſt ex iis, quae ſupra ad Problema II. dicta fuerunt. Circumſpectione tamen opus eſt: cum enim ſecundum definitionem V. ſanguis ſit liquor, a calore expandi aptus, fieri poteſt, vt ab eius etiam exceſſu pulſus magnus oriatur: quod ad cognoſcendum tactus in ſubſidium vocandus eſt. Et vero in febrium omnium initio hinc potius, quam a nimia copia turgere venas, pulſuue magno inſignes eſſe, eſt in aperto, etſi ſimul et plethoram adeſſe non repugnet, quae duplicatam conſtituit magnitudinem.

II. *Paruus* cum is ſit, quo parum attollitur arteria, a ſolo ſanguinis ad eam alliſu ortus, iam non poteſt cum multo ſanguine vnquam fieri. Ab hoc autem, quoniam cordi robur omne accedit, ſimul et huius debilitatem, et illius paucitatem, adeoque vitalis facultatis fractam firmitudinem notare eum neceſſe eſt.

III. *Celer* cum ex varia oriatur cauſa, non vnum ſignificat. Vt enim alias etiam motus celeritas nulla eſſe poteſt, ſi robur deficiat, ita et cordis velox motus et promta contractio non poteſt eſſe ſine viribus contrahentium ſe fibrarum, ſed absque illis omnino langueſceret. At vero et ſanguinis tenuitas ac inopia, cum nulla renitentia ei obſiſtat, in cauſa eſſe poterit. Ergo vel robur cordis, vel ſanguinis inopiam, vel tenuitatem eius facit manifeſtam: quodnam vero ex his, ex eo patebit pulſus modo, cum quo componitur, ex quo etiam, quando ab incitatione quadam velocitatem cordi conciliari putandum ſit, patefiet.

IV. *Tardus* contrario ſe habet modo. Vel igitur copiam ſanguinis nimiam, (quod etiam in Problematis II. reſolutione oſtendimus) vel craſſitiem eius, vel cordis debilitatem denotat. Semper autem ab incitamenti iſtius, de quo modo, formidine liberat.

V. *Frequens* ex allata Concluſione III. nunquam non ab agitatione aliqua et contentione totius naturae inducitur, quo minus enim cordi ſoli competat et adſcribatur irritato, facit experientia, qua conſtat, nunquam alias (niſi oriatur a ſpirituoſo illo fluido, de cuius potentia in cor ex ſupra allatis reddimur certiores,) quam cum inteſtino ſanguinis motu eam eſſe obuiam.

VI. *Rarus* calore et febre vacantem aegritudinem, et ſanguinis fermentationem omnem, ſpirituumue tumultum abeſſe; quin circa haec tranquilla omnia ſignificat.

Habes ſimplices pulſuum affectiones, nunc compoſitorum ſignificatis eruendis operam dabo.

I. *Magnus et celer* vehementem conſtituit. Hic cum et ratione magnitudinis, et celeritatis de viribus cordis et liquoris vitalis iuſta teſtetur copia, omnium ſecurisſimus eſt, etſi adiuncta celeritas citatum cordis motum ſimul, neque eum ſine irritamento malo fieri denunciet. Quotiescunque ſcilicet cum magno iuncta eſt celeritas, prodit cauſam ſuam primam, quam Concl. II. protulimus: non igitur fruſtra a natura concitatior editur, ſed vt vicisſim Medici vigilantiam excitet, moneatque, ſit animo praeſenti, et intento in rem: latere enim hic aliquid mali. Et quidem ſi ſimul calor adſit, et pulſus frequentia, febrim non inſtare, ſed iam adeſſe et vrgere, abſente vero febre et calore, cor irritari a quodam inſito et occulto malo, nunciat.

II. *Magnus et tardus* robur cordis integrum, ſanguinisue magnam ſatis copiam, at ſimul pondere vel crasſitie ſua moleſtam, grauantemue reddit manifeſtam, vt iam tum num. 17. Probl. II. oſtendimus.

III. *Magnus et frequens* vix citra celeritatem vnquam obſeruatur. Hinc febris praeſentiam certo indicio prodit, quoties calor ſimul adeſſe deprehenditur. Vbi vero is abeſt, neruoſo fluido turbari cor, adeoque conuulſiuos pati motus, ſigno eſſe ſolet.

IV. *Magnus et rarus* certum indicium praebet, calorem abeſſe a morbo, et viribus valere aegrotum, ſed opprimi fortasſis, aut in anguſtiis eſſe virtutem vitalem, tantoque magis, ſi ſimul ſit celer.

V. *Paruus et celer* ſanguinis inopia licet non magna laborare venas, cor autem robuſtum eſſe fidem facit. Hinc in febribus intermittentibus, immuni ab inſultu intercurrentibus diebus aegro, ſi diuturniores ſint, obſeruatur, itemque in continuis poſt ſtatum, vbi tandem in paruum et tardum conſumto reliquo ſanguine terminatur. Non enim diu hic poteſt conſiſtere, ſed vel in melius, vel in deterius cito mutari ſolet.

VI. *Par-*

VI. *Paruus et tardus* non occurrit in gradu notabili, ſufficit ſi celeritas a paruo abſit: tum vero debilis naſcitur. Hic ex defectu cruoris cor debilitatum, naturamue proſtratam, et ſpem in anguſto eſſe nunquam non triſtis obfirmat nuntius; niſi tamen ab oppresſione eſt maligna, vel hyſterica, aut ſimilis notae infeſta naturae cauſa, aut poſt multum laborem anxietatesue ſuperueniat, ſenſim enim iſte ad priſtinum redit vigorem.

VII. *Paruus et frequens* non citra celeritatem eſſe ſolet, qui enim ſubito recurrit, cito etiam decurrat ſpatium neceſſe eſt. Itaque fere et febrim, et deiectas vires monſtrat, citatoue ac praecipiti gradu ad inferos aegrum tendere. Eſt enim ex his, qui vel in myuros, id eſt vix ſenſibiles deſinunt, vel debilem proxime praecedunt. Nunquam ſane vidi ego cum tali quenquam ad priſtinum ſtatum rediiſſe, et eſt frequentiae cum paruitate quidam motus, quem vbi pulſus excesſit, ſpem omnem praeciſam certo certius indicat: me quidem vsque adhuc nunquam fefellit. Verum iſtum depingere aut ſcripto tradere non licet, ſed crebra in praxi clinica obſeruatione addiſcendus eſt.

VIII. *Paruus et rarus* et ipſe rarus eſt, itidemque collapſas naturae vires et abitum meditantem ſpiritum ſolet indicare, eſtque plerumque occulte intermittens, cum natura a ſolita frequentia, cum paucus ſanguis pellendus eſt, deſciſcere vix conſueuerit.

Et haec habui, quae de abſolutis pulſuum diuerſitatibus in medium afferrem. Quae vti et ſolidis antea allatis fundamentis innituntur, et experientiae reſpondent; ſic multo certiora illis, vt ſpes eſt, eſſe deprehendes, (np. WEDELIVS, ad quem haec olim perſcripta erant) quae alias ſolent de iis perhiberi. Vtrum augeri emendariue posſint, Tuum, Vir expertisſime, erit iudicium, a quo vt dudum, ita deinceps etiam pendere atque inſtrui non recuſabo, imo vt id facias, etiam atque etiam rogo. In malignis febribus nihil certi ex pulſu colligi poſſe, vulgi opinio eſt: Ego vix ambigo, illud ipſum, quod naturalem imitetur, aut oppreſſus ſit maxime, eſſe a coagulatione et crasſitie ſanguinis.

Ex reſpectiuis pulſuum ſic dictis differentiis vix duas ſeruaui, repudiatis reliquis omnibus; inaequalitatem ſcilicet in magnitudine et crebritate. Has enim ſufficere prudenti rerum aeſtumatori exiſtimo, poſteaquam nullum in his naturam aut morbum ſeruare ordinem vel rythmum, oſtenſum eſt. De his autem conſtat, vtramque ſine periculo praeſentaneo non raro deprehendi. Cuius egregiae obſeruationis Te, ni fallor, auctorem habemus. GALENVS enim

enim cum (*) in ſenibus et imbecillibus obſeruauit, ſeruari eos poſſe, ſed non ſine difficultate maxima, eo ipſo periculoſos eſſe, declarauit, addens etiam, inaequalium pernicioſisſimos eſſe intermittentes, cum quibus iuuenis ne quidem vllus euaſerit: Tu, ni fallor, in iuuenibus etiam omnino facillime ſeruatis vidiſti. Et vero in tertianis ego quoque idem ſum expertus, et poſſem geminus eius rei tecum teſtis aſſurgere. Sic autem arbitror: Quoties cum pulſu magno et vehementi iuncta deprehenditur inaequalitas, et malignitatis ſuſpicio ſit procul, nihil diſcriminis habere; et ſi haec adſit, non tamen eſſe tales pulſationes lethales, ſed laborantem tantum ſub morbi onere naturam indicare; vbi vero pulſus paruus eſt, ac imbecillis, vel ſimul magnitudine inaequalis, quocum vno et ſolo eum obſeruari, mihi videtur ſupponere GALENVS, cum tali vix quenquam ſeruari, vtique illi concedendum exiſtimo. An acu rem tetigerim, et in quibus omnino morbis ſe exhibeant, a Tua expecto inſigni peritia. Sane equidem nondum explorata haec eſſe atque comperta artificibus arbitror, et vellem diligentius annotari, quid ſuus quemque vſus, docuerit, eum in modum, quo videmus feciſſe GALENVM, (**) vbi ſi omnia ex rei veritate eſſent tradita, res foret mire proficua. Et hic quidem venit mihi in mentem diligentisſimi ac celeberrimi MALPIGHII obſeruatio, qui (***) pulſus inaequalitatem (de ea, quae in magnitudine eſt, loqui videtur) eſſe ex obſtructis pulmonum vaſis aſſeruit. Quod ſi ita eſt, vti quidem mihi per videtur veroſimile, non tantum ob viri ſummam auctoritatem, ſed etiam quia rectae ratione cumprimis conſentaneum eſt, craſſitiem, et coagulationem ſanguinis inde licebit certo colligere.

Atque ex hoc rurſum firmitudinem accipit ac fidem eorum placitum, qui malignitati coagulationem ſanguinis comitem perpetuum eſſe mecum exiſtimant. Pulſum enim intermittentem non minus quam inaequalem, aut naturali proximum, aut in principio ſtatim praeter rationem exilem malignitatis notam eſſe, experientia docti Medicinae antiſtites omnes conſentiunt. Quandoquidem igitur et hic, vbi periculo vacat affectio, adeoque malignitas abeſt, coagulatio pulſum cogit intermittere, hinc eius in vniuerſum cauſae datur exiſtimandi copia, quam illam ipſam eſſe coniicitur. Malignitatis enim documentum fieri intermittentem non alia gratia apparet, quam quia coagulatio ei adiuncta eſt. Idem vero mirifice confirmant illae nunquam non ſimul occurrentes

(*) *Lib. IV. de Praeſag. ex Pulſ.* (**) *Libr. de Pulſ. de Tyron. et de Cauſis Pulſ. Libr. IV.* (***) *Epiſt. de Pulmonibus.*

rentes anguſtiae, reſpirandique difficultas, quae febres eiusmodi malignas tam indiuidue comitantur, vt etiam ad pathognomonica eius conſtituenda concurrant.

De pulſu autem intercurrente recte dixiſſe GALENVM arbitror, naturae laborantis, ſed cum morbo pugnantis ſignum eſſe, adeoque ſaepe iudicationem attuliſſe. Caeterum de pulſu inaequali idem, quod MALPIGHIVS, et ipſum ſenſiſſe deprehendes, ſi euoluere non graue fuerit. (*)

Et vero quid vetat, quo minus illa ipſa verba apponam, Teque B. L. ab hac aliunde iſta petendi moleſtia liberem? praeſertim cum obſcuriora ſint paulo, et deſiderent fortean illuſtrari. Sunt autem iſta, CRVSERIO interprete: *Ad aliud propero genus, quod ex fluxione dixi oriri. Communem habet hoc omnium inaequalitatem pulſuum. Obſtruuntur enim facile, et conſtringuntur, atque comprimuntur per eas fluxiones principes arteriae. Nec minus ob humorum copiam maiorem facultate: quod ſcilicet tam coniunctim pulmoni cor ſit, et confluxum habeat per magna oſtia. Ac inaequalitas quidem communis eſt omnium fluxionum, quae impingunt in pulmonem, eaque nunc maior, nunc minor eſt, pro craſſitudine et abundantia.* Vides ipſum arguentem obſtructionem vaſorum pulmonalium, quod inaequalitatem pulſus efficiat, et quidem fluxionem pulmoni incumbentem huius rei cauſam eſſe, quam duplicem recenſet: vnam deſuper in ipſos pulmones, ſeroſam vel quaecunque tandem opplere pulmonem posſit, de qua dicit *comprimi et conſtringi* principes arterias; alteram ipſius ſanguinis ex corde influentis nimia copia, quo pertinent reliqua: *Humorum copia maior facultate, et quod tam prope coniunctus cum corde ſit pulmo, et confluxum habeat per magna oſtia.*

Quibus nihil poterat dici aptius ad illam inaequalitatem intermittentis pulſus ſignificandam, quae in iuuenibus robuſtis citra periculum deprehenditur: vtpote quos ſumme plethoricos eſſe, vel craſſo ſanguine laborare non eſt dubitandum. Haut paulo latius vero extendit GALENVS inaequalitatis cauſam, ad omnes fluxiones eam pertinere aſſerens, de quo dubito, et expendendum accuratius eſſe arbitror. Saltem in tusſi et phthiſicis, qui inter initia cum defluxionibus perpetuis ſaepe ſatis diu colluctantur, intermittentem pulſum nunquam videor obſeruaſſe.

Et hic iam poſſem acquieſcere, niſi ad nouam disquiſitionem me inuitaret clarisſimi BELLINI aſſertum, quo HIPPOCRATEM fuiſſe per-

(*) *Libr. IV. de Praeſag. et Pulſ.*

quam diligentem pulſus obſeruatorem vult nobis perſuaſum. Quod an veritati ſit conueniens, non arbitror Tibi ingratum fore, ſi paulo diligentius indagem. Non autem nudius tertius demum haec res in quaeſtionem venit, ſed iam olim doctisſimis viris varie eſt diſputata atque ventilata. THEOPHILVS *Graecus Medicus*, in libro de pulſibus in hunc ferme ſenſum ſcribit: HIPPOCRATES, *diuinus Medicus, pulſuum notitiam non habuit, ſed latera et frontem manu contingebat.* Cui concinens GALENVS (*) eodemque vltimo, HIPPOCRATEM *nihil de pulſibus tradidiſſe*, inquit; quanquam ſibi non conſtans. (**) HIPPOCRATEM *omnium primum, quod ipſe ſciuerit, nomen pulſus ſcripſiſſe, neque eam, quae in eo eſt, artem videri ignoraſſe.* Taceo alios, quibus, prout videntur amori diuini ſenis plus aut minus dediſſe aut indulſiſſe, modo hoc, modo aliud viſum eſt aſſerere. Interea loci non ſine cauſa opinor GALENVS vſus eſt ambigua loquendi formula, dixitue eum artem illam *non videri* ignoraſſe: oſtendit enim hoc ipſo, non ſatis ſe fuiſſe certum, vt abſolute aſſereret. Quibus ſi addas loca, ab ipſo BELLINIO adducta, quam in partem inclinauerit potius, clarisſime apparebit. Quae profecto eius dubitatio haut parum rem omnem reddit ſuſpectam. Si enim is, qui HIPPOCRATEM tam legit diligenter, vt nullus alius, et ſummo cum iudicio, quin et permultos eius libros commentario dilucidauit, certa doctrinae de pulſu veſtigia non potuit deprehendere tum temporis, non fit veroſimile, repertum iri, qui hodie id poſſit. Sed videamus tamen illa, quae doctisſimus BELLINVS nobis offert loca, quo ea de re ſecurius pronunciemus. Quae ſane omnia ſunt talia, vt pulſum quidem aliquando fuiſſe HIPPOCRATI animaduerſum oſtendant, doctrinae vero de pulſibus, huius quidem, de qua hactenus egi, aliquam eum notitiam habuiſſe, longisſime abeſt, vt vllum faciant indicium. Quaecunque enim adducuntur, non de pulſu naturali et a Medicis obſeruari ſolito loquuntur, ſed illo, qui prorſus praeter naturam ſe exhibet. Nam quod ad primum attinet, ex *Prognoſtico* allatum, qui alias, Liber aureus, omnibus reliquis eius argumenti longe praeferendus eſt, quis non videt, quoniam *perturbationem animi aut delirium indicare* dicitur, *ſi in praecordiis obſeruetur*, praeternaturalem eum deſignare, cum ibi nullo non tempore continuo cor ſeſe exerceat, et indefeſſo palpitet motu? Dicat aliquis, eum hic velle intellectum pulſum vehementius concitatum: Ergo primum eſt falſa illa aſſertio. Non enim omnis pulſus vehemens delirium portendit. Deinde cur non addidit: Maiorem quam eſſe ſolet, vel

(*) *Libr. de Criſib. III. cap. 11.* (**) *Libr. de Gener. et Diff. Pulſ. cap. 1. ſcribit.*

vel magnum, vel elatum, aut aliquid eiusmodi? Denique cur in praecordiis eum vult obſeruari, et non potius in carpo, aut in temporibus, niſi haec inuicem commercium alere, et eſſe vnum eundemque ignorauit: aut potius, niſi longe aliud quid voluit ſibi, quam pulſum vehementem cordis deſcribere, cum alias longe facilius in modo nominatis partibus ſentiretur: in praecordiis igitur quod dixit, ſatis oſtendit, aliquid plane inuſitatum ibi eum obſeruaſſe. Sane ex his apparet, aut HIPPOCRATEM non niſi in deliriis cor pulſare autumaſſe, aut aliud quid in praecordiis deprehendiſſe, palpitationem nimirum quandam toto genere praeter naturam, vbi delirium inſtitit: vtrumque autem aeque facit ad oſtendendum, veram pulſus rationem ipſi fuiſſe ignoratam.

Idem plane ſentiendum de eo, quod *ex Coacis* quarto adducit loco, *num. 282.* vtpote quod plane cum hoc conſentit, et ex vno in alterum librum videtur transſcriptum, vti quidem pleraeque in Coacis extantes ſententiae alibi etiam in Scriptis HIPPOCRATICIS leguntur. Verum etiam quod tertio loco legitur *ex iisdem, num. 128. Si venae temporum pulſent in febribus, longum fore morbum, etc.* eiusdem eſt ordinis: Quis enim neſcit, in omnibus febribus, imo et extra eas omni vitae tempore venas temporum pulſare? Quod ſi ſciuiſſet HIPPOCRATES, non in quibusdam tantum, longis videlicet febribus id fieri pronunciaſſet: vt nihil dicam de ipſo, quod inde format, prognoſtico. Nam neque hoc feciſſet, ſi vel leuiter perſpectam habuiſſet rationem puſus naturalis in corpore.

Quod quintum adducit, *ex II. Epid. Qui venae in cubito conſpicuum pulſum habet, is furibundus, in acerbam iracundiam facile praeceps eſt*, iterum praeter omne naturae inſtitutum fieri, neque ad pulſum noſtrum pertinere, ſed plane eſſe praeternaturale quid, perſpicuum eſt. Et quid dicam de his: *Vena quae ad ſplenem eſt, in cubito diſtendebatur*: quae ex eodem libro attulit: quod HIPPOCRATIS non in his tantum, ſed anatomicis in vniuerſum ignorantiam prorſus oſtendit. Quaenam enim in ſplene vena eſt, ad cubitum extenſa? Ecquis ſequentium ſeculorum decurſu vnquam, non dicam hoc obſeruauit fieri, ſed omnino in cubito aliquam venam pulſaſſe? Sed forte eam intellexit, quae in carpo micat: quid ergo vult illud diſtendi? an pulſaſſe innuit? quid opus erat monere, ſi non ignorabat, ex perpetua id naturae lege fieri. An aliud? quid ergo ad noſtram id facit controuerſiam? an ex talibus colligere licet eum pulſus notitiam habuiſſe?

 Porro

Porro ex *V. Epid.* quae profert: *Tempora non admodum pulſabant*, nihil minus mihi videntur velle, quam quod vult clariſſimus vir. Non ſcilicet pulſum imminutum depingit HIPPOCRATES, ſed auctum, verum id leuiter. Praemittit enim: *Febris parua.* Vbicunque vero febris adeſt, ibi nunquam pulſus imminuitur, ſed fit maior, praeſertim initio. Acceſſit autem febris tertia die, vt ſolet in eiusmodi. Sed neque vnquam obſeruatur pulſum minui a compreſſione cerebri cum febre: quod experientiam conſulentem non potuiſſet latere. Ex eo igitur nimis manifeſto licet colligere, HIPPOCRATEM non niſi auctam p. n. pulſationem temporum et hic intelligere, atque alibi ſpectaſſe.

Longe vero nos certiores reddit eius rei alterum illud *ex VI. Temporum venae non conſiſtentes.* Quas non aliter accipi poſſe quam pro pulſantibus arteriis cum agnoſcat ipſemet BILLINIVS, quid multis eſt opus? Putauit ergo HIPPOCRATES, easdem non pulſare, ſed conſiſtere, ſi non futurus ſit in articulos decubitus, adeoque quoties pulſarent, inuita natura id fieri cenſuit. Quibus ſane non video quid poſſit eſſe magis apertum.

Librum de Humoribus potius eſſe collectoris cuiusdam HIPPOCRATICI, quam ipſius HIPPOCRATIS, cum aliis viris doctis plane perſuaſus ſum; ſed demus clariſſ. BELLINIO, eum non mentiri auctorem ſuum, non tamen, quum dicit pulſum obſeruandum, conſtat, eum naturalem pulſum intellexiſſe. In tam obſcura enim ſcriptoris breuitate id non licet diiudicare, praeſertim cum eodem loco multa alia prorſus praeter naturam contingentia obſeruare iubeat, ipſosque etiam vermes. Potuiſſent et plura eiusmodi teſtimonia aceruari, vt *VII. Epid.* σφυγμὸς ἐν κροτάφοισιν ὡς λεπτῆς θερμῆς, et *VII. Aph. 21.* ἐπὶ ἰσχυρῷ σφυγμῷ ἐν τοῖσιν ἕλκεσιν αἱμοῤῥαγὶν, κακὸν; ſed quae nihilo plus ad rem facere videantur, cum plane ſint ex eorum numero, de quibus prudenter pronunciauit GALENVS. (*) *Hoc modo quando legimus apud veterem aliquem Medicum, ſolam pulſare inflammatam partem, aut motum tantum inflammatione arteriarum eos pulſum appellare, in corpore autem ſano hoc vocabulo vti nunquam, non omnem motum arteriarum colligimus, ſed aut magnum, aut vehementem, aut quem ipſe poteſt aegrotus animaduertere, pulſum vacari.* Quibus vtique HIPPOCRATEM adnumerandum eſſe, ex dictis patet. Quare cauſa nulla erat, quod his talibus fiſus teſtimoniis noſter, contra viros pereruditos quam-

(*) *Libr. de Diff. Pulſ. IV.*

quamplurimos non aſſereret tantum, *Hippocratem* pulſus doctrinam cognouiſſe, ſed et illos blateraſſe aiat, vbi contrarium ſtatuere: quod ſane verbum poſſet aequos animos non leuiter offendere. Equidem ex eo, quod de pulſibus nulla nobis reliquit *Hippocrates* praecepta, et cum de febribus alias tam prolixe, tam frequenter, et in innumeris locis agat, omniaque, vel rariſsime contingentia tam ſollicite proſequatur ac pene ſuperſtitioſe, nihil tamen vnquam de pulſibus ne verbulo quidem vllo tetigit, firmiter ſatis, ni fallor, colligitur, eum omnem hanc rationem ignoraſſe: cum ex nulla alia re certiora non in his tantum, ſed omnibus omnino morbis ſalutis aut mortis indicia petere liceat.

Qua in ſententia etiam fuit *Ludou. Mercatus*, et ſocer meus, *Herm. Conringius*, vir, ſi vllus alius, in antiquorum libris verſatiſsimus, veterumque ſententiarum verus et vnicus promus condus. Vterque enim horum *Herophilum* primum doctrinam de pulſibus accuratiorem in artem introduxiſſe ait, quamuis ille etiam Praxagoram nominet. (*) Alios celeberrimos auctores, et

- - *Quibus Phoebi chorus aſſurrexerit omnis,*

nunc iam praetereo.

Maneat igitur laus illa *Hippocrati*, non omnino nunquam eum pulſum obſeruaſſe, ſed pro ſymptomate praeternaturali eundem ipſum habuiſſe fateamur: id enim ex dictis, ni fallor, abunde patet: de naturali vero, de quo nunc egimus, pulſu, eiusque attributis ac conditionibus ipſi conſtitiſſe, nemo adhuc fuit, qui firmo eius rei allato argumento euicerit. Quamuis enim ex illo loco, quem ex *Prorrhet. II.* affert *Bellinius*: *Deinde manibus tum ventrem, tum venas attrectantem minus falli conuenit quam qui non attrectauit:* coniicere aliquis poſſet, ſaltem hic pulſum naturalem intellexiſſe *Hippocratem:* mihi tamen ſecus videtur. Agit enim ibi de cognoſcendis erroribus in diaeta commiſsis, quos dicit vix vlla arte poſſe certo deprehendi, quamuis manibus ventrem et venas attrectantem minus falli contingat. Vbi an non venas vere ſic dictas intelligat, dubium eſſe poteſt, ex earum enim intumeſcentia et duritie multo certius forte quam ex arteriarum pulſu nimiae cibationis argumentum quis petat.

Quae omnia non in eum finem affero, vt vel *Hippocratis*, vel *Bellinii* laudibus quicquam detraham: cui vtrique lubens aſſurgo et ego; quin et pietatem huius, et propenſum in iſtum animum probo. Omnino enim dediſſe hoc affectui videtur vir doctiſsimus, quo *Hippocratem* more, bene multis nunc in reliquae vetuſtatis omnis contemtu et odio vſitato, vnice proſequitur.

Et quidem ipſe ego artis parentem magni quoque facio, non tamen cum quibusdam eum et omnia perſpecta habuiſſe, et nunquam fefelliſſe, patior mihi perſuaderi, cum aliter ſe rem habere, aſsidua eius lectio me doceat. Scripta ſane eius ſaluberrimis praeceptis et obſeruationibus refertiſsima, quemuis aequum lectorem in admirationem trahunt, ſed vicisſim etiam, ſi fateri volumus, quod res eſt, in anatomicis eum fuiſſe maxime rudem, et ex phyſiologicis parum ipſi conſtitiſſe, nemo poterit negare. Cum autem pulſus doctrina ad hanc claſſem pertineat, quis miretur, eum hic quoque aliquid latuiſſe? omitto Pathologica, quae, etſi obſeruationibus conſtent, quam tamen ſaepe ſint imperfecta et leuia, alias oſtendetur.

De

(*) *Libr. de Pulſ. initio.*

De cetero poſtquam tanta diligentia in *Hippocratis* aliorumque notitiam pulſuum inquiſiui, operae pretium fore iudico, pauca quaedam commemorare de Anglo quodam *Dauido Abercrombio*, cuius *de variatione et varietate pulſus obſeruationes* anno MDCLXXXV. Londini prodiere. Hunc perexiguum libellum ex propriis potisſimum obſeruationibus natum eſſe, perſuaſum cupit. Duplex autem tractatio eſt, prima de variatione pulſus ſecundum clima, tempus, temperamentum, aetatem, diaetam, pasſiones animi et morbos. Altera de varietate pulſus inſcribitur, agitque de inaequali eius micatione, cum celerioris, tum fortioris, aut languidioris in digitos incurſus ratione: de interrupto pulſu: de intenſo et remiſſo; quae ipſi loquendi formula eſt, (id vero eſt frequenti et raro) profundo porro et ſuperficiali, ſubſultorio, tremulo, erratico. Quae nomina vt medicis ſcholis fere ignota ſunt, ita difficultatis plurimum adferunt. Id vero ipſi euenit nimio ſtudio latinitatis; quod vt non quidem damnandum, potior tamen eſt rerum et doctrinae, facilitatisque habenda ratio. Etenim ſtylo vtitur perquam eleganti, et fere *Celſi* aemulo, ad ipſa vero, quae tradit, praecepta ſi reſpicias, maxima diuerſitas occurrit. Vereor enim, quantamcunque etiam experientiam iactitet, non tamen exſpectationi et euentui reſponſuram, ſiue inſcitia, ſiue praeſumptio nimia fuerit errandi occaſio. Quis enim ei adhaerenti credat, in Gallia atque alibi ſenibus ſaeuientibus ventis trepidare quodammodo pulſum, aut a ſomno quidem liberiorem, interdiu vero adeo mutabilem eſſe, vt alia ſit lucente ſole, alia nubium obiectu oculis ſubtracto, Diaſtoles ac Syſtoles reciprocatio.

Idem prope *de Noua Medicinae Claui, ſeu arte explorandi ex ſolo ſapore Medicas plantarum ac corporum quorumcunque facultates*, quam huic opuſculo ſubiunxit, iudicauerim; nimirum ipſa etiam elegantius quam verius congeſta atque deſcripta eſſe. Decipit etiam lectorem ſuum, cum in praefatione *nouam hanc methodum esſe, nullumque eiusdem apud vllum auctorem, vel leue veſtigium ſe reperisſe* ait. Etenim de ſaporibus *non pauci, nec paucis ante eum egerunt*, vt ipſe in praefatione fatetur, quia primordia, et ea ipſa, quae adfert, artis huius noua fundamenta iam ante *Galenus* ipſe tradiderat, opere illo ingenioſisſimo *de Facultatibus Medicamentorum*. Cui Succeſſores eius aſſidue inhaeſerunt, et vt ſigna, e quibus virtutes Medicamentorum cognoſcerentur, plantarum maxime, eadem, vbicunque fuit occaſio, diligenter tradiderunt. Quae cauſa fuit, cur plagii noſter publice accuſatus ſit, vt iam dicam. *Caeſalpinus* ſane ex his multa, quae huc plurimum faciunt, Libro *de Medicamentorum Facultatibus* tetigit: aliqua et *I. B. Montanus*; etſi hunc totum exſcripſiſſe *Abercrombium*, quod alicubi proditum lego, nimis liberaliter de eo dictum eſſe, comperiam. Taceo alios, quorum permulti ſe in iſto argumento proſequendo occuparunt. Praeterea vtroque opuſculo nimis ſuccincte de his egit, quam vt amplus inde fructus quis ſperari poſſit: itaque tyronibus paucarum horarum labor erit proponendus, ſed plenam certamque notiam inde haurire nemo poterit, quam nos parte pharmaceutica ſequenti pleniorem dabimus.

FINIS.